SC. SUP. 25. Pl. 2.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
31
3 F
18
FONDO

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIS, ET CLARA

EXPOSITIO ET IMPUGNATIO

Omnium, & Singularum Propoſitionum,

QUÆ

A Summis Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. damnatæ ſunt.

OPUS,

Tres in Tractatus diviſum

Theologis Speculativis, & Moralibus, ac Canoniſtis perutile.

AUCTORE

PATRE BONAVENTURA TROTTA A' VETERI

Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato Provinciæ Principatus

Minorum de Obſ. S. FRANCISCI.

DICATUM

EMINENTISS. AC REVERENDISS. DOMINO

D. FRANCISCO

Tituli SS. Petri, & Marcellini Cardinali PIGNATELLO,

Archiepiſcopo Neapolitano.



NEAP. MDCCVII. Typis Hæredum Michaelis Monaco.

Superiorum Facultate, & Privilegio.

SUMPTIBUS CAROLI PORPORA.

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google

EMINENTISSIME PRINCEPS.

INERAT illa meo etiam animo perſuaſio, eò diſcriminis Sapientiam noſtris temporibus deveniſſe, ut nedum Mecœnatibus deſtituta, ſed & ignaviæ odiis acta iniquioribus, ſatiùs ſibi ſit mente, cui affulſerit, deliteſcere; quàm lucem publicam, tot obſitam periculis, intendiſſe. At communem hanc de ipſius infelicitate opinionem ad examen attentiùs revocanti, etſi querimoniorum vox in perditos mores hominum haud condemnanda penitùs apparuerit, viſa tamen eſt, quæ poſsit æquiori judicio ſæpiùs interrumpi. Ita ſors Doctrinæ adverſatur, ut &

Digitized by Google

favorabilium liqueat non obliviſci: ſiquidem eam patrocinii ſegetem non adminiſtrans, quam ubique gentium ſua ſibi conditio demeretur; nuſquam tamen deſpectam adeo paſſa eſt, ut aſylo aliquo ipſius gloriæ non conſuluerit, non contenta ſtuduiſſe ſecuritati. Hoc in Te Princeps Eminentiſsime, nunc temporis mihi planè exploratum eſt, quem etſi Patria duntaxat Antiſtitem, atque Patrem ſortita conſilio Superum; dotum tamen inſtitutione, quibus toto terrarum ambitu colluceſcis, ab omnibus rem literariam colentibus tanquam Numen quoddam ſuſpiceris, à quo clientelam liceat auſpicari. Nihil quod ad Minervæ, præſertim ſacræ, tutamen faceſcat luculentiſsimum, Sapientum Reipublicæ, in

ea

ea, qua emines magnitudine, contigit deſiderare: aut enim abſolutiſsimam Sanguinis Nobilitatem exoptent, aut exquirant æternum Nominis jubar, ingeniumque in ſuas pronum lucubrationes; an non in iis, quæ Te circumſident dotibus, etiam ſupra vota, hæc omnia, aliaque elegantiora colligi demirentur? Neminem latet pervetuſtam Stirpis Florentiſsimæ claritatem, per tot Magna Avorum Nomina ductam, in Te feliciùs indolem inſtituiſſe; libentique aggrederer calamo, per Majorum laudes, & virtutes excurrere, quarum omnium famulatum Tibi aſſeruiſti, niſi inconſultæ temeritatis eſſet, paginæ unius moliri ſtylo, quod non ſemel conſummata Codicum Sapientia deſperavit. Prætermittam igitur Domus

emeri-

Digitized by Google

emeritæ perennitatem: Titulos, & Inſignia, Belli, Paciſque Trophæa, nulla interjecta temporum mora, vi facinorum, ipſam ſupra invidiam ſublimia: obſequiumque in tanta laudum ſegete obmuteſcentis, omnium quidem ſibi dicteria ſubvereretur, niſi illud ſpem veniæ faceret, quòd Summorum Virorum geſta, humanum ſemel tranſgreſſa modum, haud facilè poſſunt dictis cujuſpiam exæquari. Innoteſcit remotiori etiam ſub axe ſepoſitis, quos Togis, & Haſtis, quos Senatibus, & Exercitibus, quos Terra Marique, quos Regum, & Cæſarum penetralibus, quos Tiaris, & Oſtro, quos denique Heroes ſupremo uſque Orthodoxorum Principatui inclyta PIGNATELLORVM Stirps condiviſerit. Ex quo ſi

dime-

dimetienda quæ Tibi lumina tanto cum Sanguine derivantur, ambiguum omnino compererim, uberiori ne laude Majorum præconiis datum ſit clarere, vel Tuis: adeo cum iis, quæ Te præceſſerunt gloriæ monumentis, illa congruunt, quæ comitantur. Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Magnificentiam, & quicquid uſquam ſublimium geniis animorum, vel conferat, vel augeat celebritatem, in Te decumana virtute eminere, non privata vox eſt, ſed publicæ admirationis, atque felicitatis: quæ, ſive Populorum profectui, Inſulas aſſecutum, magna ſedulitate incumbentem; aut Romanam rem apud exteros Principes ſumma dexteritate agitantem; vel ad Purpuræ apicem ſuffragiis meritorum eve-

ctum

ctum animadvertat; majora ſibi à Tua comitate incrementa, maxima Tibi præmia à ſupremo munerum Largitore ſperat, poſtulat, pollicetur. Hinc & mea tenuitas in eam erecta fidem veriùs, quàm ſpem, Te tot dotibus illam etiam adiicere, quæ ad Heroum normam Munuſculis doctrinam, præſertim utilitate conſperſam, præſeſerentibus indulgeat patrocinium; Opuſculum hoc, qualecunque ſit, auſa eſt Tuo Nomini nuncupare: id auſpicari pro Tuis meritis haud verita, ut qui Avos virtute antevertis, æques tandem, cùm tranſgredi nequeas, dignitate. Vale.

E. V.

Humillimus, & obſequentiſs. ſervus addictiſs.
Fr. Bonaventura Trotta à Veteri, &c.

Digitized by Google

LECTORI.

PRomiſſis jam conſto, Amice Lector, quodve ſpoponderam, damnatarum Propoſitionum examen, in lucem publicam adornatum, en tuæ verſatur ob oculos benignitatis; etſi ſapientiæ invidæ veriùs, quàm æmulæ, atque ad judicium æquitatemque vel tenuitate, vel odio imparis, dicteria proinde inania ſubiturum. Ne tamen, & tu, primo ſub intuitu, in ipſius tranſeas partes, cujus faſtum ea obtinuit conſuetudo, ut omnia, nomen non ſuum præſeferentia, contemptui habeat; ac propè crimini vertat, primum, aut ſecundum legere, vel oſcitanter: volo monitam, quā emines, comitatem, cujuſcunque ſenſum voluminis euulgati, id vitium ſua novitate concludere, quo moram ſaltem iniiciat obtrectaturo. Hanc in rem complurium Authorum doctrinam abſolutiſſimam non ſum neſcius abiiſſe: at vel materiei impietas ipſorum in ſe calamos excitaverit, ſive ad ſuum veritas acciverit patrocinium, aut illorum profectus, quorum muneris eſt, hujuſmodi damnationes percalluiſſe; iiſdem me etiam fateor actum ſtimulis: ratus id obtenturum, quòd etſi nil ſupra cèteros hiſce meis ingererem lucubrationibus; non tamen ſine uſu ſint; cùm ſaltem multitudini conferant, falſa dogmata obrutura, & in iſthæc ſtudia addictorum, utili ſaltem numero, iuvent commoditatem. Acceſſit Scoti doctrinam, qua, nil auſim aſſerere, inconſulta, inde uberiùs emicaturam: quippe eo fulta robore deprehendetur, quo monſtra, impio parta ſucceſſu temporum, eliduntur. Vis equidem non inefficax, quæ laborem, hoc titulo non inglorium, ad præla traheret; eidemque ſuorum juxta animum, ac exterorum curioſitatem demereretur. Hinc habes, quo excuſes Doctorum non adnotantem authoritates, nam quamvis omnium excellentiæ morem geram emeritum; tamen cùm ſen-

tentiis

Digitized by Google

entiis, quibus Subtilis affulſerit, aliam omninò lucem arbitrer ſuperfluere; in tantæ præſertim mentis obſequium, ab omni non ſua libuit abſtinuiſſe. Iam de prælis non immiſceo excuſationem, cùm eò ipſorum vitia invaluerint, ut errorum facundia cauſam potiùs agant, quàm arguant imprimentium. Vale.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Omnium Propoſitionum damnatarum,quæ in hoc opere continentur.

Tractatus primus de Propoſitionibus damnatis ab Alex. VII.

Prop.I. HOmo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum,ad eas virtutes pertinentium. p.2

II. Vir equeſtris ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. p.4

III. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Junii in Conciſtorio Sacræ Congregat. Eminentiſſ. Card. viſa, et tolerata eſt. p.6

IV. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſeculares ab hæreſi occulta, et ab excommunicatione propter eam incurſa. p.8

V. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis. p.10

VI. Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſolicitaſſe in confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus. p.11

VII. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis eſt: Si ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi. p.13

VIII. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petēti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentē: idq; poſt Decretū Urbani VIII. p.14

IX. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta. p.15

X. *Non eſt contra juſtitiam, pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, et ſacrificium unum offerre: Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiam ſi promittam promiſſione, etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.* p.17

Digitized by Google

XI Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere. p.19
XII. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id, Epiſcoporum facultate. p.21
XIII. Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato. p.22
XIV. Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. p.24
XV. Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. p.26
XVI. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab ordinario. p.28
XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, Calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit: uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, et coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. p.29
XVIII. Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare. p.31
XIX. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam. p.32
XX. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna. p.34
XXI. Habens Capellaniam, collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet. p.36
XXII. Non eſt contra juſtitiam, Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii; ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. p.37
XXIII. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat: putà quia non vult ſe ſubiicere præcepto. p.40
XXIV. Mollities, Sodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem. p.42
XXV. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem

Digitized by Google

non explicando copulam. p.45

XXVI. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles; poteſt Judex pecuniam accipere, pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* p.46

XXVII. *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica, tanquam improbabilem.* p.48

XXVIII. *Populus non peccat, etiam ſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.* p.50

XXIX. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jeiunium.* p.53

XXX. *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunii; nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio.* p.55

XXXI. *Excuſantur abſolutè à præcepto ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiam ſi iter unius diei conficiant.* p.57

XXXII. *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.* p.58

XXXIII. *Reſtitutio fructuum, ob omiſſionem horarum, ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.* p.60

XXXIV. *In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.* p.62

XXXV. *Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto: pro die præſenti, & craſtino.* p.63

XXXVI. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.* p.65

XXXII. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.* p.69

XXXIII. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali,* confitendi quamprimum, *eſt conſilium, non præceptum.* p.71

XXXIX *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.* p.74

XL. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.* p.75

XLI. *Non eſt obligandus Concubinarius ad eiiciendā Concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad obiectamentum Concubinarii, vulgò, regalo, dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tedio magno Concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile*

in-

inveniretur. p.78
XLII. Licitum eſt mutuanti, aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus. p.80
XLIII. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus, quàm decem annos. p.81
XLIV. Quò ad forum conſcientiæ, Reo correcto, eiuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ. p.82
XLV. Libri probibiti donec expurgentur, poſſunt retineri uſq; dum adhibita diligentia corrigantur. p.84

TRACTATVS SECVNDVS.

De propoſitionibus damnatis ab Innocentio XI.

Prop. I. NOn eſt illicitum, in Sacramentis conferendis, ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm non utendum eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. p.88
II. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe iudicare iuxta opinionem, etiam minùs probabilem. p.92
III. Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi; aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. p.95
IV. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili. p.96
V. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus. p.99
VI. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis, per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum. p.101
VII. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus. p.103
VIII. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum: modò non obſit valetudini; quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. p.106
IX. Opus coniugii, ob ſolam voluptatem exercitum, omni pœnitus caret culpa, ac defectu veniali. p.109
X. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. p.111
XI. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos. p.113

Digitized by Google

XII. *Vix in ſecularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.* p.116

XIII. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* p.117

XIV. *Licitum eſt, abſoluto deſiderio, cupere mortem Patris; non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* p.119

XV. *Licitum eſt filio, gaudere de parricidio Parentis, à ſe in ebrietate perpetrato; propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* p.120

XVI. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.* p.122

XVII. *Satis eſt, actum fidei ſemel in vita elicere.* p 124

XVIII. *Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo: tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.* p.126

XIX. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* p.128

XX. *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.* p.131

XXI. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.* p.132

XXII. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur, neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.* p.134

XXIII. *Fides latè dicta, ex teſtimonio creaturarum, ſimiliuè motivo, ad juſtificationem ſufficit.* p.136

XXIV. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* p.137

XXV. *Cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi; ſive res ſit levis, ſive gravis.* p.140

XXVI. *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis alium additum verum, revera non mentitur, nec eſt periurus.* p.142

XXVII. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium,*

rium, aut utile eſt, ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa. p.145

XXVIII. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. p.147

XXIX. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. p.148

XXX. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat. p.151

XXXI. Regulariter occidere poſſum furem, pro conſervatione unius aurei. p.154

XXXII. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus; ſed etiam ad quæ jus incboatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus. p.155

XXXIII. Licitum eſt tam hæredi, quàm legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere: ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam, contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem. p.157

XXXIV. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur. p.160

XXXV. Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur; ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. p.162

XXXVI. Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi. p.163

XXXVII. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere, ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt. p.166

XXXVIII. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta; quantumcunque ſit magna ſumma totalis. p.168

XXXIX. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati. p.171

XL. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem Perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri. p.173

XLI.

Digitized by Google

XLI. Cũ numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari. p.176

XLII. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolùm, ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum. p.178

XLIII. Quid nonniſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam, ſibi noxiam falſo crimine elidere? p.181

XLIV. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Etſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. p.183

XLV. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è cõtra. p.186

XLVI. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; immò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis. p.190

XLVII. Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò, locutione minùs propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando ſit converſus. p.191

XLVIII. Tam clarum videtur, formicationem ſecundùm ſe nullam involuere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur. p.195

XLIX. Mollities jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. p.198

L. Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum. p.200

LI. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti; putà ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur. p.203

LII. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo,

Digitized by Google

dato, ſi abſit contemptus. p.205

LIII. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas eius partes imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.* p. 207.

LIV. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad ſe minorem.* p.209

LV. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* p.211

LVI. *Frequens confeſſio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.* p.214

LVII. *Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.* p.217

LVIII *Non tenemur confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.* p.220

LIX. *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium qualis v.g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtivitatis, aut Indulgentiæ.* p.223

LX. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda; nec differenda abſolutio, dummodò ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.* p.226

LXI. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmo directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* p.229

LXII. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.* p.231

LXIII. *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali, noſtro, vel proximi.* p.233

LXIV. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiam ſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* p.236

LXV. *Sufficit illa Myſteria ſemel crediſſe.* p.239

TRACTATVS TERTIVS.

De Propoſitionibus damnatis ab Alexandro VIII. In primo Decreto.

I. **B***Onitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regula morum.*

Digitized by Google

morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ mortalis. p.241

II. Peccatum philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale eſt transgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. p.245

In ſecundo Decreto.

I. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua peccato originali, & libertate Adami peccantis. p.251

II. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali. p.253

III. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam. p.255

IV. Dedit ſemetipſum pro nobis obligationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus. p.257

V. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis, eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti. p.260

VI. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic, ut proinde meritò poſſimus petere, à gratia ſufficienti, Libera nos Domine. p.263

VII. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi, ſi Dei, Charitas Patris eſt, ſi Mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt. p 266

VIII. Neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare. p.269

IX. Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu. p.272

X. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens. p.274

XI. Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt. 276

XII. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiam ſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana. p.278

XIII. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charita-

ritate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur. p.280
XIV. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.* p.283
XV. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.* p.285
XVI. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio naturæ rei idipſum quodamodo dictantes.* p.287
XVII. *Per illam praxim mox obſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.* p.291
XVIII. *Conſuetudo moderna, quoad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiam ſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed ab uſu.* p.293
XIX. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.* p.294
XX. *Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.* 296
XXI. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus viuunt, de imponenda minis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.* p.299
XXII. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, anteqnam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.* p.301.
XXIII. *Similiter arcendi ſunt à ſacra communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.* p.304
XXIV. *Oblatio in Templo, quæ fiebat à B.M.V. in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quòd indiguerit Purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundùm verba legis.* p.306
XXV. *Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.* p.309
XXVI. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.* 312
XXVII. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus,* In nomine Patris, &c. *prætermiſſis illis,* Ego te baptizo. p.314
XXVIII. *Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit,* Non intẽdo facere, quod facit Eccleſia. p.317
XXIX. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani*

ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate. p.319

XXX. Ubi quis invenerit doctrinam, in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. p.321

XXXI. Bulla Urbani VIII. In Eminenti; *eſt ſubreptitia.* p.32[illegible]

FA-

FACULTAS ORDINIS.

Fr. Cœleſtinus de Mediolano Ordinis Minorum Regularis Obſer-ſervantiæ S. P. N. Franciſci Lector Jubilatus, in hac Ciſmontana Familia ejuſdem Ordinis Vice-Commiſſarius Generalis: Obſervantium, & Reformatorum Diſcretus perpetuus, & ſervus.

CUpiente R.P.F.Bonaventura à Veteri Provinciæ noſtræ Obſervantis Principatus Lectori Jubilato, & Cuſtode in lucem edere opus, cujus titulus eſt: *Brevis, & clara expoſitio, & impugnatio omnium, & ſingularum Propoſitionum, quæ damnatæ ſunt, &c.* quod de mandato noſtro à duobus Patribus Theologis reviſum, & approbatum fuit; tenore præſentium eidem debitam facultatem concedimus, quatenus idem opus, ſervatis de jure ſervandis, Typis mandare poſſit. Datis Romæ ex Aracœli die 6. Auguſti 1707.

Fr. Cœleſtinus Vice-Commiſſarius Generalis.

REVERENDISSIME PATER.

PAternitatis Tuæ Reverendiſſimæ nutibus obtemperaturi, opus, cujus titulus: *Brevis, & clara expoſitio, & impugnatio omnium, & ſingularum Propoſitionum, quæ damnatæ ſunt, &c.* Authore Adm. Rev. P. Bonaventura Trotta à Veteri, Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato, necnon hujus Obſervantis Provinciæ Principatus actuali Cuſtode, diligenter excurrimus. Et quidem, inoffenſo ubique pede; nuſquam enim quippiam offendimus, quod Orthodoxæ Fidei, boniſve moribus ſit obnoxium; quinimmo perſpicuam, ſolidamque doctrinam, qua, vel ab ipſis Moralis Theologiæ ſtudioſis, luxuriantia quorundam ingenia nullo queant negotio confutari. Quamobrem id operis, ad communem omnium utilitatem, publica dignum luce cenſemus; ſi ita videbitur Tuæ Reverendiſſimæ Paternitati. Datum Neapoli in Regali Conventu S. Didaci Fratrum Minorum Obſervantium, die 28. Julii 1707.

Reverendiſſimæ Paternitatis Tuæ

Addictiſſimi in Chriſto filii, & ſubditi
Fr. Antonius à Mazaria Lector Generalis, & publicus.

Fr. Hieronymus à Laurino Lector Jubilatus, & Min. Provincialis.

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE.

GLi'Heredi del qu. Michele Monaco ſupplicando eſpongono à V. Em. come deſiderano ſtampare un libro intitolato : *Brevis, & clara expoſitio, & impugnatio omnium, & ſingularum Propoſitionum, quæ damnatæ ſunt, &c.* Compoſto dal Molto Rev. P.Bonaventura Trotta da Vietri de'Minori Oſſervanti ; Per tanto ſupplica V.E.dar loro la ſolita licenza,e l'haverãno à gratia,ut Deus.

R. P: Magiſter Ambroſius Salvio Ordinis Prædicatorum revideat, & referat.Neapoli 1.Auguſti 1707.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D.Petrus Marcus Giptius Canonicus Deputatus.

EMINENTISSIME DOMINE.

OPus in tres Tractatus diſtinctum, cujus titulus: *Brevis, & clara expoſitio, & impugnatio omnium, & ſingularum Propoſitionum, quæ damnatæ ſunt, &c.* ab Adm. Reverendo Patre Fr. Bonaventura Trotta à Veteri Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato Provinciæ Principatus Minorum de Obſervantia Sancti Franciſci elaboratum, juſſu Em.V. legi, & præli luce dignum exiſtimavi ; in eo nanque effrenis probabilitatis errores damnatos, & quibus cuncta maleſanarum opinionum venena in animarum perniciem, & Eccleſiæ ſcandalum prodierunt, ipſe non ſublimitate ſermonis, nec humanæ eruditionis vallatus abundantia,ſed humili veritatis loquela, & rationum validitate dijiicit, dum detegit, ac dum exponit, exufflat. Typis mandari dignum arbitror, ni Eminentiſſimæ Veſtræ Dominationi aliter videbitur expedire : cui provolutus ad pedes, ſacræ oram Purpuræ exoſculans,me, meumque judicium ſubmitto. Neapoli in Regio Conventu S. Petri Martyris die 22. Auguſti 1707.

Fr.Ambroſius Salvio S.T. Mag.Ord.Prædicatorum.

Attenta ſupradicta relatione, Imprimatur. Neap.29. Auguſti 1707.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D.Petrus Marcus Giptius Canonicus Deputatus.

ECCEL-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE;

GL' Heredi del qu. Michele Monaco ſupplicando eſpongono à V.Ecc. come deſiderano ſtampare un libro intolato:*Brevis, & clara expoſitio, & impugnatio omnium, & ſingularum Propoſitionum, quæ damnatæ ſunt, &c.* Compoſto dal Molto R. Patre Bonaventura Trotta da Vietri de'Minori Oſſervanti;Per tanto ſupplicano V.E.dar loro la ſolita licenza,e l'haverãno à grazia,ut Deus.

Reverendus Pater Magiſter Henricus Saccardi videat, & in ſcriptis referat.

GASCOÑ R. ULLOA R.

Proviſum per S.E. Neap. 5. Octobris 1707.

Maſtellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

IUſſu Excellentiæ Tuæ perlegi opus inſcriptum: *Brevis, & clara expoſitio, & impugnatio omnium, & ſingularum Propoſitionum, quæ damnatæ ſunt, &c.* ab Admodum Reverendo Patre Fratre Bonaventura Trotta à Veteri Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato Provinciæ Principatus Minorum de Obſervantia Sancti Franciſci lucubratum: Fateor nihil,in eo,quod Regiam juriſdictionem lædat, me animadvertiſſe: totum eſt, ut ſanam doctrinam in mentibus fidelium firmet, & judicia Dei vera, ac juſtificata in ſemetipſa oſtendat. Dignum ergo illud Typis arbitror, & proficuum Reipublicæ; honor enim noſtri Regis judicium diligit, ut propugnetur fideliter à ſuis ſubditis, & diligatur fortiter. Neapoli in Regali Conventu Sancti Petri Martyris,die 18.Octobris 1707.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus, & addictiſſimus ſeruus
Frater Henricus Saccardo Ordinis Præd.

Viſa ſupradicta relatione, imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.

ANDREAS R. ULLOA R.

Proviſum per S.E.Neap.20.Octobris 1707.

Maſtellonus.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS

In quadragintaquinque Articulos diviſus:

De quadragintaquinque Propoſitionibus ab Alexandro Septimo damnatis.

DEcretum præfati Pontificis: *Feria quinta, die* 24. *Septembris* 1665. *In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro Divina Providentia Papa VII. &c.*

Sanctiſſimus D.N. audivit, non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit, alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret; idem Sanctiſſimus D.N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſollecitudine in rectam ſemitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sac. Theologia Magiſtris; & deinde Emin. & Reverendiſs. D.D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit. Qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis, uſque ad hanc diem, infraſcriptis Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim expoſuerunt.

ARTICULUS I.

Exponitur ſenſus primæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Prima Propoſitio damnata. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.*

1 SEnſus hujus propoſitionis, juxta mentem Authorum ipſius, eſt, neminem teneri ex vi præceptorum Fidei, Spei, & Charitatis, ſpectantium directè ad virtutes ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, elicere actus harum virtutum ſupernaturalium. Quare negant, ex his virtutibus oriri præcepta credendi, ſperandi, & diligendi. Hæc opinio tollit de medio præcepta Theologicarum virtutum per ſe, & directè obligantia ad credendum, ſperandum, & diligendum.

Oppugnatio hujus Propoſitionis.

2 SUppono tanquam certum apud omnes Theologos, Fidem ſupernaturalem *eſſe habitum intellectualem ad intellectum pertinentem, quo infallibiliter, & ſine ulla formidine credimus à Deo revelatis, ob authoritatem Dei revelantis.* D. Paulus autem ad Hæbr. 11. ait: *Fidem eſſe ſperandarum ſubſtantiam rerum argumentum non apparentium.* Spes verò, juxta noſtrum Doctorem Scotum in 3. diſt. 26. qu. un. §. *ad quæſtionem*, definitur, quòd *ſit habitus ſupernaturalis, quo deſideramus nobis bonum infinitum ſecundùm ordinem Divinæ Sapientiæ:* Charitas tandem *eſt virtus Theologica ſupernaturalis, qua diligimus Deum propter ipſum.* His ſuppoſitis,

3 Omnes quidem Doctores, & Theologi uniformiter ſentiunt, dari hujuſmodi præcepta Theologicarum virtutum diſtincta, tum à Decalogi, tùm ab Eccleſiæ præceptis; quibus tenemur credere Myſteriis revelatis, tenemur ſperare vitam æternam, & Deum ſuper omnia diligere. Et quidem horum actuum credendi, ſperandi, & diligendi productio ortum ducit à præceptis obligantibus ad credendum, ſperandum, & diligendum.

4 Quòd dentur hujuſmodi præcepta ſatis conſtat ex Scripturis. De præcepto Fidei patet ex illo Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant Te ſolum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Et idem cap. 3. *Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Et in Symbolo D. Athanaſii habentur expreſſi articuli credendi, ſicut in Symbolo Apoſtolorum: qui ex præce-

præcepto Fidei oriuntur. Quidam autem ex his ſunt credendi explicitè, & quidam implicitè. Explicitè credi debet, *Deum eſſe; Deum remuneratorem eſſe*: ut habetur ex D. Paulo ad Hæbræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Et inſuper *Deum incarnatum eſſe*. Ceteri articuli non neceſſariò credendi ſunt explicitè, ſed ſufficit, ſi credantur implicitè, ideſt credendo quicquid credit Eccleſia; & quicquid ipſa de Fidei dogmatibus decernit.

5 De præcepto Spei, patet ex eodem Apoſt. ad Titum 2. *Sobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem*: unde D. Auguſtinus tract. 33. in Joan. dixit: *Quàm multa nobis mandata ſunt de ſpe! quis poteſt omnia colligere?* Et idem Apoſt. 1. ad Timoth. 6. ait: *Divitibus hujus ſeculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum*. Ex quibus authoritatibus conſtat, eſſe certum hujus virtutis ſpei præceptum.

6 De præcepto Charitatis, patet ex illo Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: hoc eſt primum, & maximum mandatum. Secundum etiam ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Ex lumine naturæ notum etiam eſt hoc præceptum Charitatis, fundatum in illo principio: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris: & quæ vis tibi fieri, alteri facias*. Ex quibus doctrinis infero tanquam certum, non eſſe neganda præcepta virtutum Theologicarum diſtincta à ceteris præceptis, quibus tenemur credere, ſperare, & diligere.

7 Quòd autem hujuſmodi præcepta per ſe, & directè obligent ex vi præceptorũ Divinorum ad ipſas virtutes pertinentium, patet primò: vel præceptum credendi, ſperandi, & diligendi eſt affirmatiuum, vel negatiuum. Si affirmatiuum, eſtò non obliget ſemper, & pro ſemper ad electionem actuum; tamen obligat ſtatutis temporibus: ut poſtquam homo pervenerit ad uſum rationis: quando urget gravis tentatio provocans ad actus infidelitatis, deſperationis, & odii, oppoſitos actibus credendi, ſperandi, & diligendi: ſexies ſaltem in anno, & in mortis articulo, in quo majores ſunt tentationes (& hic eſt communis Theologorum ſenſus.) Si eſt negatiuum obligat ſemper, & pro ſemper; etſi non actu elicito, ſaltem ex propoſito eliciendi actum; nam ſemper, & pro ſemper tenemur ad non diſſentiendum Myſteriis revelatis, quoties iſta nobis proponuntur. Semper, & pro ſemper tenemur ad non deſperandum, quoties adverſa nobis occurrunt. Et ſemper, & pro ſemper tenemur ad non blaſphemandum, ad non odio habendum, quamvis paſſiones ad tale odium nos provocent. Hujuſmodi autem obligationes ſpectant directè ad virtutes Theologicas. Ergo præcepta

Digitized by Google

harum virtutũ,pro ut ad ipſas pertinent,directè,& per ſe obligant.

8 Secundò: quando omiſſio alicujus actus eſt peccatum, obligatio ad non omittendum oritur ex præcepto per ſe obligante ex inclinatione virtutis: ut ſi virtus Religionis inclinat ad auditionem Sacri in die feſto, ex qua oritur præceptum de audiendo Sacro, tunc obligatio de Sacro non omittendo, oritur ex præcepto obligante ad audiendum Sacrum. At omittere elicitionem actus Fidei, Spei, & Charitatis temporibus ſtatutis, ſi præceptum eſt affirmatiuum: ſemper,& pro ſemper, ſi eſt negatiuum,eſt peccatum. Ergo obligatio ad non omittendum tales actus oritur ex præcepto, proveniente ex ipſis virtutibus. Et ſic dum obligamur ad credendum, ſperandum, & amandum, (ſi obligatio eſt poſitiva): vel ad non eliciendum actum infidelitatis, deſperationis, & odii, (ſi præceptum eſt negatiuum): talis obligatio oritur à præceptis ad ipſas virtutes directè, & per ſe ſpectantibus.

Ex his apparet hujus damnatæ Propoſitionis falſitas, negantis debitum, pro toto tempore vitæ, ad eliciendum actum Fidei, Spei,& Charitatis ex vi præceptorũ,ad ipſas virtutes ſpectantium.

ARTICULUS II.

Exponitur ſenſus ſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Secunda Propoſitio damnata. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

9 Senſus hujus damnatæ propoſitionis, juxta mentem Authorum ipſius, eſt, virum equeſtrem, qui nobilitate pollet, ſi ab alio ſit provocatus ad duellum, poſſe illud licitè acceptare, ne reputetur timidus apud alios. Unde putant, quòd imputabilitas ad timiditatem ſit maximo detrimento nobilitati, & magnum viris equeſtribus afferat præjudicium.

Oppugnatio Propoſitionis.

10 Suppono apud omnes Doctores tanquam certum, *Duellum eſſe ſingulare certamen duorum, vel plurium, quod ex condicto, ſeu determinatione, aut promiſſione, uno provocante, ſeu movente, & altero acceptante, ſuſcipitur.* Ex qua definitione deducitur, duellum non eſſe vitæ defenſiuum, cùm voluntariè indicetur; ſed per ipſum vita periculo exponitur. Duobus caſibus exceptis, ſemper

per

Digitized by Google

per duellum eſt illicitum;imò per Concilium Trid.ſeſſ.25.de reformat. cap. 19. expreſsè damnatum, his verbis: *Deteſtabilis duellorum uſus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur*. Per hoc Concilium tam duellantes, quàm Patrini, conſilium præbentes, ſuadentes,& ſpectatores,excommunicantur. Poſt hoc Concilium adeſt ſpecialis Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Ad tollendum*. Acceſſit etiam conſtitutio,& Bulla ſpecialis Clementis VIII. incip. *Illius vices, licèt immeritò gerentes &c.*

11 Caſus, qui excipiuntur ſunt iſti. Primus, quando quis ſit provocatus ad duellum ſub minis, quòd niſi duellum acceptet, eſſet infallibiliter occidendus:ut ſi Titius dicat Cajo,aut duellum accepta indicendũ in tali loco,& pro tali die,& hora; aut nunc hic te occidam. In hoc caſu juſtum eſſet Cajo pro ſuæ vitæ defenſione duellum acceptare, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſcilicet quando aliunde vitam ſuam ſalvare non poſſet. Ratio hujus eſt, quia quilibet Jus naturale habet ad vitam ſuam tuendam. Secundus caſus eſt, quando Principes ex bono communi mutarent bellum in duellum. Ut ſi duo Principes inceperint bellum; & quia ex utraque parte multitudo militum mortua ſit;iccircò ne tot gentes pereant, ſe adinvicem concordent Principes, mutare bellum in duellum, ita ut pugna ſit inter duos tantùm. In hoc caſu licitum eſt duellum; quia tunc potiùs diceretur finis belli, quàm proprium duellum: & ſolùm duellum diceretur ſuccedere loco belli, & non ex propria duellandi malitia: & inſuper eſſet ad bonum publicum ſervandum. In aliis caſibus non eſt licitum.

12 Neque imputabilitas ad timiditatem poteſt excuſare virum equeſtrem à peccato, & excommunicatione lata. Nam hæc imputabilitas ſpectaret ad honorem equitis; ſed nemo poteſt licitè duellum acceptare ad ſuum defendendum honorem:Ergo non poteſt duellum Vir equeſtris acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Ultraquamquod, ſic provocatus nullam incurrit notam timiditatis, ſi duellum non acceptet; cùm dicere poſſet:quod mihi facere non licet, imò expreſsè prohibitum per leges Divinas, & Humanas, non faciam. Prudentes audientes hanc provocati reſponſionem, non poſſunt ipſum equitem imputare ad timiditatem. Imprudentes,etſi ei hanc notam impingant, tamen nequit pro hac nota timiditatis facere, quod non licet; & expreſsè prohibitum eſt; nam quilibet, etiamſi ſit magnus Princeps, potiùs reputandus eſt inter timidos, quàm, cum ſuæ animæ detrimento, duellum debeat acceptare.

ARTI-

ARTICULUS III.

Exponitur ſenſus tertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Tertia damnata Propoſitio eſt. *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Concilii, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conciſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium, viſa, & tolerata eſt.*

13 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, Eminentiſſimos Cardinales in quodam Conciſtorio habito 18. Julii 1629. toleraſſe illam ſententiam, qua quidam Authores affirmabant, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum contentorum in illa Bulla, quando hæreſis, & crimina ſunt publica; & non quando hæreſis, & crimina ſunt ſecreta. Quare prætendunt in hac re iſti Authores, per Bullam Cœnæ non fuiſſe Epiſcopis ſublatam facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta, prout Concilium Tridentinum eiſdem in ſeſſ.24. cap. 6. conceſſerat.

Oppugnatio Propoſitionis.

14 VT hujus propoſitionis falſitas innoteſcat, advertendum eſt, *hæreſim eſſe errorem voluntarium intellectus cum pertinacia voluntatis, circa veritatem Fidei Catholicæ*; & quidem aſſertus ab eo, qui fidem recepit. Unde ad faciendum actum aliquem hæreſim non ſufficit ſolus error voluntarius intellectus, quo quis vult tenere aliquam concluſionem erroneam circa veritatem fidei; ſed ulteriùs requiritur pertinacia voluntatis, qua ſcilicet quis certò ſciat, ſuam concluſionem eſſe contra veritatem Fidei Catholicæ, & adhuc perſiſtat in ſuo errore: ut ſi quis certò ſciret, quòd hæc propoſitio, *Deus eſt Incarnatus* ſit de Fide, & oppoſita huic ſit contra veritatem Fidei: ſi doceret, vel teneret, *Deum non eſſe Incarnatum*, jam pertinaciter id aſſereret, & hæreſim cōmitteret. Quare Theologi communiter volunt, *pertinaciam voluntatis in rebus Fidei eſſe deliberatum conſenſum in errorem, cum certa cognitione, quòd ſit contra id, quod Eccleſia tenet.*

15 Hac præmiſſa doctrina, pono differentiam inter propoſitionem hæreticam, temerariam, ſuſpectam in fide, & ſcandaloſam. Propoſitio hæretica eſt illa, quæ opponitur articulis Fidei, vel cui-

cunque

cunque Catholicæ veritati immediatè: hæc propoſitio, *Deus non eſt Trinus*, eſt hæretica, quia opponitur articulo Fidei, quo docemur, *Deum eſſe Trinum*. Propoſitio temeraria eſt illa, quæ licèt non immediatè opponatur articulis Fidei, vel Catholicæ veritati, tamen mediatè illis opponitur: quatenus deducitur ex principio oppoſito veritati Catholicæ: ut hæc propoſitio, *Deus poteſt invincibiliter ignorari*, non eſt hæretica; ſed cùm ſequi poſſet ex hac propoſitione, *Deum non eſſe*, quæ eſt hæretica, ideo prima temeraria dicitur. Propoſitio in fide ſuſpecta eſt illa, quæ licèt non ſit contra evidentem veritatem Fidei Catholicæ, habetur tamen prudens judicium judicandi cohærentiam habere huic, vel illi propoſitioni directè oppoſitæ veritati Catholicæ: ut hæc propoſitio, *Deus non ſemper eſt diligendus ſuper omnia*: dicitur iſta in fide ſuſpecta; quia poteſt haberi prudens judicium judicandi, hanc propoſitionem cohærere huic expreſsè contra fidei veritatem, ſcilicet, *Deus non eſt diligendus ſuper omnia*. Propoſitio tandem ſcandaloſa eſt illa, quæ eſtò non opponatur veritati Fidei Catholicæ, ſcandalum tamen infert audientibus talem propoſitionem, ut de facili, cum conſcientiæ præjudicio, poſſent illam ſequi. Vt hæc propoſitio, *non tenetur quis reſtituere, quando non poteſt*, non explicando impoſſibilitatem: ex qua propoſitione, qui poſſet reſtituere cum aliquo ſuo incommodo, non reſtitueret: & ſic ſcandalum afferret, cum animarum præjudicio.

16 Nunc probo falſitatem damnatæ propoſitionis. Nam Bulla Cœnæ, nedum prohibet abſolutionem ab hæreſi publica, ſed etiam occulta; quia hic caſus ſoli Pontifici reſervatur, & per Bullam Alexandri VII. ſublata fuit Epiſcopis facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, quæ per citatum Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. eis conceſſa fuerat; ſub his terminis: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus*. Et in fine; *idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis ſit permiſſum.* Secundò, peto, cuinam innotuerit, quod Cardinales in citato Conciſtorio tolerarunt illam ſententiam? Nam hoc non conſtat ex aliqua Conſtitutione, vel decreto tunc emanato. Ergo fruſtra recurritur ad id, quod eſt aliorum mẽtium interpretatiuum: cùm de facili poſſet quis temerè judicare. Neq; poſſet hoc deduci ex eo, quòd tunc oppoſitũ non fuerit damnatũ; cùm multa proponantur in E.E. Cardinaliũ Conciſtorio, quæ maturè perpẽduntur; nec ſtatim reſoluuntur, præſertim in materiis Fidei. Et quia fuit tẽpore Alexandri VII. hoc maturè diſcuſſum, iccircò hanc propoſitionem damnavit; & quidem nedum propter illam particulam *fuit tolerata*; (ut quidem prætendunt:) ſed etiam ex eo, quòd propoſitio afferat, Bullam

Cœnæ

Digitized by Google

Cœnæ tantùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando ſunt publica, non verò quando ſunt occulta. Nam, cùm Bulla Cœnæ exprimat hæreſes, hæreticos nimirum excommunicando: & aliunde ſoli Pontifici reſervet abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum in dicta Bulla contentorum: ut conſtat ex §. *ceterum à prædictis ſententiis nullus, præter Romanum Pontificem*; iccircò nullus, præter Romanum Pontificem, poteſt ab occultis criminibus contentis in Bulla Cœnæ abſolvere, & quidem propria authoritate, vel ex quocunque privilegio habito ante hoc decretũ Alex. VII. quod eſt derogatorium facultatis Epiſcopis conceſſæ per Conc. Trid. ſeſſ. 24. cit. Quòd autem hæc facultas abſolvendi à criminibus occultis, in Bulla Cœnæ contentis, ſit Epiſcopis ſublata: videri poſſunt Pignatellus, Fagnanus, aliique Doctores, qui dicunt, à multis Pontificibus poſt Concilium Tridentinum, præſertim à Greg. XIII. & Clem. VIII. fuiſſe Epiſcopis talem facultatem ſublatam.

ARTICULUS IV.

Exponitur ſenſus quartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quarta Propoſitio damnata. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſeculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

17 SEnſus hujus propoſitionis non diſtat ab antecedenti, cùm Authores putent, privilegia fuiſſe conceſſa Regularibus, & quidem Superioribus, ratione Prælationis, abſolvendi, tam ab hæreſi occulta, quàm ab excommunicatione contracta per talem hæreſim: & hoc in foro conſcientiæ tantùm, non in foro externo; quia ſeculares non ſunt Superioribus Regularibus ſubditi, quia judiciariam ſententiam nequeunt contra ſeculares ipſos ferre.

Oppugnatio Propoſitionis.

18 SUpponendum eſt pro majori evidentia falſitatis hujus damnatæ propoſitionis, hæreſim aliam eſſe publicam, & aliam occultam: hæc poſterior alia eſt interna, alia externa. *Hæreſis publica eſt publicus error cum pertinacia voluntatis contra Fidei Catholicæ veritatem*: hæc hæreſis præſertim oſtenditur in publicis concertationibus contra Fidem Catholicam, habitis ab ipſis hæreticis propugnantibus propoſitiones aliquas contra Fidem. Unde fit, quòd hæreſis oritur à publico hæretico, qui nec dogmati-

bus

Digitized by Google

bus Eccleſiæ credit, nec Fide vivit. *Hæreſis verò occulta, eſt ille error intellectus, cum pertinacia voluntatis, qui occultè fit contra dogmata, & veritatem Catholicæ Fidei*: ut ſi quis non coram aliis defenderet propoſitiones contra Fidei Catholicæ veritatem, ſed tantùm ſecretò, pertinaciter tenendo propoſitiones illas, oppoſitas veritati Catholicæ, eſſe veras, & dogmata noſtræ Fidei eſſe falſa. Hæreſis occulta interna eſt illa, qua quis internè aſſentitur aliquibus propoſitionibus oppoſitis catholicæ veritati, abſque ullo externo ſigno. Externa verò eſt illa, quæ ultra aſſenſum, dicit etiam externum ſignum: ut ſi quis proferat propoſitionem hæreticalem, vel illam occultè ſcribat; hujuſmodi prolatio propoſitionis, quamvis non variet rationem formalem hæreſis occultæ, ſicut neque Scriptura talis propoſitionis; facit tamen illam externam. Hac ſuppoſita doctrina,

19 Videtur certum apud omnes Doctores, multa privilegia fuiſſe Regularibus ſublata per Cōcilium Tridentinum, & per quaſdam Summorum Pontificum conſtitutiones. Vnde eſtò habuiſſent Superiores Regulares hanc facultatem, nunc talem non habent, abſolvendi ſcilicet ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione per illam contracta; & hoc quidem intelligitur quantùm ad ſeculares; quorum confeſſio audienda, & facultas abſolvendi non habetur, niſi ab Epiſcopo, juriſdictionem concedente. Et quia Epiſcopus nunc caret iſta facultate, per ſeipſum; à fortiori non poteſt illam aliis delegare, ut abſolvantur hæretici ab hæreſi occulta, quando præſertim eſt externa.

20 Sola difficultas oriri poteſt de Superioribus Regularibus, circa ſuos ſubditos; an ſcilicet eos abſolvere poſſint ab hæreſi occulta externa. In hac re ſunt duæ extremæ opiniones, una affirmans, plura adducens privilegia Superioribus Regularibus conceſſa, & non abrogata; imò de facto in praxim habita: inter quæ privilegia eſt hoc, quòd Regulares (exceptis aliquibus caſibus expreſſis in Bulla Cœnæ: ut ſchiſmate, hæreſi cum relapſu, falſificatione literarum Apoſtolicarum, delatione prohibitorum ad infideles, & conſpiratione in Romanum Pontificem) poſſunt ſuos ſubditos abſolvere ab aliis caſibus in Bulla Cœnæ contentis. Altera opinio eſt negativa, & fundatur in illis verbis præfatæ Bullæ Cœnæ Domini: *Non obſtantibus privilegiis &c.* & in illis aliis. *Ceterum à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem abſolvi poſſit.* Quænam ex his duabus ſententiis ſit tenenda: dico, primam eſſe probabilem, ſecundam tutiorem: at in Sacramentorum adminiſtratione ſemper tutior eſt tenenda.

ARTICVLVS V.

Exponitur ſenſus quintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinta damnata propoſitio. *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.* Intellige de hæretico occulto.

21 Senſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, ad obligationem denunciandi, etiam hæreticum, requiri, quòd denuncians poſſit probare delictum, de quo denunciatus imputatur. Eo prorſus modo, quo eſt obligatio denunciandi criminoſos de aliis criminibus coram Judice, ut delicta impunita non maneant.

Oppugnatio Propoſitionis.

22 Tanquam certum habeo cum communi Doctorum ſententia, quemlibet jure naturæ teneri ad tuendam Rempublicam, ne hæc peſtifero inficiatur morbo. Et quia nequit eſſe major infectio in Republica, quàm illa, quæ ortum ducit ab hæreſi, propter cõſcientiæ libertatẽ; ideo quilibet tenetur hæreſim expellere. Quod etiã conſtat ex Jure Can. cap. *Excommunicamus*, §. *Adiicimus inſuper, ut quilibet Archiepiſcopus, vel Epiſcopus per ſe, aut per Archidiaconum ſuum, aut alias honeſtas idoneaſque perſonas, bis, aut ſaltẽ ſemel in anno propriam Parochiã, in qua fama fuerit hæreticos habitare circumeat, & ibi tres, vel plures boni teſtimonii viros, vel etiam (ſi expedire videbitur) totam viciniam jurare compellat: quod ſi ſciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, ſeu à communi converſatione fidelium, vita, & moribus diſſidentes, eos Epiſcopo ſtudeat indicare.* Hæc habentur *in Decr. Greg. lib. 5. de hæret. tit. 7.* Quare ut certum eſſe debet apud omnes, obligationem ex duplici jure eſſe ad denunciandum hæreticum. Et ad hoc faciendum non requiritur, ut priùs præcedat fraterna correctio, ſicut in denunciatione aliorum criminum. Tum quia hæreticus ſupponitur incorrigibilis, & illaqueatus. Tum etiam quia, delictum eſt in primo capite.

23 Falſitas hujus propoſitionis conſtat primò, quia ſic denunciatus, & non probandus per duos ſaltem teſtes, non eſt cenſendus infamatus à denunciante, nec injuriatus; quia denuncians non movetur pravo animo, ſed ſolùm ob bonum commune Reipublicæ, &

Eccle-

Eccleſiæ Dei. Secundò, quia eſtò delictum probari non poſſit, poteſt dari caſus, quòd contra eundem denunciatum ſint aliæ denunciationes in Tribunali SS. Inquiſitionis; ratione quarum contra denunciatum deveniri poteſt ad torturam. Unde quamvis hæreticus ſit ita occultus, ut nullo modo probari poſſit de hæreſi criminoſus, adhuc eſt denunciandus; etiamſi hoc quis ſciat ſub quocunque ſecreto, etiam jurato (extra tamen Sacramentalem confeſſionem): nam ſi id ſciat per Sacramentalem confeſſionem, quamvis confeſſarius non poſſet hæreticum ipſum abſolvere, tenetur tamen ad ſigillum, quod in nullo caſu frangi poteſt.

Contra hanc propoſitionem expreſsè militat Decretum ejuſdem Alex. VII. ſpectans ad Sanctum Officium dat. ſub die 18. Julii 1660. quod incipit. *Licèt aliàs.* In quo ſub §.4. habentur hæc verba: *Propterea idem Sanctiſſimus declaravit, præfatos ſubditos abſque ulla participatione, etiamſi nulla petita venia à ſuperioribus, etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit, omninò teneri, & obligatos eſſe accedere ad denunciãdos Ordinariis, vel Inquiſitoribus locorum quoſcunque etiam confratres, ac ſuperiores, etiam primarios ſuos ejuſdem Ordinis, & Religionis, quos noverint eſſe de fide quomodolibet, etiam leviter ſuſpectos &c.* Per quæ ultima verba videtur eſſe obligatio denunciandi etiam in fide ſuſpectos.

ARTICVLVS VI.

Exponitur ſenſus ſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexta damnata Propoſitio. *Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione, tribuit pœnitenti chartam, poſtea legendam, in qua ad venerem invitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus.*

24 Senſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, confeſſarium non eſſe denunciandum, quando tantùm chartam tribuit pœnitenti, legendam poſt confeſſionem, in qua charta confeſſarius incitat pœnitentem ad actum venereum. Prætendunt Authores hujus propoſitionis, hunc actum exhibitionis chartæ, abſque explicita locutione, non eſſe ſolicitationem.

ARTICVLVS V.

Exponitur ſenſus quintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinta damnata propoſitio. *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.* Intellige de hæretico occulto.

21 Senſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, ad obligationem denunciandi, etiam hæreticum, requiri, quòd denuncians poſſit probare delictum, de quo denunciatus imputatur. Eo prorſus modo, quo eſt obligatio denunciandi criminoſos de aliis criminibus coram Judice, ut delicta impunita non maneant.

Oppugnatio Propoſitionis.

22 Tanquam certum habeo cum communi Doctorum ſententia, quemlibet jure naturæ teneri ad tuendam Rempublicam, ne hæc peſtifero inficiatur morbo. Et quia nequit eſſe major infectio in Republica, quàm illa, quæ ortum ducit ab hæreſi, propter cõſcientiæ libertatẽ; ideo quilibet tenetur hæreſim expellere. Quod etiã conſtat ex Jure Can. cap. *Excommunicamus*, §. *Adjicimus inſuper, ut quilibet Archiepiſcopus, vel Epiſcopus per ſe, aut per Archidiaconum ſuum, aut alias honeſtas idoneaſque perſonas, bis, aut ſaltẽ ſemel in anno propriam Parochiã, in qua fama fuerit hæreticos habitare circumeat, & ibi tres, vel plures boni teſtimonii viros, vel etiam (ſi expedire videbitur) totam viciniam jurare compellat: quod ſi ſciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, ſeu à communi converſatione fidelium, vita, & moribus diſſidentes, eos Epiſcopo ſtudeat indicare.* Hæc habentur *in Decr. Greg. lib. 5. de hæret. tit. 7.* Quare ut certum eſſe debet apud omnes, obligationem ex duplici jure eſſe ad denunciandum hæreticum. Et ad hoc faciendum non requiritur, ut priùs præcedat fraterna correctio, ſicut in denunciatione aliorum criminum. Tum quia hæreticus ſupponitur incorrigibilis, & illaqueatus. Tum etiam quia, delictum eſt in primo capite.

23 Falſitas hujus propoſitionis conſtat primò, quia ſic denunciatus, & non probandus per duos ſaltem teſtes, non eſt cenſendus infamatus à denunciante, nec injuriatus; quia denuncians non movetur pravo animo, ſed ſolùm ob bonum commune Reipublicæ, &

Eccle-

Eccleſiæ Dei. Secundò, quia eſtò delictum probari non poſſit, poteſt dari caſus, quòd contra eundem denunciatum ſint aliæ denunciationes in Tribunali SS. Inquiſitionis; ratione quarum contra denunciatum deveniri poteſt ad torturam. Unde quamvis hæreticus ſit ita occultus, ut nullo modo probari poſſit de hæreſi criminoſus, adhuc eſt denunciandus; etiamſi hoc quis ſciat ſub quocunque ſecreto, etiam jurato (extra tamen Sacramentalem confeſſionem): nam ſi id ſciat per Sacramentalem confeſſionem, quamvis confeſſarius non poſſet hæreticum ipſum abſolvere, tenetur tamen ad ſigillum, quod in nullo caſu frangi poteſt.

Contra hanc propoſitionem expreſsè militat Decretum ejuſdem Alex. VII. ſpectans ad Sanctum Officium dat. ſub die 18. Julii 1660. quod incipit. *Licèt aliàs.* In quo ſub §.4. habentur hæc verba: *Propterea idem Sanctiſſimus declaravit, præfatos ſubditos abſque ulla participatione, etiamſi nulla petita venia à ſuperioribus, etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit, omninò teneri, & obligatos eſſe accedere ad denunciãdos Ordinariis, vel Inquiſitoribus locorum quoſcunque etiam confratres, ac ſuperiores, etiam primarios ſuos ejuſdem Ordinis, & Religionis, quos noverint eſſe de fide quomodolibet, etiam leviter ſuſpectos &c.* Per quæ ultima verba videtur eſſe obligatio denunciandi etiam in fide ſuſpectos.

ARTICVLVS VI.

Exponitur ſenſus ſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexta damnata Propoſitio. *Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione, tribuit pœnitenti chartam, poſtea legendam, in qua ad venerem invitat, non cenſetur ſolicitaſſe in confeſſione; ac proinde non eſt denunciandus.*

24 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, confeſſarium non eſſe denunciandum, quando tantùm chartam tribuit pœnitenti, legendam poſt confeſſionem, in qua charta confeſſarius incitat pœnitentem ad actum venereum. Prætendunt Authores hujus propoſitionis, hunc actum exhibitionis chartæ, abſque explicita locutione, non eſſe ſolicitationem.

Oppugnatio Propoſitionis.

In primis notanda eſt ſequens Bulla contra ſolicitantes.

GREGORIVS PAPA XV.

25 *VNiverſi Dominici Gregis curam &c. ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſeculares, quàm regulares cujuſcunque dignitatis &c. qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confeſſionis, (ſive ante, ſive poſt immediatè, ſive occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Sacramentali confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis, in confeſſionario, aut loco quocunque, ubi confeſſiones Sacramentales audiantur, ſive ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire) ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint; in Officio SS. Inquiſitionis ſeveriſſimè, ut infra puniantur &c. Mandantes omnibus confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra ſolicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus ſeu locorum Ordinariis prædictis. Quòd ſi hoc officium prætermiſerint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum confeſſarios ſolicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra; iidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant, &c.*

26 Hæc eſt ſumma Bullæ contra ſolicitantes editæ à Gregorio XV. quæ valdè notanda eſt, ad cognoſcendum, in quibus caſibus confeſſarius, ut ſolicitator denunciandus ſit. Ex hac Bulla evidenter conſtat, quòd confeſſarius tradens chartam, in Sacramentali confeſſione, pœnitenti, poſtea legendam, in qua ad venerem invitat mulierem pœnitentem, cenſetur illam ſolicitaſſe. Primò, quia chartam illam tradit occaſione Sacramentalis confeſſionis. Secundò, quia eſtò in loco confeſſionis, ſeu ubi pœnitens confitetur, non eſt incitata, tamen in illo per chartam provocatur. Tertiò, quia poſt confeſſionem immediatè, pœnitens legendo chartam illam incitatur ad actus venereos. Et quia per ſupradictam Bullam cenſentur ſolicitare, tam qui in actu Sacramentalis confeſſionis provocant ad actus venereos, quàm qui in loco, ubi confeſſiones audiuntur, id faciunt; quàm etiam qui poſt confeſſionem immediatè; iccircò in caſu poſito, quòd confeſſarius in actu Sacramentalis confeſſionis tradit chartam legendam poſt confeſſionem, in qua incitat ad actus venereos, jam cenſendus eſſet ſolicitator; & ſic erit denunciandus.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Exponitur ſenſus ſeptimæ Propoſitionis , & ejus falſitas demonſtratur.

Septima damnata Propoſitio. *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis,eſt:ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante, hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi.*

27 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt ,quòd ſi Berta V.G. à Cajo confeſſario eſſet ſolicitata;ut ipſa Berta evadat obligationem denunciandi Cajum ſolicitantem, ſufficiat,ut Berta cum Cajo confiteatur , & ab eodem abſolvatur. Vnde Authores hujus propoſitionis putant , Bertam tunc nullam habere obligationem denunciandi.

Oppugnatio Propoſitionis.

28 EX ipſa enormitate,& gravitate criminis conſtat falſitas hujus propoſitionis damnatæ ; dum aſſerit, pœnitentem ſolicitatum evadere obligationem denunciationis, ſi confiteatur cum eodem confeſſàrio ſolicitante. Tum quia, confeſſarius eſt in crimine illo ſolicitationis delinquens ; & iccircò non poteſt Iudicis officiũ exercere: aliàs ordo juris inverteretur. In hoc ergo caſu,ſi pœnitens ſolicitata diceret :*ſolicitata fui in actu Sacramentalis confeſſionis* : deberet confeſſarius eam obligare ad denunciandum confeſſarium ſolicitantem . Ratio potiſſima eſt; quia jus commune præferendum eſt juriparticulari,& bonum publicũ bono particulari: obligatio autem denunciãdi oritur ex bono publico ſpirituali fidelium, ſpectante ad reverentiam præſtandam Sacramento pœnitentiæ.Tum tandem quia,etiam dato(quòd nunquam concedi debet),confeſſarium ſolicitantem abſolvere pœnitentem ſolicitatam; tamen ipſa pœnitens ſolicitata non diceretur ſoluta , nec abſoluta ab obligatione denunciandi ; quia obligatio denunciandi oritur ex crimine contra bonum publicum ſpirituale commiſſò,& contra reverentiam Sacramento exhibendam: adeoque ſi abſolveretur pœnitens ſolicitata in actu Sacramentalis confeſſionis ab eodem confeſſario ſolicitante, non diceretur abſoluta, nec ſoluta eſſet ab obligatione denunciandi.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Exponitur ſenſus octavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Octava damnata Propoſitio. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem, etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem: idque poſt decretum Urbani VIII.*

29 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, poſſe Sacerdotem pro una, eademque Miſſa accipere duplex ſtipendium: unum pro parte unius, qui primo ſtipendium dat, quæ eſt pars libera Sacerdotis, pro qua licitè accipere poteſt mercedem, & ſtipendium: alterum pro illa parte Miſſæ, quæ correſpondet ipſi Sacerdoti, âbnegando ſcilicet pro ſeipſo fructus illius partis ſacrificii, qui ad ipſummet Sacerdotem ſpectare debet. Et hoc quidem putant valere poſt emanatum decretum Vrbani VIII. in contrarium.

Oppugnatio Propoſitionis.

30 PRo hac oppugnanda propoſitione, ſuppono ea, quæ dixi in materia de Iuſtitia, & Iure, Sacerdotem poſſe licitè accipere ſtipendium pro Miſſa celebranda, quia tale ſtipendium recipit in juſtum laborem, juxta illud Apoſtoli: *Qui Altari ſervit, de Altari vivere debet*. Neque in hoc caſu ſimoniam committit; quia nec ſacrificium, nec ſacrificii applicationem vendit pretio temporali, ſed pretium illud pro ſui ſuſtentatione accipit, vel pro labore extrinſeco, qui labor temporalis eſt. Et hoc valet, ne dum de Sacerdote paupere, ſed etiam divite: nam dives non tenetur ſuum laborem gratis dare, eo quia dives eſt; ſed poteſt, ſi vult, juſtam accipere ſui laboris mercedem, non obſtante, quòd ſit dives. De hàc re plura dixi in materia de Beneficiis loc. cit. diſp. 7.

31 Inſuper ſuppono, Juſtum ſtipendium pro Miſſa celebranda illud eſſe, quod eſt determinatum per decreta S. C. C. *de celebrat. Miſſarum*; & eſt in praxi poſitum per Epiſcopales Synodos: ut Romæ eſt Julius; in hac Civitate, ſicut in toto Neapolitano Regno, eſt unus carolenus. Quare fit, quòd ſi daretur pro ſtipendio Miſſæ, Romæ infra Julium, & in hoc Regno infra carolenum, jam ſtipendium non eſſet juſtum. Unde fit, quòd, ſi quis infra carolenum daret alicui Sacerdoti pauperi, pro ſtipendio Miſſæ, ut non poſſet ipſe

ipſe Sacerdos cum tali tenui ſtipendio vivere; dans peccaret, quando obligationem haberet faciendi Miſſas celebrare, vel ex legato, vel ex voto:non tamen peccaret,ſi ſcilicet pro Miſſæ celebratione ſtipendium illud impenderet,ex ſola devotione. Nunc

32 Impugno propoſitionem damnatam hoc medio: vel Sacerdos vellet pro una Miſſa duplex ſtipendium accipere, quia unum eſt tenue, & inſufficiens pro ſua ſuſtentatione; vel quia ſupponit, hoc fieri poſſe, ſatisfaciendo pro ſecundo ſtipendio, cum illa parte Miſſæ ipſi Sacerdoti celebranti correſpondẽte.Ex neutro autem capite poteſt eſſe licitũ accipere duplex ſtipendium pro una Miſſa. Non quidem ex primo capite; nam obligatio celebrandi Miſſàm ex intẽtione unius perſonæ, ex pacto facto de tanto,vel tãto ſtipendio oritur ex juſtitia, & quidem rigoroſa. Ergo quamvis ſtipendium ſit tenue, & non ſufficiens pro Sacerdotis ſuſtentatione,non poteſt tamen pro una Miſſa duplex ſtipendium accipere. Tum etiam quia: tenuitas ſtipendii, ſicut non ſolvit Beneficiarium ab obligatione ſervandi ea, quæ ſunt Beneficio annexa; ut recitare officium, choro intervenire (& ſi eſt curatum) reſidere in loco Beneficii;ita neque ab obligatione celebrandi Miſſam ſolvit Sacerdotem. Ratio eſt, quia utrobique obligatio oritur ex virtute Juſtitiæ.

Neque oriri poteſt ex ſecundo capite: in primis, quia ſuppoſitum adverſariorum eſt falſum,cùm virtuti Juſtitiæ adverſetur.Imò eſt contra emanatum decretum per Sacram Congreg. *de celebratione Miſſarum.* Secundò, quia applicare illam partem correſpondentem Sacerdoti celebranti (quæ eſt fructus ſpiritualis cadens in beneficium ipſius Sacerdotis celebrantis), idem eſſet, ac vendere ſpirituale pro temporali: at vendere ſpirituale pro temporali eſt ſimonia; ideo nequit Sacerdos licitè duplex ſtipendium accipere pro una Miſſa, etiam applicando ſpecialiſſimam fructus partem, ipſi celebranti correſpondentem.Totum hoc eſt certum per decreta cit.*de celebratione Miſſarum*:& per Bullas contra ſimoniam.

ARTICULUS IX.

Exponitur ſenſus nonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Nona damnata Propoſitio. *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.*

33 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, poſſe Sacerdotem, qui pro Miſſa celebrãda acceperit ſtipendium, V.G.unius

carol-

caroleni cum dimidio, dare alteri Sacerdoti unum carolenum tantùm, ut Miſſam illam celebret, retenta altera medietate ſupra carolenum pro ſeipſo. Putant hujus propoſitionis Authores, hoc fuiſſe permiſſum, poſt decretum Vrbani VIII. oppoſitum decernentis.

Oppugnatio Propoſitionis.

34 Contra hanc propoſitionem primò militat decretum Sacræ Congregationis de celebratione Miſſarum editum ſub Vrbano VIII. & ampliatum ab Innoc. XII. incip. *Nuper à Sac. Congreg.* In quo decreto ſunt hæc expreſſa verba: *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retẽta, celebrandam committat*. Hoc autem decretum eſt fundatum ſupra illud Vrbani VIII. Quare malè inferunt Authores damnatæ propoſitionis, quòd licitum ſit Sacerdoti, poſt decretum Vrbani, cui traduntur Miſſæ celebrandæ, per alium ſatisfacere, retento &c. Nam ſi poſt Bullam Vrbani VIII. id prohibentis, permiſſum eſſet retinere pro ſeipſo partem ſtipendii, deberent Authores iſti oſtendere decretum revocatorium decreti Vrbani: quod eſt omninò chimericum.

35 Militat etiam contra hanc propoſitionem ratio deſumpta ex virtute juſtitiæ. Nequit enim à Sacerdote licitè fieri, quod eſt directè contra Iuſtitiã: Atqui contra Iuſtitiam eſt, ſi Sacerdos faciat per alium ſatisfacere Miſſam, collato huic minori ſtipendio, retenta pro ipſo accipiente altera parte. Quod patet, quia tradens eleemoſynam pro Miſſa celebranda, dat illam pro juſto ſtipendio celebrantis; & pro labore ipſius celebrantis. Ergo quoties Miſſa non celebraretur ab ipſo accipiente, non poſſet licitè pro ſeipſo partem ſtipendii retinere: præſertim quia, & faceret contra mentem dantis, intendentis totum illud ſtipendium valiturum pro ſatisfactione Miſſæ celebrandæ; & etiam præjudicium afferret ei, cui conferret minus ſtipendium. Et quanquam Sacerdos, cui daretur minus ſtipendium cederet juri ſuo voluntariè, (ut ſi ob ſuam paupertatem diceret alteri Sacerdoti: da mihi ſtipendium pro Miſſa, quam celebrare intendo hac die, & retine pro te alteram ſtipendii partem, quam habuiſti): tamen non poſſet juſtè juri ſuo cedere, ſtante ſcientia maioris pretii, & aviditatis alterius Sacerdotis; quia eſſet in præjudicium, & fraudem dantis eleemoſynam; ſicut etiam in præjudicium Sacrorum Canonum. Imò talis Sacerdos, qui ſic cederet juri ſuo, peccaret; quia eſſet cauſa peccati alterius Sacerdotis, pro ſeipſo retinentis alteram partem ſtipendii. Solùm à peccato poſſet excuſari, ſi Sacerdos, qui Miſſam celebraret, non moveret alterum Sa-

Sacerdotem, ad retinendam alteram ſtipendii accepti partem: & abſque ſcientia aviditatis Sacerdotis retinentis illam partem, ſuſciperet ſuum juſtum ſtipendium, & Miſſam celebraret. Et per hæc patet juſta damnatio Propoſitionis.

36 Solùm excipitur ab hac re caſus Rectoris Beneficii:ut ſi Titius eſſet Rector Beneficii pro ipſo fũdati,vel ſibi collati cum oneribus Beneficio annexis; tunc ſi Rector Beneficii non poſſet Miſſas aliquas,vel etiam omnes celebrare, poſſet illas per alium ſatisfacere, collato illi juſto ſtipendio,pro ſeipſo retenta parte ſuperante juſtum ſtipendium. Primò hoc ratione patet, quia totum illud ſtipendium Rectori collatum, non ſolùm eſt pro Miſſa celebranda, ſed etiam pro aliis obligationibus Beneficio annexis:ut habere curam animarum, canere in Choro, officium recitare, &c. Vel ſi eſt liberum abſque ullo onere, & ſolùm conceſſum in ipſius Beneficiarii ſuſtentationem: ut contingit quandoque in Beneficiis fundatis pro conſanguineis deſcendentibus à linea fundatoris; tunc etiam poteſt Beneficiarius pro ſua ſuſtentatione partem ſuperantem retinere. Hoc de Beneficiariis etiam conſtat, ex decret. Sac. Congreg. Concil. Trid. interp. in reſp. ad octauum dubium: ubi decernit, poſſe Rectorem Beneficii pro ſeipſo retinere partem ſuperantem, collato juſto ſtipendio pro Miſſa celebranda, his verbis: *Ad octauum. Non habere locum; ſed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ: niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit.*

ARTICVLVS X.

Exponitur ſenſus decimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decima damnata Propoſitio. *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem: etiamſi promittam, promiſſione juramento firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.*

37 SEnſus hujus propoſitionis continet duas partes. Prima, quòd non ſit contra juſtitiam offerre unum ſacrificium pro pluribus ſtipendiis receptis, cum promiſſione offerendi plura ſacrificia. Secunda, quòd hoc non ſit contra fidelitatem, etiam ſtante promiſſione facta cuicunque conferenti ſtipendium, quòd ſcilicet pro ipſo conferente, & non pro alio offeratur ſacrificium: & non ſola nu-

Digitized by Google

da promiſſione,ſed etiam juramento firmata.Hoc prætendunt Authores hujus damnatæ propoſitionis.

Oppugnatio Propoſitionis.

38 PRima pars propoſitionis eſt ex terminis falſa. Primò, quia ad peccandum contra juſtitiam ſufficit, ut quis rem alienam retineat, vel mala fide poſſideat, invito rationabiliter Domino. Hoc expreſsè colligitur ex omnium Theologorum, & Canoniſtarum doctrina. Qui ergo pro pluribus ſacrificiis plura ſtipendia accipit, & poſtea unum tantùm ſacrificium offert, jam aliena retinet, & mala fide poſſidet, invito rationabiliter Domino; nam qui ſtipendium dat pro duabus Miſſis celebrandis, vult, ut duæ, & non una ſolùm celebretur. Ergo quando tantùm una celebraretur,non vellet, quòd ſtipendium pro altera datum retineatur, & Miſſa non celebretur. Secundò, quia dans ſtipendium pro duabus Miſſis celebrandis,jus acquirit contra celebrantem; nec tale jus extinguitur, donec Sacerdos illas celebraverit; atque ideo Sacerdos, celebrando tantùm unam Miſſam pro ſtipendio duarum, facit contra jus dantis: Ergo peccat contra juſtitiam, & debitum eius non eſt extinctum. Nulla itaque ratione liberari poteſt à peccato contra juſtitiam Sacerdos, qui accipit ſtipendium pro pluribus Sacrificiis, & unum tantùm offert.

39 Ultraquamquod hoc corroborari poteſt paritate Beneficiariorum. Si Beneficiarii reciperent fructus ex Beneficio provenientes, & non adimplerent id, quod ex Beneficio adimplere tenentur, peccarent contra juſtitiam,& ad reſtitutionem tenerentur: ut conſtat ex pluribus locis Concilii Tridentini in Capitibus de reform. Et hoc, quia in collatione Beneficii ſuſcipiunt onus illud Beneficio annexum. Ita ſimiliter dicendum in propoſito: quia Sacerdos, accipiendo ſtipendium pro celebratione plurium Miſſarum, ſuſcipit onus illas celebrandi; ſi illas non celebrat, peccat contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur.

40 Secunda pars etiam eſt falſa ex terminis. Fidelitas nanq; eſt virtus inclinans ad obſervandum promiſſum. Dum Sacerdos accipit ſtipendium pro pluribus Miſſis celebrandis, promittit danti ſtipendium, ſe plures Miſſas celebraturum, juxta ipſius dantis voluntatem: Ergo quoties non plures, ſed unam tantùm Miſſam celebraret, faceret contra promiſſum: Ergo contra fidelitatem peccaret. Imò, ſi juraret in promittendo, ultra peccatum contra fidelitatem,quod committeret, eſſet etiam periurus: quia eſſet iuramentum liberè factum, de re licita, & ex iuſtitia debita; & in contractu

Digitized by Google

tractu promiſſorio obligante utrumque contrahentem ad obſervandum promiſſum. Vnde concludendum eſt, Sacerdotem, qui ſtipendium accipit pro offerendis pluribus Sacrificiis, ſi unum tantùm offert, peccare, & contra iuſtitiam, & contra fidelitatem. Contra hanc propoſitionem decimam recurrunt, & militant decreta ſupra citata de celebratione Miſſarum.

ARTICVLVS XI.

Exponitur ſenſus undecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vndecima damnata Propoſitio. *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita, ob inſtans periculum vitæ, ſeu ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.*

41 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ſi quis in una confeſſione aliquod peccatum omitteret, ob periculum vitæ, quod pœnitens dubitaret ſibi imminere, ſi huic confeſſario tale peccatum manifeſtaret; vel ob aliam cauſam, in qua licitum ſit, confeſſionem dimidiare; putant Authores huius propoſitionis, non teneri pœnitentem in alia confeſſione ipſum peccatum omiſſum exprimere. Et inſuper putant, quòd ſi quis in prima confeſſione alicuius peccati obliviſceretur, non teneretur illud exprimere in ſequenti confeſſione. Vtrumque aſſertum eſt falſum, & erroneum.

Oppugnatio Propoſitionis.

42 VT conſtat in ſenſu damnatæ Propoſitionis, duas hæc habet partes. Prima, qua volunt Authores illius, pœnitentem non teneri in confeſſione ſequenti aperire, & exprimere peccatum omiſſum in prima confeſſione, ob inſtans vitæ periculum, vel ob aliam cauſam, quam iuſtam putant. Secunda, qua prætendunt, peccatum oblitum in prima confeſſione, de quo poſtea recordatur, non eſſe in ſecunda ſequenti confeſſione exprimendum.

43 Vtraque pars Propoſitionis damnatæ deſtruit integritatem confeſſionis, tum materialis, tum formalis. Vbi ſuppono breviter, integritatem materialem confeſſionis in eo conſiſtere, quòd quis omnia peccata, ex prævio conſcientiæ examine, confiteatur, ſecundùm numerum, ſpeciem, & circumſtantias, præſcindendo à peccatorum dolore. Quare, ut confeſſio ſit materialiter integra, ſufficit, ut peccata omnia pœnitens confiteatur. Integritas verò formalis

confeſſionis conſiſtit in eo,quòd quis omnia, quæ memoriæ occurrunt,confiteatur peccata,ex prævio conſcientiæ examine,cum formali dolore eorundem peccatorum. Vnde fit,quòd deficiente dolore, confeſſio poterit eſſe materialiter integra, ſed invalida: & quandoque poſito dolore formali,& quidem ſupernaturali, etiamſi non eſſet integra materialiter, vel ob memoriæ defectum, poſito diligenti conſcientiæ examine; vel ob timorem periculi imminentis, cum propoſito tamen quamprimum confitendi; poterit eſſe formaliter integra,& valida. At in hoc ſecundo caſu, in quo pœnitens, ob evidens periculum,relinqueret peccatum in prima confeſſione,deberet de illo dolere,cum propoſito non ampliùs illud committendi.

44 His itaque notatis, contra utranque Propoſitionis damnatæ partem arguo. Primò contra primam. Licèt iuſtum ſit motiuum in prima confeſſione occultandi peccatum, ratione imminentis periculi,ut nimirum nullum alium habeat pœnitens confeſſarium,coram quò poſſit integram confeſſionem materialiter facere,& illam faciat integram formaliter; tamen remanet in pœnitente obligatio ad exprimendum illud peccatum omiſſum, in ſequenti confeſſione. Ratio eſt,quia ut conſtat ex verbis Conc.Trid. ſeſſ.14. cap.5. *de confeſſ.* confeſſio debet eſſe integra tum formaliter, quò ad perfectum omnium peccatorum dolorem; tum materialiter, quò ad omnia peccata, quæ momoriæ veniunt, præmiſſo diligenti examine. Quare,dum ob iuſtum motiuum prima confeſſio poſſet fieri ſine integritate materiali, non per hoc pœnitens remaneret ſolutus ab obligatione manifeſtandi illud peccatum omiſſum, in confeſſione ſequenti, dum periculum ceſſaverit. Et in tantùm prima confeſſio eſſet integra formaliter, non obſtante omiſſione illius peccacati,propter juſtum motiuum,in quantùm in pœnitente adeſt propoſitum,peccatum illud quamprimum confitendi:quòd ſi tale propoſitum non adeſſet, non diceretur confeſſio formaliter integra; quia dolor de peccato omiſſo eſt cum propoſito illud confitendi, & non ampliùs committendi.

45 Contra ſecundam partem propoſitionis ſic arguo. Peccatum oblitum in prima confeſſione, quamvis non invalidavit illam confeſſionem, ſuppoſita integritate formali, ſcilicet dolore habito, etiam de illo oblito peccato; tamen ſi de eo pœnitens non faceret nouum actum doloris, ipſum manifeſtando in ſequenti confeſſione, hæc ſecunda confeſſio eſſet omninò invalida, tam quò ad integritatem materialem, quia peccatum illud non manifeſtaretur; quàm quò ad integritatem formalem, quia cùm illud malitioſè omitteret, non haberet de eo neceſſarium dolorem. Quod patet,

nam

ram in tantùm in prima confeſſione excuſatur pœnitens ab invaliditate confeſſionis, in quantùm ſupponitur, moralem adhibuiſſe diligentiam per prævium examen, ut omnium peccatorum ſuorum recordaretur; & dum non recordatur, ſuppletur defectus oblivionis per dolorem de peccato oblito: Ergo quando poſt confeſſionem factam, illius recordatur, non excuſatur, ut in ſequenti confeſſione non debeat illud manifeſtare. Ratio potiſſima eſt, quia peccatum oblitum in una confeſſione eſt materia neceſſaria ſubſequentis confeſſionis, dum illius pœnitens recordatur. Ex his deducitur falſitas illius damnatæ propoſitionis, quò ad utramque partem.

ARTICULUS XII.

Exponitur ſenſus duodecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Duodecima damnata Propoſitio. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.*

46 Senſus hujus propoſitionis eſt, quòd Mendicantes habeant privilegia abſolvendi à caſibus reſervatis Epiſcopis; & quoties facultatem habent ab iiſdem Epiſcopis audiendi confeſſiones, toties talis facultas ſe extendit etiam ad caſus reſervatos, abſque nova facultate ab Epiſcopis obtinenda. Hoc putant Authores hujus damnatæ propoſitionis.

Oppugnatio Propoſitionis.

47 HVjuſmodi propoſitio expreſsè obſtat determinationi Concilii Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. incipien. *Quoniam igitur natura:* his verbis: *Extra quem articulum (ſcilicet mortis), cùm nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores, & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant.* Ex quibus verbis apertè apparet, Concilium, extra caſum in mortis articulo, prohibere omnibus Sacerdotibus, tam ſi ſint ſeculares, quàm ſi ſint Mendicantes, abſolutionem à caſibus reſervatis. Vnde in nullo caſu (ut etiam deducitur ex quodam decreto Clementis VIII.) cujuſcunque neceſſitatis, extra mortis articulum, poteſt abſque facultate Epiſcopi Sacerdos, quicunque ſit, à reſervatis abſolvere. Et dum vigeret neceſſitas metus mortis in pœnitente, niſi tum temporis abſolveretur: ut V. G. ſi mulier abortum fecerit, de

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

de quo maritus ſuſpicionem haberet, ſi eam tunc non videret abſolvi; confeſſarius credendo dicto mulieris manifeſtantis metum mortis, poſſet eam abſolvere directè ab aliis peccatis, & ſolùm indirectè à reſervato. Et pro abſolutione directa à caſu reſervato, vel debet mulierem pœnitentem obligare ad comparendum coram Epiſcopo, ut abſolutionem recipiat à reſervato: vel debet ipſe Confeſſarius facultatem petere abſolvendi à tali caſu reſervato. Quare irrationabiliter, & ſine fundamento, Authores iſtius propoſitionis aſſerunt in Mendicantibus poteſtatem abſolvendi à reſervatis Epiſcopo, non obtenta ab eo ſpeciali facultate.

48 Ultra hanc Concilii determinationem, adeſt evidentiſſima ratio; quia Mendicantes quantùm ad exercendum munus audiendi confeſſiones ſunt Epiſcopo ſubditi, ita ut non poſſint ſecularium confeſſiones audire, ſine Epiſcopi facultate; ut per Conc. decreta ſancitum eſt: Ergo neque poſſunt à caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere, abſque ipſius Epiſcopi facultate. Conſequentia ſequitur, quia, ſicuti Epiſcopus, ut Superior Ordinarius, dare debet facultatem, ut exerceatur actus ſuæ juriſdictionis in audiendis confeſſionibus, ita nonniſi ipſe, qui à tali facultate aliquos exceperit caſus, poteſt facultatem concedere, ut Mendicantes, & quicunque Sacerdotes ab illis poſſint abſolvere.

49 Ad hanc propoſitionem impugnandam militat Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 11. ubi habetur: *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere Jus reſervandi ſibi caſus, niſi quò ad externam politiam; atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quò minùs Sacerdos à reſervatis verè abſolvat: anathema ſit.* Canon iſte ponderandus eſt, præſertim in ultimis verbis, ex quibus falſitas damnatæ propoſitionis clarè oſtenditur.

ARTICULUS XIII.

Exponitur ſenſus tertiædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Tertiadecima damnata propoſitio. *Satisfacit præcepto confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.*

50 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ſufficiat, ut Sacerdos Regularis ſit præſentatus, & examinatus ab Epiſcopo; ac inſuper cognitus de ſufficientia, & idoneitate audiendi ſecularium confeſſiones, ut poſſit confeſſiones audire, non obſtante,

quòd

quòd ab Epiſcopo ſit injuſtè reprobatus. Ex quo putant Authores hujus damnatæ Propoſitionis, quòd, qui confitetur huic Regulari præſentato,& injuſtè reprobato,ſatisfaciat præcepto confeſſionis.

Oppugnatio Propoſitionis.

51 SVpradicta propoſitio unum ſupponit,& alterum infert. Supponit, ad exercendam juriſdictionem audiendi confeſſiones ſecularium in Regularibus, ſufficere ſolam præſentationem factam coram Epiſcopo, & examinatoribus, & approbationem de idoneitate, & non eſſe neceſſariam facultatem expreſſam Epiſcopi, ut juriſdictio exerceatur. Secundum, quod infert, eſt, pœnitentem ſatisfacere præcepto confeſſionis (& puto quòd locutio ſit de præcepto annuæ confeſſionis, non de illa facienda in articulo mortis) ſi confiteatur huic Sacerdoti præſentato, & injuſtè reprobato.

52 Contra id, quod ſupponunt Authores huius damnatæ Propoſitionis, militant verba Concilii Trid. ſeſſ. 23. de ref. cap. 15. ubi dicitur: *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur,& approbationem,quæ gratis detur,obtineat: privilegiis,& conſuetudine quacunque, etiam immemorabili,non obſtante*. Per quæ verba patet falſitas ſuppoſiti huius damnatæ Propoſitionis. Vnde nemini ex Sacerdotibus, etiam Regularibus, licet audire ſecularium confeſſiones, abſque Epiſcopi approbatione, & facultate. Et ratio huius eſſe poteſt, quia cùm fidelium animæ ſint curæ Epiſcoporum traditæ, ab ipſo Epiſcopo tradi debet poteſtas iuriſdictionis ſubdelegata ſupra illas animas, à ſorde peccati purgandas. Vnde quoties Regularis ſit ab Epiſcopo, etiam iniuſtè, reprobatus, iuriſdictionem hanc exercere,non poteſt:cùm iuriſdictio ſit facultas ab Epiſcopo tradita. Et quamvis iniuſta reprobatio quandoque eveniat, propter odium contra Regulares; tamen iſti non debent propterea facere, quod ipſis eſt prohibitum.

53 Quantùm ad id, quod Authores iſtius propoſitionis putant inferre, de ſatisfactione præcepti, ſi Regulari præſentato, & injuſtè reprobato, quis confiteatur; ſuppono, præceptum de confeſſione facienda, aliud eſſe divinum, & aliud Eccleſiaſticum. Primum eſt, quo Deus præcipit cuicunq; Creaturæ peccanti poſt baptiſmi ſuſceptionem, ut in gratiam ſanctificãtem redeat per pœnitentiæ Sacramentum. Et hoc præceptum eſt poſitiuum obligans ſemel in vi-

ta, præſertim in articulo, & probabili mortis periculo. Secundum eſt Eccleſiaſticum, & obligat ſemel in anno, ut ex præceptis Eccleſiæ conſtat. Utrumq; præceptum urgere, conſtat ex pluribus Concilii Tridentini canonibus; & de præcepto Divino, patet ex pluribus ſcripturæ locis; & præſertim ex confeſſione Davidis Paſm.50. *Miſerere mei Deus, &c. Tibi ſoli peccavi.* Tunc confeſſio peccatorum, quæ erat reconciliativa Peccatoris cum Deo, fiebat, ut plurimùm, ſoli Deo; quia tunc confeſſio illa non erat verum Sacramentum. A Chriſto Domino poſtea fuit inſtitutum verum pœnitentiæ Sacramentum, neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem.

54 Nunc probo ex hac doctrina, pœnitentem, qui Regulari reprobato ab Epiſcopo confitetur, non ſatisfacere præcepto confeſſionis. Nemo poteſt ſatisfacere præcepto confeſſionis, per invalidam confeſſionem, ut dicemus contra ſequentem propoſitionem damnatam; ſed confeſſio facta coram Sacerdote reprobato, & carente Juriſdictione, præſertim, ſi ſcienter fiat, eſt invalida: Ergo per illam nequit pœnitens ſatisfacere præcepto confeſſionis. Oſtendo veritatem majoris propoſitionis ſic; quia præceptum de facienda confeſſione urget, ut peccator Deo reconcilietur: quod fieri nequit per invalidam confeſſionem, cùm adhuc peccator remaneat averſus à Deo. Minor eſt nota, nam deficiente juriſdictione, invalidè Sacerdos dat formam abſolutionis: cùm validitas formæ in facultate abſolvendi fundetur. Quare concludo, falſam eſſe, & juſtè damnatam hanc propoſitionem, quòd ſatisfiat præcepto confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſtè reprobato.

ARTICULUS XIV.

Exponitur ſenſus quartædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quartadecima damnata Propoſitio. *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

55 Senſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd ſi quis, vel abſque dolore, vel abſque integritate materiæ, vel abſq; propoſito, accederet ad confeſſarium tempore præcepto infra annum, ſicut præcipitur ab Eccleſia confeſſio, putant Authores iſtius propoſitionis, quòd ſatisfaciat præcepto.

Oppugnatio Propoſitionis.

56 SVppoſito illo duplici præcepto, divino ſcilicet, & Eccleſiaſtico, notato in antecedenti articulo, pro certo habeo ex Conc. Trid. ad validam confeſsionem requiri, tum materialem, tum formalem integritatem. Ad materialem integritatem ſpectant omnia peccata mortalia, tum in ſpecie, tum in numero, tum ex circumſtantiis loci, & temporis. Ad integritatem verò formalem requiritur dolor de peccatis, qui ſi non eſt perfectus, ut eſt contritio, ſufficit imperfectus, ſeu attritio; cum propoſito tamen ampliùs non peccandi. His ſuppoſitis,

57 Impugno nunc propoſitionem iſtam. Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, vel ſcilicet ex defectu integritatis materialis, vel ex defectu integritatis formalis, non ponit rem præceptam; nam res præcepta eſt valida confeſſio, vera, & inductiva gratiæ, quantùm ſpectat ad ipſum pœnitentem: Ergo quando eſt invalida, & nulla, & quidem voluntariè, præcepto de ipſa confeſſione facienda non ſatisfacit. Præceptum nanque non obligat ad confeſſionem, utcunque faciendam, ſed ad illam validè, & licitè faciendam, ut peccator Deo reconcilietur; ſed per confeſsionem invalidam, & nullam peccator non reconciliatur Deo: Ergo per talem confeſsionem præcepto non ſatisfacit.

58 Ex his duo infero: Primum, quòd ſtante nullitate confeſſionis, peccator incurrit excommunicationem ab Eccleſia poſitam contra non ſatisfacientes præcepto. Secundum, quòd ut ſatisfiat præcepto, ſufficit, ut pœnitens confiteatur Regulari ab Epiſcopo approbato; & non eſt neceſſe, ut coram proprio Parocho confeſſionem faciat: ut quidam falsò ſubdocere præſumunt. Quod conſtat ex Bulla Clem. X. incip. *Superna*. Et hoc ipſum inſinuatur à Scoto in 4. diſt. 17. qu. unic. §. *de tertio*, &c. ubi habet hæc verba: *Igitur (ly proprio Sacerdoti) intelligitur pro habente juriſdictionem ad immediatè abſolvendum iſtum. Nec in hoc tunc ſpecificatur præceptum; quia in generali erat De cui: ſcilicet Sacerdoti habenti juriſdictionem*. Concludo tandem, non ſatisfacere præcepto confeſſionis, qui illam facit voluntariè nullam.

ARTICVLVS XV.

Exponitur ſenſus quintædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quintadecima damnata Propoſitio. *Pœnitens, propria authoritate, ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui, loco ipſius, pœnitentiam adimpleat.*

59 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd pœnitens, cui à confeſſario ſit impoſita pœnitentia pro ſatisfactione peccatorum, ut adimpleatur in pœnam commiſſi peccati, poſſit nihilominus ſatisfacere, ſi propria authoritate faciat per alium pœnitentiam illam adimplere. Vt ſi Titio eſſet impoſitum à confeſſario, ut ieiunet in pane, & aqua; putant Authores iſtius damnatæ propoſitionis, quòd Titius ſatisfaciat, ſi hoc ieiunium alteri adimplendum propria authoritate committat.

Oppugnatio bujus Propoſitionis.

60 ADvertendum eſt cum omnibus Doctoribus, ex Trident. Conc. ſeſſ. 14. cap. 8. duplicem eſſe pœnitentiam impoſitam à confeſſario in pœnæ temporalis condignitatem: alia eſt præſervativa, ut per ipſam pœnitens præſervetur, ne ampliùs labatur in illa crimina jam confeſſà. Et iſta præſervativa pœnitentia ſolet eſſe ad auferendas proximas occaſiones peccandi: ut ſi confeſſarius imponeret pœnitenti, ne ampliùs ingrediatur domum illam, ad evitandam occaſionem ludendi, & blaſphemandi in ludo; vel ad fugiendam occaſionem peccandi cum Berta; tunc iſta pœnitentia impoſita, eſſet præſervativa; quia ordinatur ad præſervandum pœnitentem à malo futuro. Alia verò eſt ſatisfactoria, & eſt illa, quæ imponitur pro pœna temporali peccatori: ut eſſet ieiunare, recitare officium defunctorum, vel B. Mariæ Virginis, &c.

61 Adverto inſuper, pœnitentiam ſatisfactoriam ſpectare ſaltem ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ; quatenùs eſt executio pœnæ à confeſſario, ut à Judice inflictæ pro commiſſis peccatis.

62 Quantùm nunc ſpectat ad oſtendendam falſitatem huius damnatæ propoſitionis, dico, impoſsibile eſſe, & in terminis repugnare, poſſe pœnitentem per alium ſatisfacere pro pœnitentia præſervativa, ſeu medicinali ipſi impoſita. Nam ridiculum eſſet, quòd confeſſarius imponat Caio pœnitentiam præſervativam, ne ampliùs

pliùs ingrediatur domum Pertæ: & ipſe Caius velit, ut hæc pœnitentia adimpleatur per Titium, nomine ipſius Caii. Idem nanque eſſet, quòd pœnitentia præſervativa adimpleatur per alium, & non per ipſum pœnitentem, ac quòd liberum ſit pœnitenti ingredi domum Bertæ; & ſic non evitaretur occaſio peccandi, ad quam vitandam impoſita fuit pœnitentia illa præſervativa. In hac re videtur ita imperceptibile, poſſe pœnitentem propria authoritate, ſubſtituere alium, ut pro ipſo adimpleat pœnitentiam præſervativam; ſicut imperceptibile eſt, infirmum, cui imponitur, ut ad ſui præſervationem ſumat medicinam, velle pro ſalute recuperanda, ut alter medicinam illam ſumat. Quomodo enim poteſt medicina ab alio ſumpta ſanitatem conferre infirmo? Ita dicendum in caſu noſtro: medicina eſt, præſervativa pœnitentia: ſi hæc per alium adimpleatur, huic quidem conferet utilitatem; pœnitenti autem, pro cujus ſalute impoſita eſt, nullam poteſt utilitatem conferre.

63 Si ſenſus damnatæ propoſitionis eſt, de pœnitentia ſatisfactoria; etiam hæc per ipſum pœnitentem adimpleri debet. Ratio eſt evidentiſsima, quia pœnitentia iſta ſatisfactoria eſt Sacramentalis, eſtque executio decreti facti per confeſſarium in vindictam, & pœnam temporalem pro peccatis commiſsis. At ut ſit talis, nequit per alium adimpleri, ſed per ipſum pœnitentem, qui delictum commiſit; aliàs ſi per alium fieret, non eſſet Sacramentalis; quia non per Sacramentum hic adimpleret pœnitentiam illam, ſed ad preces pœnitentis: & ut ſit Sacramentalis imponi debet à Sacerdote. Quod hoc exemplo clarè patet: ſi Princeps juſtè Caium ad Triremes damnaret, ob aliquod commiſſum crimen; tunc pœna iſta non eſſet ſatisfactoria, ſi per alium adimpleretur nomine Caii: quia Caius ipſe eſt delinquens, & pœna illa data eſt, ut ſatisfactoria criminis à Caio commiſsi. Idem dicendum, & à fortiori in propoſito; cùm judiciariam poteſtatem exerceat Sacerdos, dum pœnitentiam ſatisfactoriam imponit, hæc nequit per alium adimpleri; aliàs ſatisfactoria non eſſet.

64 Accedit adhoc confirmandum Tridentinum Concilium ſeſſ. 14.cit.cap.8.incip. *Demum quò ad ſatisfactionem*, his verbis: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne, ſi forte peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo; alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præoculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiàm ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtiga-*

ſtigationem. Quare ſi pœnitentia eſt ad vindictam peccatorum, nequit per alium adimpleri, ſed per ipſum pœnitentem, ſaltem ubi non intervenerit ipſius confeſſarii facultas.

ARTICULUS XVI.

Exponitur ſenſus ſextædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sextadecima damnata Propoſitio: *Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.*

65 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quemcunque Beneficiarium, qui Beneficium curatum habet, ſive ſit Epiſcopus, sive Parochus, &c. poſſe eligere ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario, in ſuum confeſſarium.

Oppugnatio Propoſitionis.

66 BEneficium curatum, ut cõtradiſtinctum à Beneficio ſimplici, eſt illud, cui eſt annexa cura animarum: & dicitur curatum, quatenus Beneficiarius juriſdictionem exercet ſupra fideles, ligandi, & ſolvendi per pœnitentiæ Sacramentum. Quare tam Epiſcopi, quàm Parochi, Curati, & Rectores Eccleſiarum dicuntur Beneficiarii curati. Ubi pro propoſitionis damnatæ oppugnatione adverto, Epiſcopum in ſua Diœceſi poſſe ſibi eligere in confeſſarium, aliàs non approbatum; quia eo ipſo, quòd aliquem ſibi in confeſſarium eligeret, eum tanquam approbatum haberet, eique facultatem audiendi ipſius Epiſcopi confeſſionem concederet. Quare ſemper verificaretur, etiam de Epiſcopo, propoſitionem illam damnatam eſſe falſam, præſertim quia, ſi id ſimplici Sacerdoti concederet in ſua Diœceſi, ad ſuas audiendas confeſſiones; tamen non poteſt hoc concedere ſimplici Sacerdoti extra ſuam Diœceſim: quia Epiſcopus in alia Diœceſi eſt ſubditus, & juriſdictionem dare non poteſt Sacerdoti, ſibi non ſubdito, ut ſuas audiat confeſſiones. Hoc declaratum fuit per quandam Gregorii XIII. conſtitutionem. Et colligitur ex Tridentino Concilio ſeſſ. 23. cap. 15. incip. *Quamvis Presbyteri*, his verbis: *Decernit Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire &c. niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen &c. approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.*

67 In

67 In quibus verbis Concilii, obſerva, *ly etiam Sacerdotum*: ubi nedum de ſimplici Sacerdote, ſed etiam de Sacerdote habente officium curatum, eſt ſermo. Et per ultima verba aufert quæcunque privilegia, quæ fuiſſent conceſſa in contrarium. Unde fit, quòd ſi Epiſcopus extra ſuam Diœceſim non poteſt ſibi eligere in confeſſarium, ſimplicem Sacerdotem, ab Ordinario illius loci non approbatum; cùm extra illam, juriſdictionem non habeat, præſertim in Sacerdotes non ſubditos: multò minùs poſſunt hoc facere Parochus, Curati, Rectores &c. qui carent juriſdictione promovendi alios ad audiendas ſecularium confeſſiones. Quare poteſtatem non habent Beneficiarii curati eligendi ſimplicem Sacerdotem in cõfeſſarium, ſi hic ab Ordinario non ſit approbatus. Ubi adverto, quòd hæc propoſitio damnata, & quædam aliæ, in ſuperioribus articulis impugnatæ, contra hoc citatum capitulum 15. Concilii directè militant: iccircò meritò ab Alex. VII. damnatæ ſunt, ut temerariæ.

ARTICVLVS XVII.

Exponitur ſenſus decimæſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decimaſeptima damnata Propoſitio. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit: uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.*

68 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, licitum eſſe, ut putant ejus Authores, Religioſo, & etiam Clerico, occidere calumniatorem, qui contra ipſum Religioſum, vel contra ſuam Religionem minatur ſpargere gravia crimina: ut ſi diceret, hunc Religioſum eſſe ſacrilegum, furem &c. vel ſi de Religione diceret, hanc Religionem eſſe proſtitutam, nutrire bannitos pro Religioſis, & ſimilia dicendo, quæ gravia crimina eſſent. Et aſſerunt, hoc modo, & non alio poſſe Religioſum ſeipſum, & ſuam Religionem defendere, cùm alius modus non ſuppetat juſtæ defenſionis, niſi occiſio; præſertim quando calumniator eſt paratus crimina illa Religioſo, vel ſuæ Religioni impingere publicè, & coram graviſſimis viris. Hæc damnata Propoſitio ponit licitam occiſionem calumniatoris.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

69 HÆc damnata Propoſitio aſſirmat , occidi poſſe licitè , calumniatorem , quando non ſit alius modus ſe defendendi à calumnia . Et inſuper affirmat , non eſſe alium modum ſe defendendi à calumnia , quàm occidendo calumniatorem paratum ad impingenda gravia crimina Religioſo,vel ſuæ Religioni.Vtrumque autem eſt falſum,& contra divinum præceptum: *Non occides* . Primum eſt falſum ; nam quando non adeſt alius modus ſe defendendi à calumnia , vel ſibi impoſitá , vel Religioni ; non poteſt Religioſus facere malum contra divinum præceptum , ad ſe defendendum ab iniuſta famæ læſione:neque faciendum eſt malum ordinis ſuperioris (ut eſt occiſio,quæ eſt malum vitæ);ad tuendum bonum ordinis inferioris, ut eſt fama,& honor.Ergo eſtò Religioſus ille calumniam paſſus , vel cuius Religio ſit paſſa calumniam , nullum alium habeat modum evadendi calumniam , præter calumniatoris occiſionem , non propterea poteſt ipſum calumniatorem occidere . Quoties ergo calumniator ipſe ſit tantùm calumniator , ſeu honoris aggreſſor , quatenus iniuſtam facit læſionem honoris alterius ; & non ſit ſimul aggreſſor vitæ;tunc calumniatus,præſertim Religioſus,debet pro Chriſto Domino iniurias patienter tolerare,ſicut ſtatui Religioſo decet . Arma ergo noſtra patientia eſt : ad Chriſti Domini exemplum , qui calumniatus, verberatus, & tandem crucifixus, patienter omnia toleravit . Idem ad Chriſti exemplum facere debent Religioſi , & non debent attendere honoribus , & vanitatibus huius ſeculi . Quod etiam conſtat ex gloſ. in Clem. *Si furioſus , De homic.& in cap. ſuſcepimus, eod.tit.*

70 Secundum etiam eſt falſum; nam calumnia illa, etiam dicta coram viris graviſsimis , & magnæ authoritatis nullum notabile damnum inferre poteſt , nec Religioſo , nec ſuæ Religioni . Quod patet , quia dum illi viri graviſsimi vident Religioſi modeſtiam , & tolerantiam,ſcandalizantur de calumniatore, & ædificantur de Religioſi modeſtia . Modus inquam ſe defendendi à calumnia illa iniuſtè impoſita, eſt, vel ſe removere ab illo loco, in quo calumniator loquitur: vel ſi ſit neceſsitatus ibi permanere, patienter tolerare.Si hoc non faceret Religioſus calumniatus , ſcilicet vel per honorabilem fugam , vel per ingentem tolerantiam ; non poſset excuſari ab iniuſto homicidio , ſi calumniatorem occideret, dum de ſe , vel de ſua Religione gravia crimina ſpargit , vel ſpargere minatur.

71 Quod oſtenditur hac evidenti ratione . In tantùm eſſet licitum occidere calumniatorem, in quantùm eſſet med um evadendi calum-

calumniam illam impoſitam; & ſic ſalvaretur moderamen inculpatæ tutelæ, ut prætendunt Authores damnatæ Propoſitionis; ſed hoc eſt falſiſſimum: Ergo illa occiſio ad evitandam calumniam, non eſt licita. Sic oſtendo veritatem minoris: ſit hæc iniuria facta Religioſo, ſcilicet à calumniatore vocatus eſt ſacrilegus, latro, concubinarius &c. Nunc ſic arguo: vel calumniatori creditur ab audientibus, vel non. Si creditur, jam per occiſionem calumniatoris calumniatus ſuum honorem non recuperat: imò potiori jure honorem amittit, quia exiſtimari poteſt vindicatiuus, & homicida. Si non creditur calumniatori, jam honor nō eſt amiſſus: & ſic calumniatus injuſtè pro honore pugnaret. Quare concludendum eſt, jure merito damnatam eſſe ſupradictam propoſitionem, qua aſſerebatur, iuſtam eſſe occiſionem calumniatoris, ſi hic contra Religioſum, vel Religionem minatur ſpargere gravia crimina.

ARTICVLVS XVIII.

Exponitur ſenſus decimaoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decimaoctava Propoſitio. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.*

72 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, eum, qui falsò ſit accuſatus, & per falſos teſtes probatus ſit Reus, poſſe licitè, tam accuſatorem, quàm teſtes occidere, ad ſuam ſalvandam innocentiam. Et inſuper poſſe occidere Judicem, quando certò ſcit, ab hoc imminere iniquam ſententiam. Et putant hujus propoſitionis damnatæ Authores, hoc fieri poſſe, quando alia via non poteſt innocens ſuam oſtendere innocentiam, & damnum vitæ evitare.

Oppugnatio Propoſitionis.

73 SUppono, ante hujus propoſitionis damnatæ impugnationem, moderamen inculpatæ tutelæ illud eſſe, quod eſt unicum, & ſingulare medium evadendi damnum imminens; ita ut ex prudentum judicio, facta quacunque alia diligentia, nequit, niſi per hoc medium, damnum vitari. Ut ſi non poſſem vitam meam ſalvare à manibus invaſoris, niſi eum occidendo; tunc occiſio iſta eſſet cum moderamine inculpatæ tutelæ: at ſi poſſum illam ſalvare fugiendo, vel clamando, ut alii me adiuvent, quia hæc ſunt media ad

vitam

vitam meam ſalvandam ; tunc non poſſem licitè invaſorem occidere ; quia tunc non daretur moderamen inculpatæ tutelæ. Hoc poſito,

74 Nunc ſic impugno damnatam propoſitionem : Vel quando innocens occideret injuſtum accuſatorem,falſos teſtes,vel injuſtum Judicem, eſſet in ſua libertate, vel in manibus juſtitiæ carceratus, ac in vinculis poſitus. Si in ſua libertate ; jam habet medium evitandi damnum imminens per fugam, donec ſua innocentia demonſtretur. Si in carceribus, & in vinculis poſitus, ita ut habeat in ſua libertate, accuſatorem, falſos teſtes, & Judicem occidere ; tunc vel habet modum, ſe oſtendendi innocentem, vel non. Si habet modum ſe oſtendendi innocentem,jam occidendo accuſatorem,teſtes, & Judicem, non adhiberet moderamen inculpatæ tutelæ; nam moderamen inculpatæ tutelæ tunc adhibetur, quando nullum aliud medium inveniri poteſt ad damnum evitandum : Ergo quoties innocens habet alium modum oſtendendi ſuam innocentiam, non debet recurrere ad occiſionem accuſatoris, teſtium, & Judicis. Si non habet modum oſtendendi ſe innocentem;tunc etiam occidendo accuſatorem, teſtes,& Judicem non evitaret damnum; imò potiori jure pœna mortis damnaretur, propter homicidium.

75 Confirmari poteſt hoc ex humana politia, & bono communi Reipublicæ; quia ſi licitum foret Reo putato, qui aliàs innocens eſt, occidere accuſatorem,teſtes,& Judicem,ſive occiſione publica, ſive privata; aperiretur via infinitis homicidiis, quæ oriri poſſent cum Reipublicæ detrimento:imò etiam in cauſis veræ reitatis, poſſet quis, occidendo accuſatorem, ſe excuſare, dicendo, eum occidi, quia falsò me accuſavit, & poſſum, ac licitum eſt mihi ad damnum mihi imminens vitandum, occidere falſum accuſatorem, &c. Quod erroneum, & ſcandaloſum eſt; quapropter damnata fuit ſupradicta propoſitio decimaoctava. Vnde concludendum eſt,non eſſe licitum occidere falſum accuſatorem, teſtes, & Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia.

ARTICVLVS XIX.

Exponitur ſenſus decimænonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decimanona damnata Propoſitio. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.*

76 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd quando maritus invenit uxorem actu committentem adulterium cum

cum alio Viro, poſſet (ut putant Authores iſtius propoſitionis) ſine peccato occidere ſuam uxorem in tali adulterio deprehenſam.

Oppugnatio Propoſitionis.

77 SVppono incidenter, adulterium eſſe carnalem copulam mulieris uxoratæ, ſeu in matrimonium conjunctæ, cum Viro, sive libero, sive etiam in matrimonium juncto. Quapropter dum mulier in matrimonium conjuncta, ſe carnaliter copulat cum altero Viro, inſcio marito, huic injuriam facit: & si maritus in tale uxoris adulterium conſentiret, ipſe non reciperet injuriam; cùm conſentienti nulla fiat injuria. Per adulterium verò commiſſum ab uxore, cōſentiente etiã marito, fit injuria ſtatui conjugali. De hac re ſpecialis erit ſermo in artic. 50. lib. 2. contra quinquageſimam propositionem damnatam ab Inn. XI. Hoc itaque ſuppoſito, putant Authores damnatæ propoſitionis, propter iniuriam, quam maritus recipit ab uxore adultera, & in adulterio deprehenſa, poſſe licitè, & sine peccato illam occidere; quod falſum eſſe oſtenditur

78 Primò ex doctrina, quam tradit Doctor noſter Scotus in 4. diſt. 15. quæſt. 3. artic. 2. *Sed quis eſt juſtus occiſor*. Vbi deducit ex illo Decalogi præcepto, *Non occides*, hanc prohibitionem occidendi, sine legitima authoritate, & iuſta lege. Nulla ergo videtur iuſta lex concedendi facultatem marito, uxorem occidendi, dum illam in adulterio deprehendit. Vnde in Iure Canonico 33. quæſt. 2. can. *Inter hæc*, eſt omninò prohibita huiuſmodi occisio. Hæc ſunt verba Decr. *Inter hæc ſanctitas veſtra addere ſtuduit, ſi cujus uxor adulterium perpetraverit: utrum marito illius liceat ſecundùm mundanam legem eam interficere. Sed Sancta Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur legibus: gladium non habet, niſi ſpiritualem, quo non occidit, ſed vivificat*. Secundò oſtenditur falſitas illius doctrinæ, ex hoc, quòd ad iuſtam occiſionem ſervari debet ordo Iuris: ordo Iuris non expoſcit, ut iniuriatus faciat ſibi Ius, ut in caſu eſſet maritus; aliàs quilibet poſſet in propria cauſa eſſe Iudex, quòd non conceditur. Tertiò oſtenditur ex hoc, quòd nemo cum detrimento animæ ſuæ poteſt vindictam ſumere de receptis iniuriis: quod eveniret in caſu. Nam non alia ratione maritus occidere poſſet uxorem deprehenſam in adulterio, nisi quia per adulterium ab uxore commiſſum, maritus ipſe iniuriam reciperet: ſed iniuria non eſt vindicanda, ſed potiùs quantùm ſpectat ad forum conſcientiæ, remittenda: Ergo peccaret mortaliter maritus, occidendo mulierem in adulterio deprehenſam. Adeoque ut contraria legi Divinæ, Naturali, & Canonicæ, ac rationi naturali, damnata eſt ſupradicta propoſitio, ut temeraria, & ſcandaloſa.

ARTICULUS XX.

Exponitur ſenſus vigeſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſima damnata Propoſitio. *Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam Iudicis, eo quòd ſit pœna.*

79 SEnſus huius Propoſitionis damnatæ eſt, quòd dum Pius V. impoſuit obligationem reſtitutionis fructuum, qui percipiuntur ex beneficio, reſtitutio ipſa non debeatur in conſcientia ante Iudicis ſententiam. Et pro ratione huius aſſerti, aſſignant Authores propoſitionis: quia talis reſtitutio impoſita, eſt pœna.

Oppugnatio Propoſitionis.

80 SUppono à Pio V. quoddam emanaſſe decretum contra Beneficiarios, qui ratione Beneficii tenentur divinum officium recitare, & ipſius recitationem omittunt; quo decreto Summus Pontifex, ſtante omiſſione recitationis officii, obligat Beneficiarium ad reſtitutionem fructuum illius Beneficii, pro rata omiſſionis officii. Quod decretum incipit: *Ex proximo Lateran. Concilio, pia, & ſalubris ſanctio emanavit*. In quo decreto, ut videri poteſt in Romano Bullario, vel apud Quarant. titulo *de horis canon.* conſideranda ſunt illa verba: *Beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis officii, & temporis ſuos non faciat; ſed eos tanquam injuſtè perceptos, in fabricam ipſorum Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur.* Supponendum eſt inſuper, hoc decretum eſſe declaratiuum, & ampliatiuum decreti Leonis X. habiti in Conc. Lateran. in illa conſt. quæ incipit. *Supernæ diſpoſitionis*: in quo decreto idem determinatum fuit; quòd ſcilicet Beneficiarii obligati ex Beneficio ad recitandum divinum officium, non faciant fructus ex Beneficio, pro rata omiſſionis. His ſuppoſitis,

81 Nunc impugno ſupradictam damnatam Propoſitionem: Pius V. in illa ſua conſtit. expreſſit hæc verba, nimirum: *Sed eos tanquam injuſtè perceptos &c.* Sed hæc verba exprimunt obligationem ex juſtitia in Beneficiariis ad reſtituendos fructus ex Beneficio, dum omittitur recitio officii divini iniuncti cum Beneficio: Ergo tenetur in conſcientia Beneficiarius reſtituere fructus perceptos ex Beneficio, non adimpleta obligatione recitandi officium; & hoc

& hoc ante Iudicis ſententiam. Quod ſuadetur ex hoc, quia quoties Pontifex declarat, aliquem eſſe iniuſtum rei poſſeſſorem, ut hic reſtituat, non debet expectare Iudicis ſententiam; ſed in conſcientia tenetur reddere quod ſuum non eſt. Quod declaratur per ly: *Non faciat fructus ſuos; ſed eos tanquam injuſtè perceptos &c.* Hoc patet à pari de Beneficiariis curatis, quibus impoſitum eſt onus reſidendi in loco Beneficii: per Concilium Trid. expreſsè præcipitur Beneficiariis Curatis reſidentia, *ſeſſ.23. cap.1. reform.* ita ut non reſidentes non faciant fructus ſuos pro rata abſentiæ à loco Beneficii: & hoc, alia declaratione non ſecuta, ſcilicet non expectata ſententia Iudicis. Quod oſtendunt illa verba cit. Conc. cap. 1. §. *ſi quis: ſtatuit Sacroſancta Synodus, præter alias pœnas adverſus non reſidentes, ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe.*

82 Ex quibus Concilii verbis oſtenditur, Beneficiarium non reſidentem teneri in conſcientia reſtituere fructus ex Beneficio perceptos, quando non reſidet, ob iniuſtam eorundem perceptionem; & hoc ante Iudicis ſententiam. Nunc ſic contra damnatam Propoſitionem arguo. Non eſt major obligatio Beneficiarii reſidendi, quàm recitandi officium, ratione cuius recitationis percipit fructus ex Beneficio: Ergo ſi Beneficiarius, non reſidendo, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem fructuum, ante Iudicis ſententiam; etiam non recitando officium, quod ratione Beneficii recitare tenetur, peccat mortaliter, & ad fructus perceptos ex Beneficio reſtituendos eſt obligatus, ante Iudicis ſententiam.

83 Tandem falſum aſſumunt Authores iſtius damnatæ Propoſitionis, aſſerentes, quòd obligatio reſtitutionis impoſita à Pio V. Beneficiariis non recitantibus, ſit tantùm pœna. Nam etiam illa obligatio oritur ex culpa, quam Beneficiarii committunt; quia quoties non adimplent, quod adimplere tenetur, ultra peccatum, quod committunt contra fidelitatem, peccant pariter contra juſtitiam, retinendo injuſtè, quod ſuum non eſt; nec ulla ratione illorum fructuum dominium poteſt ad Beneficiarios non recitantes tranſire. Ergo non ſolùm à Pio V. impoſita eſt Beneficiariis non recitantibus, obligatio reſtituendi, in pœnam omiſſionis recitationis, ſed etiam ex culpa commiſſâ. Ac per conſequens Beneficiarii non recitantes tenentur in conſcientia reſtituere pro rata fructus perceptos ex Beneficio, ante Iudicis ſententiam. Et hoc quidem fuit de mente Pii V.

ARTICVLVS XXI.

Exponitur ſenſus vigeſimaprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſima prima damnata Propoſitio. *Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum,ſi ſtudio literarum vacet,ſatisfacit ſuæ obligationi,ſi officium per alium recitet.*

84 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd Beneficiarius, ſive ſit Capellanus authoritate Epiſcopi factus (quomodo capellania collativa eſt Beneficium); ſive quicunque alius Beneficiarius, qui obligationem habet ex ipſo Beneficio recitandi divinum officium, ſatisfacit obligationi, ſi officium per alium recitet, quando ipſe Beneficiarius, aut Capellanus vacat ſtudio literarum. Vacare ſtudio literarum, putant Authores hujus damnatæ Propoſitionis,quòd ſit licita cauſa excuſandi Beneficiarium ab obligatione perſonali recitandi officium. Quod falſum eſſe oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

85 TAnquam certum ſuppono apud omnes Doctores (ut dixi in tract. de Iuſt. & Iure) Beneficium Eccleſiaſticum *eſſe ius perpetuum percipiendi reditus ex bonis Eccleſiaſticis, propter aliquod officium ſpirituale,authoritate Eccleſiæ conſtitutum.* Et hoc jus cuicunque Beneficio Eccleſiaſtico competit, etiam Capellaniæ collativæ,quæ erigitur,& fundatur authoritate Epiſcopi,qui etiam illam confert: ad differentiam aliorum Beneficiorum, quæ per electionem,vel concurſum conferuntur. Hujuſmodi Capellania, ſicut & alia Beneficia Eccleſiaſtica, annexam habent obligationem recitandi divinum officium: quia ſolis clericis,& Eccleſiaſticis perſonis, cum tali onere conferuntur.

86 Nunc oſtendo falſitatem Propoſitionis damnatæ. Primò, quia in Capellano habente Capellaniam collativam, vel alio Beneficiario, obligatio recitandi divinum officium, eſt perſonalis : eo prorſus modo, quo perſonalis eſt cuicunque fideli auditio ſacri in diebus feſtivis; jejunium quadrageſimale; & Beneficiariis curatis reſidentia in loco Beneficii. At quando non adeſt evidens impedimentum, nemo ex his ab obligatione perſonali excuſatur;nam hæc eſt differentia inter obligationem perſonalem, & aliã obligationem, quòd non perſonalis ſuppleri poteſt, perſonalis verò à propria per-

ſona exerceri debet. Ut ſi alicui Beneficio eſſet annexa obligatio recitandi officium, & Miſſam celebrandi; obligatio celebrandi Miſſam non eſſet perſonalis, ſed localis, in loco ſcilicet, & capella, ubi fundatum eſt Beneficium: hæc obligatio celebrandi Miſſam, poteſt per alium ſuppleri, in eadem Eccleſia, vel Capella. Obligatio verò recitandi officium, quæ perſonalis eſt, non poteſt ſuppleri. Secundò conſtat expreſsè ex Concilio Trid. *ſeſſ.24 de ref.cap* 12. incip. *Cùm dignitates*: ubi propè finem habetur: *Omnes verò divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia &c.* Quæ verba exprimunt perſonalem obligationem, in perſolvendis, & recitandis divinis officiis.

87 Deinde impugno directè motiuum, quo prætendunt Authores damnatæ Propoſitionis, excuſare Beneficiarium à perſonali obligatione recitandi officium divinum. In tantùm per ipſos excuſaretur à perſonali obligatione, inquantùm vacaret ſtudio literarum. Atqui, in primis, ſtudium literarum non excuſat; præſertim quando non eſt per longum tempus, & in notabile Eccleſiæ beneficium, ſeu utilitatem: vel ſi excuſaret, ut evenire poſſet in caſu poſito pro Eccleſiæ vtilitate, Prælati, Principis, & etiam ſui ipſius, quòd ſtudium transferri non poſſet in alium diem; tunc ſimpliciter pro illo tempore ſtudii diceretur excuſatus, ita ut neque per alium neceſſe ſit obligationi ſatisfacere. Vt patet de reſidentia Beneficiarii, quæ excuſat ipſum Beneficiarium, quando adeſt gravis neceſſitas: ſicut infirmitas excuſat à quadrageſimali jejunio, & ab auditione ſacri in die feſtivo; & non eſt neceſſe, ut per alium ſuppleatur. Quapropter concludendum eſt, habentem Capellaniam collativam, vel quodcunque Beneficium Eccleſiaſticum, etiamſi vacet ſtudio literarum, non ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi per alium recitet officium. Et ſic, ut ſcandaloſa, & temeraria, damnata fuit ſupradicta propoſitio vigeſimaprima.

ARTICVLVS XXII.

Exponitur ſenſus vigeſimæſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſecunda damnata Propoſitio. *Non eſt contra Iuſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

88 Sen-

88 SEnſus huius Propoſitionis damnatæ eſt, non eſſe contra iuſtitiam non conferre gratis beneficia Eccleſiaſtica; & aſſignant pro ratione Authores iſtius Propoſitionis; quia collator non exigit pecuniam pro collatione beneficii,ſed pro emolumento temporali. Vnde unum aſſerunt, & aliud pro ratione aſſerti adducunt.

Oppugnatio Propoſitionis.

89 ADvertendum eſt cum communi Doctorum ſenſu, in qualibet perſona digna dari Ius ad beneficium, sive remotũ, quod non eſt Ius acquisitum ex prævio examine, & concurſu, ſed eſt tantùm Jus ex merito; & hoc eſt Ius commune cuicunque perſonæ merenti: sive proximum, & acquisitum ex prævio examine, & concurſu; & hoc Jus eſt proximum, & rigoroſum. Primum Jus, remotum ſcilicet ad beneficium, non ponit debitum, & obligationem in conferente,ad conferendum potiùs huic perſonæ, quàm alteri, beneficium; ita ut si conferens, abſque prævio examine, & concurſu daret beneficium uni perſonæ dignæ, omiſſa altera æquè digna, non peccaret contra iuſtitiam:& si beneficium non eſt curatum, & detur perſonæ dignæ, abſque examine, omiſſà etiam digniore, neque contra iuſtitiam peccaret; ut dixi in 7. diſp. de Iuſt. & Iure: & rationem aſſignavi; quia Eccleſia providetur commodè de perſona digna, & apta ad exercendum illud beneficium, neque dignior præiudicatur; quia Ius proprium,& rigoroſum non acquisiuit; cùm hoc acquiratur per examen. Secundum Ius, quod eſt proximum, & rigoroſum ponit in conferente obligationem, & debitum ex iuſtitia, non ſolùm quia in Ius acquirente fuit maior idoneitas, ſed quia ſuſcepit onus examinis: unde ex pacto, ſaltem implicito, inter conferentem, & examinatum orta eſt obligatio ex parte conferentis, & quidem ex Iuſtitia, & Ius ex parte examinati.

90 Quantùm ad hoc Ius acquisitum ex examine, propoſitio eſt implicatoria in terminis. Nam facere actionem contra iuſtitiam, & non peccare contra Iuſtitiam, implicat. Cùm ergo collator beneficii ipſum confert habenti Ius ad illud, interveniente pecunia, ſeu non gratis; iam facit actionem contra Iuſtitiam: Ergo contra iuſtitiam peccat. Minor huius ſyllogiſmi oſtenditur: si Petrus deberet centum Cajo, & ut illud centum redderet Cajo, vellet à ſuo creditore decem, jam Petrus contra juſtitiam peccaret, quia non redderet Cajo, quod Caii eſt, nam Caii eſt tota ſumma centenaria. Sic in propoſito: ſi pro conferendo beneficio, ad quod quis jus acquiſivit per examen, collator illius beneficii aliquid exigeret,jam contra juſtitiam peccaret;quia non redderet creditori,quod ipſius cre-

ditoris eſt. Beneficium nanque illud eſt acquirentis Ius: & quoties illud conferretur cum onere pecuniario, imponeretur onus creditori, & quidem injuſtè. Hoc expreſsè colligitur ex Tridentino Concilio *ſeſſ. 24. de Reform. cap.* 18. incip. *Expedit maximè animarum ſaluti*, ubi circa medium habetur: *Peracto deinde examine, renuncientur quotcunque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, & doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis; ex hiſque Epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit; atque illi, & non alteri, collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre*. Ex quibus verbis colligitur obligatio Epiſcopi in conferendo beneficio magis idoneo, qui Ius ad illud beneficium acquiſivit; prout ſonant illa verba: *Ad quem ſpectabit eam conferre*.

91 Quantùm verò ad Ius remotum, quod quælibet perſona digna habet ad beneficium, etiam collator contra Iuſtitiam peccat, ſi illud beneficium non conferat gratis. Quod patet; quia eſtò, abſque examine, non habeat Ius rigoroſum, & proprium, quatenus ſtat in libertate conferentis, beneficium illud huic, vel iſti conferre; tamen dum uni perſonæ confertur Ius illud, ut fundatum in lege poſitiva Eccleſiæ prohibente injuſtam receptionem, & collationem beneficii, eſt Ius ad gratis recipiendum: & obligatio in conferente eſt, ad gratis conferendum: Ergo quoties pro tali beneficio conferendo exigitur pecunia, peccat conferens contra Iuſtitiam, ratione injuriæ, quam facit legi prohibenti, & ei, à quo pecuniam injuſtè accipit. Hoc Ius fundatum eſt in illa lege, qua prohibetur ſimonia: & cum interveniente pecunia, in beneficii collatione, committeretur ſimonia, ut omnes volunt; & in hoc plures ſunt canones, conſtitutiones Summorum Pontificum, & Concilium ipſum Tridentinum *ſeſſ. cit.* & alibi, ubi de beneficiis agit: iccircò nequit collator beneficii non conferre gratis beneficia. Et quoties aliter faceret, peccaret contra Iuſtitiam, & ſimoniam committeret.

92 Ratio, quam in illa propoſitione aſſignant Authores ipſius, nec excuſat à peccato ſimoniæ, neque à peccato injuſtitiæ. Nam titulus ille temporalis emolumenti, quatenus ſcilicet collator non tenebatur Beneficium conferre: ſi eſt ſermo de Beneficio, ad quod quis jus acquiſivit ex prævio examine; tunc ſicuti ex debito juſtitiæ collator tenetur, ita conferendo Beneficium interveniente pecunia, ceſſaret titulus temporalis emolumenti; quia ex parte unius eſt jus rigoroſum, & ex parte alterius rigoroſum debitum. Si verò eſt ſermo de Beneficio, ad quod quis jus rigoroſum non habet; tunc eſtò conferens non tenebatur huic conferre Beneficium, ſed poterat illud alteri, ad ſuum beneplacitum, conferre; tamen dum huic con-

fert,

fert, tenetur gratis conferre, juxta Sacrorum Canonum determinationes: Ergo quoties non confert gratis Beneficium, ultra peccatum ſimoniæ, quod committeret, peccaret contra juſtitiam. Hæc conſequentia oſtenditur; quia ille, qui ius rigoroſum non habet, tamen habet ius fundatum in lege prohibente collationem Beneficii ſimoniacè, interveniente ſcilicet pecunia; ſeu habet ius, dum Beneficium accipit, ad illud recipiendum gratis: Ergo dum conferens vult pecuniam in collatione talis Beneficii, peccat contra iuſtitiam. Et ſic ruit tam aſſertum illius damnatæ Propoſitionis, quàm ratio adducta pro illius aſſerti probatione. Iccircò ut ſcondaloſa, & temeraria, & in fide ſuſpecta, damnata fuit ſupradicta propoſitio.

ARTICULUS XXIII.

Exponitur ſenſus vigeſimætertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimatertia damnata Propoſitio. *Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà, quia non vult ſe ſubiicere præcepto.*

93 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd ille, qui frangit ieiunium Eccleſiæ: nimirum vigiliarum, quatuor temporum, & Quadrageſimæ (quibus temporibus ex præcepto Eccleſiæ tenetur) tantùm peccat mortaliter, ſi ieiunium illud frangit ex contemptu, vel inobedientia; quatenus non vult ſe ſubiicere præcepto Eccleſiæ. Vnde volunt Authores iſtius propoſitionis, quòd frangens ieiunium non peccet directè contra præceptum.

Oppugnatio Propoſitionis.

94 PRo majori notitia, ad impugnandam hanc damnatam Propoſitionem, ſuppono tanquam certum apud omnes Doctores, jejunium eſſe abſtinentiam à duplici comeſtione, & à cibis vetitis, iuxta formam ab Eccleſia præſcriptam. Cibi vetiti ſunt carnes, caſeus, ova, & ſimilia, quæ quandam dicunt cum carne connexionem. Unde fit, ad eſſentiam jejunii duo neceſſariò requiri, abſtinentiam ſcilicet à duplici comeſtione, & abſtinentiam à cibis vetitis ab Eccleſia: quare ſi unum, vel alterum ex his deficiat, frangeretur jejunium. Ut ſi quis bis, vel pluries in die comederet, tempore jejunii; vel carnes, aut lacticinia comederet, jam jejunium frangeret.

95 Dari

95 Dari poteſt ad hoc ieiunium diſpenſatio pro tempore, quo urget præceptum. At quando adeſt diſpenſatio à jejunio, tunc vel ſimul eſſe poteſt circa abſtinentiam à duplici comeſtione, & circa abſtinentiam à cibis vetitis: ut eveniret in convaleſcentibus, quorum complexio,ob infirmitatem,quam habuerunt,debilis facta eſt, ideoque indigent, & cibi copia, & carnibus, vel lacticiniis, juxta prudens judicium medicorum. Vel eſſe poteſt diſpenſatio tantùm circa duplicem comeſtionem: & hoc fit in iis, qui ultra modum laborant,& ad talem laborem neceſſitati ſunt, ſive labor ſit corporalis, ſive mentalis, ex ſtudio cauſatus; vel ſenes excedentes annum ſexageſimum. Vel tandem eſſe poteſt diſpenſatio, tantùm ab eſu carnium,& aliorum ciborum, qui vetiti ſunt: & hæc diſpenſatio valet in iis, qui non habent debilem naturam, ſed tantùm eis nocet evidenter cibus quadrageſimalis: iſti dicuntur diſpenſati à jejunio, quantùm ſpectat ad abſtinentiam à cibis vetitis; non tamen ſunt diſpenſati à ieiunio quantùm ad abſtinentiam à duplici comeſtione. Et hæc opinio eſt magis tuta, quamvis oppoſita, quòd ſcilicet diſpenſatus ab eſu cibi vetiti, intelligatur etiam diſpenſatus à duplici comeſtione, ſit etiam probabilis apud aliquos Doctores, aſſerentes, abſtinentiam à carnibus eſſe de eſſentia ieiunii; & quoties quis eſt diſpenſatus ab eſu carnium, eſt totaliter à ieiunio diſpenſatus, ita ut non remaneat in eo obligatio ad abſtinentiam à duplici comeſtione.

Ratio,quare noſtra aſſertio eſt magis tuta in hoc,eſt, quia ieiunium duplicem diſtinctam obligationem imponit, unam de abſtinentia à carnibus, & alteram de abſtinentia à duplici comeſtione: qui ergo poteſt unam adimplere obligationem,& non poteſt aliam, tenetur adimplere illam, quam poteſt; quia ſunt obligationes diviſæ, & diſtinctæ. Quòd autem ſint obligationes diſtinctæ,patet. Primò, quia in diebus Veneris, & Sabbati per annum Eccleſia præcipit abſtinentiam à cibis vetitis, ſed non præcipit abſtinentiam à duplici comeſtione: ſicut etiam in Dominicis Quadrageſimæ. Secundò patet à pari,quia Clericis in Sacris conſtitutis eſt præcepta recitatio divini officii,quò ad omnes,& ſingulas partes officii:ſi quis autem legitimè eſt impeditus à recitatione unius partis, & poteſt aliquas recitare, ad illas, quas poteſt recitare, tenetur. Ita ſimiliter dicendum eſt in propoſito, quòd diſpenſatus ab abſtinentia à carnibus, ſi poteſt unicam tantùm facere comeſtionem, ad abſtinentiam à duplici comeſtione, tenetur.His benè notatis,

96 Quantùm nunc ſpectat ad impugnandam damnatam Propoſitionem, ſic arguo. Vel frangens jejunium ſcit,tale jejunium eſſe præceptum: vel non. Si ſecundum, dum ignorantia eſſet invincibi-

lis, excuſaretur à peccato, à quo non excuſaretur, ſi ignorantia eſſet craſſa, & vincibilis. Si primum: Ergo ſcit, quòd præceptum obligat ad ieiunandum; nam hoc habet ex ſua natura præceptum, quòd obliget ad rem præceptam: Ergo ſi ieiunium eſt ab Eccleſia præceptum, quiſque obligatur ex tali præcepto ad eiuſdem ieiunii obſervantiam: Ergo frangens ieiunium peccat mortaliter contra præceptum de ieiunando, etiamſi non frangeret ieiuninm ex contemptu, vel ex in obedientia, qua vellet non ſe ſubiicere præcepto. Quare dum quis frangit ieiunium ex contemptu, vel ex inobedientia, ultra temeritatis peccatum, quod committeret, contemnendo, ac ſpernendo leges, & præcepta Eccleſiæ, peccat etiam contra præceptum, quo ieiunium ipſum præcipitur. Ex hac ratione evidentiſſimè conſtat falſitas illius damnatæ Propoſitionis, & ſimul oſtenditur iuſta damnatio ejus, & quà ſcandaloſa, & quà temeraria.

97 Adverto, quòd illi, qui temporibus ieiunii ob evidentem neceſſitatem veſcuntur cibis paſchalibus, debent ſe abſtinere à nocivis; nam ſi cibi paſchales conceduntur ad damnum vitandum, ex cibis quadrageſimalibus proveniens; eadem ratione debet quis propter idem damnum vitandum, ab illis nocivis paſchalibus abſtinere.

ARTICULUS XXIV.

Exponitur ſenſus vigeſimaquartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaquarta damnata Propoſitio: *Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideoque ſufficit dicere in confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.*

98 Senſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, non eſſe ponendam diſtinctionem ſpecificam inter mollitiem, ſodomiam, & beſtialitatem. Quare inferunt Authores huius propoſitionis, quòd quando unum ex his peccatis committitur, quodcunque ſit, ſufficiat, ſi pœnitens dicat in confeſſione, *ſe procuraſſe pollutionem*, non explicando nec mollitiem, nec ſodomiam, nec beſtialitatem.

Oppugnatio Propoſitionis.

99 Vt clariùs procedatur ad hanc damnatam Propoſitionem impugnandam, notandum eſt, quòd peccatum contra naturam, quod graviſſimum eſt inter omnia peccata carnis, quæ contra

Digitized by Google

tra præceptum decalogi: *Non mæchaberis*, committuntur;illud eſt, quod ordini naturali repugnat in exercitio actus venerei. Et hoc eſt commune apud omnes Doctores cum D. Thoma q. 154. art. 11. Hoc autem peccatum contra naturam tripliciter contingere poteſt: vel abſque omni concubitu, procurando ſcilicet pollutionem in ſe; & hoc modo peccatum dicitur mollities. Secundo modo, quãdo fit per concubitũ cum vivente alterius ſpeciei;ut ſi quis coitum haberet cum beſtiis: & hoc modo peccatum dicitur beſtialitas. Tertio tandem modo, quando fit per concubitum cum perſona ejuſdem ſpeciei, ſed ſexus indebiti; ut maſculus cum maſculo, vel fæmina cum fæmina: & hoc modo peccatum dicitur ſodomia. Iſtæ tres ſpecies peccati contra naturam communiter aſſignantur à Doctoribus, ad quas quædam aliæ ſpecies, ut imperfectæ ad perfectas reducuntur. Ut ſi maſculus ſe copularet cum fæmina in vaſe præpoſtero, ſodomiam committerent, ſed imperfectam; quia ut dicit Doctor Angelicus, tunc eſtò non ſervetur vas naturale, ſervatur tamen ſexus, ſcilicet maris cum fæmina. Similiter imperfecta ſodomia eſt, ſi quis extra vas cum altero maſculo pollutionem haberet, etiam ex affectu ad indebitum (quicquid dicat Tamburinus). Inter omnia hæc peccata contra naturam, beſtialitas eſt graviſſimum; cum per illud non ſervetur identitas ſpeciei: & accidere poteſt tam ſi maſculus copulatur carnaliter cum beſtia fæmina, quàm ſi fæmina humanæ ſpeciei ſe copulet carnaliter cum beſtia maſculina. His itaque breviter notatis,

100 Impugno nunc ſup adictam damnatam Propoſitionem, primò, probando directè contra Authores damnatæ Propoſitionis, illa tria peccata contra naturam eſſe ſpecie diſtincta, & quidem eſſentialiter. Quoties aliqua peccata ſpeciali prohibitione prohibentur,toties illa peccata ſpecie diſtinguuntur:ſed mollities,ſodomia,& beſtialitas,quamvis ſint omnes contra naturam,tamen ſpeciali prohibitione prohibentur: Ergo ſpecie diſtinguntur Major eſt certa, quia una ex rationibus probantibus diverſitatem ſpecificam peccatorum, eſt diverſitas prohibitionis, quibus peccata prohibentur: ut patet de furto ſacrilego, quod ſpecie differt à furto ſimplici, nec rei ſacræ,nec in loco ſacro commiſſo;quod furtum ſacrilegum,cùm prohibeatur ſpeciali prohibitione, mutat ſpeciem in eodem genere peccati furti. Minor etiam oſtenditur ex illo Apoſt.1. Corint. 6 ubi habetur: *Nec molles,nec maſculorum concubitores Regnum Dei poſſidebunt*. Ex quibus verbis apparet diverſitas præcepti circa mollitiem,& circa ſodomiam. Quoties ergo ſunt ſpecies diverſæ, malitia cujuſcunque aperienda eſt in confeſſione:ut conſtat ex Concilio Trid.ſeſſ.14.cap.5.incip.*Ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ &c.*

his verbis: *Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quòd ſine illis peccata ipſa, nec à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere.* Et ſubdit immediatè. *Unde alienum à ratione eſt, docere, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe.* Ex quibus Concilii verbis conſtat, circumſtantias mutantes ſpeciem, ut in propoſito ſunt mollities, ſodomia, & beſtialitas, eſſe neceſſariò explicandas in confeſſione: & non ſufficit dicere: *Procuravi pollutionem.*

101 Secundò: dato, & non conceſſo, quòd illa peccata contra naturam non eſſent ſpecie diſtincta, adhuc tamen neceſſe eſt illa, ut diſtincta explicare in confeſſione. Primò, quia etſi non diverſificentur ſpecie, diverſificarētur ſaltē modaliter, quatenus diverſum modū haberent exercendi copulā contra naturā; ſed hujuſmodi diverſitas modi eſt explicanda in confeſſione; quia ſaltem modaliter variat malitiam, & fundat difformitatem diverſam contra diſtinctam prohibitionem: Ergo &c. Quare diverſitas peccandi, abſque alieno concubitu: quòd eſt mollities; vel peccandi per concubitum cum vivente alterius ſpeciei: quod eſt beſtialitas; vel per concubitum cum perſona ejuſdem ſpeciei; ſed ſexus indebiti, quòd eſt ſodomia; neceſſariò explicanda eſt in confeſſione. Et hoc quidem, tam ad integritatem confeſſionis, quàm ut confeſſarius certificetur, quodnam peccatum fuerit commiſſum. Nam ſi quis commiſerit peccatum ſodomiæ, & in confeſſione diceret (ut prætendunt Authores damnatæ Propoſitionis) *Procuravi pollutionem*, jam tolleretur de medio caſus, Epiſcopo reſervatus circa ſodomiam perfectam. Quia poſſet confeſſarius, ſtando dicto pœnitentis, eum abſolvere, putans, pœnitentem peccaſſe peccato mollitiei, quod Epiſcopo non eſt reſervatum: Quod fieri nequit abſque præjudicio abſolutionis, & in fraudem Sacramenti. Unde concludendum eſt, ob tot inconvenientia, meritò fuiſſe, ut ſcandaloſam, damnatam ſupradictam propoſitionem, quòd ſcilicet, mollities, ſodomia, & beſtialitas non ſint peccata ſpecie diſtincta; & quòd ſufficiat dicere in confeſſione, *ſe procuraſſe pollutionem.*

ARTI-

ARTICVLVS XXV.

Exponitur ſenſus vigeſimæquintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaquinta Propoſitio. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.*

102 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, non eſſe neceſſariò explicandam copulam in confeſſione, quam quis habuit cum ſoluta, & putant Authores hujus Propoſitionis, ſufficere, ſi pœnitens dicat: *Commiſi grave peccatum cum ſoluta contra caſtitatem.*

Oppugnatio Propoſitionis.

103 SVppono tanquam certum apud omnes Doctores, circumſtantias, ſive mutantes ſpeciem, ſive aggravantes notabiliter peccatum in eadem ſpecie, eſſe neceſſariò aperiendas in confeſſione. Quod etiam docet Concilium Tridentinum cit.ſeſſ.14.cap.5. de illis præſertim, quæ ſpeciem mutant, relat. num. 100. Vbi alienum à ratione vocat eum, qui docet, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe. Id etiam aſſerit can.7. ejuſdem ſeſſ. his verbis: *Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, &c. & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, &c. anathema ſit.* Iſtæ circumſtantiæ, quæ mutant ſpeciem, de fide eſt, quòd ſint neceſſariò confitendæ, præſertim quia peccata, his poſitis circumſtantiis, ſunt contra diverſas virtutes, & contra diverſa præcepta: ut eſſet ſtuprum, quòd eſt contra caſtitatem, & contra juſtitiam: unde in confeſſione non ſufficit dicere peccavi peccato fornicationis, vel contra caſtitatem, ſed pœnitens tenetur dicere: *Peccavi peccato ſtupri.*

104 Circumſtantiæ verò, quæ non mutant ſpeciem, ſed notabiliter aggravant peccatum in eadem ſpecie, ſunt illæ, quæ quantumvis creſcant in infinitum, tamen non habent ſpeciem peccati mutare; licèt habeant mutare judicium confeſſarii ad imponendam hanc, vel illam pœnitentiam: ut ſi quis peccaret peccato inceſtus, intimior graduatio aggravaret peccatum in eadem ſpecie: ut ſit eſſet in primo gradu, eſſet majus peccatum, quàm ſi eſſet in ſecundo, & ſi in ſecundo eſſet majus, quàm ſi eſſet in tertio. Quare aliud judicium efformaret confeſſarius per cognitionem, & ſcientiam habitam

tam de graduatione peccati, quàm ſi pœnitens ſimpliciter dicat: *Peccavi peccato inceſtus.*

105 Quantùm nunc ſpectat ad impugnationem ſupradictæ damnatæ propoſitionis, arguo ſic. Vel ſoluta, cum qua quis copulam habuit, eſt affinis, aut conſanguinea, vel non. Si eſt affinis, aut conſanguinea, tunc cùm hæc circumſtantia affinitatis, vel conſanguinitatis mutet ſpeciem in genere luxuriæ, non ſufficit dicere: *Peccavi peccato contra caſtitatem*; aliàs quis poſſet licitè tacere circumſtantiam mutantem ſpeciem; quòd eſt contra Concilium cit. ſi non eſt affinis, vel cõſanguinea; tunc, vel copula, quã cum illa ſoluta habuit, fuit in vaſe naturali, vel contra naturam, ſeu in vaſe præpoſtero: & ſic etiam habetur circumſtantia mutans ſpeciem; nam in vaſe naturali eſt ſimplex fornicatio cum ſoluta; in vaſe verò præpoſtero eſt contra naturam, ſpecie diſtinctum à ſimplici fornicatione: Ergo quomodocunque ſumatur illa copula cum ſoluta, non ſufficit dicere in confeſſione: *Peccavi contra caſtitatem*; ſed neceſſariò explicanda eſt copula. Et aliter ſentientes, ut hæretici reputandi ſunt; quia adverſantur citato Concilio.

106 Deinde: peccatum contra caſtitatem eſt peccatum genericum contra iſtam virtutem; ſed Conc. citatum vult, & quidem ex divino præcepto, peccata eſſe manifeſtanda, quò ad ſpeciem, circumſtantiam, & numerum: Ergo non ſufficit pœnitenti, ſi dicat, *Peccavi contra caſtitatem*. Tandem: ſicuti non eſt idem exercere actus venereos cum muliere ſoluta, ſcilicet per amplexus, oſcula, tactus, &c. ac ſe cum muliere copulare; ita diverſam materiam conſtituit copula ab illis actibus venereis contra caſtitatem; ſed materia confeſſionis eo modo, quo eſt contra præceptum, aperiri debet in confeſſione: Ergo ſi peccatum contra caſtitatem eſt per copulam, explicanda erit copula in confeſſione. Ac per conſequens, ut ſcandaloſa, & in fide ſuſpecta damnata fuit ſupradicta propoſitio 25. qua præſumebant ipſius Authores, auferre de medio circumſtantias peccatorum, & neceſſitatem eas explicandi in confeſſione.

ARTICVLVS XXVI.

Exponitur ſenſus vigeſimæſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſexta damnata Propoſitio. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.*

107 Sen-

107 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis hic eſt:ſint duo litigantes ad vineam aliquam V.G.obtinendã, & pro jure utriuſque ſint æqualis probabilitatis rationes, ita ut non magis urgeat ratio ex parte unius quàm alterius: poteſt (ut putant Authores hujus damnatæ Propoſitionis)Judex,coram quo pendet cauſa utriuſque litigantis, accipere pecuniam ab uno, & pro iſto, ſeu in favorem iſtius, ferre ſententiam. Hic eſt ſenſus damnatæ Propoſitionis.

Oppugnatio hujus Propoſitionis.

108 ADvertendum eſt, propoſitionem probabilem eſſe talem, vel probabilitate intrinſeca, vel extrinſeca; vel ſimul intrinſeca, & extrinſeca. Tunc propoſitio eſt probabilis intrinſeca probabilitate, quando habet pro ipſa probabiles rationes, quibus tuetur, & quibus ſolvantur argumenta in contrarium. Tunc eſt probabilis probabilitate extrinſeca,quando pro ipſa ſtat Doctorum authoritas,& ſequela;ita ut plures Doctores eam defendant. Tunc tandem eſt probabilis,tum intrinſeca, tum extrinſeca probabilitate, quando, & habet rationes efficaces ad ipſam tuendam, per quas etiam ſoluuntur argumenta in oppoſitum: & inſuper habet Doctorum authoritatem, & ſequelam. Vnde fit, quòd illa eſt magis probabilis ab intrinſeco, ſeu probabilitate intrinſeca, quæ efficaciores habet rationes; & illa eſt magis probabilis probabilitate extrinſeca, quæ plurium, & majorum Doctorum fulget authoritate. Si verò ſint duæ opiniones æquè probabiles, vel ſunt æquè probabiles probabilitate intrinſeca; vel æquè probabiles probabilitate extrinſeca, vel utraque probabilitate ſunt æquè probabiles.

109 His notatis, contra aſſertum damnatæ propoſitionis, arguo ſic. Vel Iudex cognoſcit, quòd litigantes habent rationes æquè probabiles, itaut non magis pro una parte, quàm pro alia ferenda ſit ſententia: vel non cognoſcit rationes pro utraque parte probabiles. Si cognoſcit, rationes eſſe æquè probabiles, injuſtitiam faceret uni parti, pro qua ſententiam non pronunciaret, ſi ab illa parte, pro qua ferret ſententiam, pecuniam reciperet. Probatur hoc aſſumptum; quia potiùs Iudex moveretur intuitu pecuniæ ad ferendam ſententiam in favorem unius, quàm ex juſtitia, quæ probabiliter ſtaret pro hac parte; nam Iudex tunc non moveretur à rationibus, & juribus ſtantibus pro hac parte, ſed à pecunia ipſum corrumpẽte,ad hanc inclinandũ potiùs,quàm ad aliam.Tum etiã quia: altera pars, cùm haberet rationes æquè probabiles, iniuſtè ſuo iure privaretur; cùm ſaltem per rationes æquè probabiles, quas haberet, poſſet cum ſuo competente devenire in compoſitionem, dividen-

videndo ſcilicet rem, ad quam æquale Ius uterq; habet: Ergo dum Ius ad ſe componendum amitteret altera pars, contra quam emanaret decretum per Iudicem, qui pecuniam reciperet à parte contraria, iam Iudex contra iuſtitiam peccaret. Si non cognoſcit rationes pro utraque parte æquè probabiles, & putat magis eſſe pro illa, pro qua non fert favorabilem ſententiam; à fortiori contra iuſtitiam peccat, quia tollit Ius magis probabile unius, ut detur alteri, & tollit cauſam ab eo, ad quem de iure ſpectat. Si verò putat, rationes eſſe magis probabiles pro illa parte, pro qua fert ſententiam favorabilem; tunc etſi excuſetur ab iniuſtitia, nequit tamen excuſari ab aviditate; quia potiùs decerneret ex aviditate pecuniæ, quàm ex inclinatione iuſtitiæ. Ratio huius eſt, quia iſta pars, quæ iudicaretur habere rationes magis probabiles, ius haberet ad cauſam pro ipſa: Ergo conferendo pecuniam, ut pro ſe ſententiam habeat, iam emeret ius ſuum; ſed abſque iniuſtitia nemo cogi poteſt ad emendum ius ſuum: vel ſi ſpontè daret pecuniam, nemo poteſt abſque iniuſtitia ius alterius vendere: quod eveniret in caſu. Ergo nullo pacto, quando rationes ſunt æquè probabiles, eſtò quandoque ſic non cognitæ à Iudice, poteſt hic ab una parte pecuniam recipere, pro ferenda ſententia in favorem iſtius: & conſequenter ut ſcandaloſa, & præiudicativa iuſtitiæ damnata fuit ſupradicta propoſitio 26.

ARTICULUS XXVII.

Exponitur ſenſus vigeſimæſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſeptima damnata Propoſitio: *Si liber ſit alicuius junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica, tanquam improbabilem.*

110 Senſus huius damnatæ Propoſitionis duo aſſerit: primum, quòd quando quis ſcit, aliquam opinionem eſſe reiectam à Sede Apoſtolica, ut improbabilem, non poſſit eam ſequi: Quod quidem verum eſt; aliàs ut temerarius, & hæreticus reputandus eſſet, qui contra determinationem Eccleſiæ doceret. Secundum, quod aſſerit, eſt, quòd dum non conſtet, opinionem alicuius moderni eſſe reiectam, ut improbabilem, à Sede Apoſtolica, poſſit eo ipſo cenſeri probabilis. Hoc ſecundum eſt falſum, & erroneum, ut mox oſtendam.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

111 SVppono ex dictis num. 108. opinionem poſſe eſſe probabilem ab intrinſeco, & ab extrinſeco. Inſuper ſuppono, poſſe eſſe probabilem ſpeculativè, & practicè. Eſt probabilis ſpeculativè, quando habet rationes, vel Doctorum authoritates probantes, hoc eſſe licitum, vel illicitum, abſtrahendo à circumſtantiis in particulari. Eſt autem probabilis practicè, quando prudenter judicat, hanc actionem eſſe licitam, vel illicitam, cum his, vel illis circumſtantiis in particulari. Exemplum utriuſq; opinionis probabilis: eſt ſpeculativè probabile, poſſe offenſum coram Judice querelã facere contra offenſorem: & hoc quidem eſt tantùm probabile ſpeculativè; quia probabilitas iſta ſpeculativa præſcindit à circumſtantia in particulari, ratione cuius offenſus gaudere poſſit de vindicta exercita à Judice contra offenſorem. Eſt practicè probabile, quòd mutuans centum Cajo, ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis, poteſt licitè lucrum acquirere; hæc opinio eſt practicè probabilis, quia prudenter iudicatur, hanc actionem eſſe licitam cum his circumſtantiis lucri ceſſantis, & damni emergentis. In hoc ſecundo caſu opinio eſt etiam ſpeculativè probabilis, quia habet rationes, & Doctores ipſam tuentes.

112 Inſuper ſuppono, in moralibus ſequendam eſſe opinionem practicè probabilem, non verò illam, quæ tantùm ſpeculativè probabilis eſt: quia opinio, quæ tantùm ſpeculativè eſt probabilis, & non practicè, eſt periculoſa, & inductiva peccati: ut patet in exemplo allato de eo, qui coram Judice offenſorem accuſat; ubi adeſt periculum gaudendi de malo offenſoris, non ex motivo iuſtitiæ per Judicem exercitæ, ſed ex odio. Tandem ſuppono, opinionem aliquam poſſe eſſe magis probabilem, & minùs tutam; & aliam minùs probabilem, & magis tutam. Aliqui volunt, ſemper ſequendam eſſe opinionem magis tutam, eſtò ſit minùs probabilis: quia magis tuta minùs exponitur periculo peccandi. Alii Doctores volunt, eſſe ſequendam potiùs magis probabilem, quàm magis tutam; quia cum majori probabilitate, quis habet magis prudens iudicium non errandi: quod ſufficit in materia morum, etiam ad peccatum vitandum. Quicquid ſit de hoc, me remitto ad ea, quæ dixi in 5. diſp. lib. de juſt. & jure.

113 Quantùm ſpectat ad noſtrum propoſitum, impugno ſupradictam damnatam Propoſitionem ex eo, quòd dicit, quando non conſtat, opinionem alicuius moderni eſſe à Sede Apoſtolica reiectam, cenſendam eſſe probabilem. Quia opinio eſt alicuius Docto-

ris moderni, & in morum materia periculoſa, non debet cenſeri abſolutè probabilis ; dum per hanc opinionem præſertim reiicerentur opiniones aliorum Doctorum , vel ut improbabiles, vel ut minùs probabiles: Ergo non per hoc , quòd ſit alicuius Doctoris moderni, cenſenda eſt opinio probabilis. Probatur aſſumptum; quia in materia morali , quælibet opinio ſuum habet authorem , & forſan maioris notæ, quàm Doctoris moderni; & tamen non omnis opinio in moralibus cenſenda eſt probabilis; imò multæ , ut improbabiles, ſaltem practicè , quia ſcandaloſæ , damnatæ ſunt . Ergo quamvis opinio ſit moderni, & Iunioris Doctoris, non per hoc cenſeri debet probabilis ; niſi de eius probabilitate aliunde conſtet ; & inſuper ut probabilis approbetur . Deindè Doctor modernus non habet ex ſe, poſſe facere opinionem probabilem , ſed illam , ut probabilem alii Doctores debent approbare ; aliàs poſſet hic Doctor dicere , & rationibus probare , quod eſt contra omnes Doctores , & per hoc eius aſſertum exiſtimari probabile : quod non eſt dicendum . Quapropter opinio cuiuſcunque moderni Doctoris , niſi de eius probabilitate conſtet , non eſt cenſenda probabilis , non obſtante , quòd, ut improbabilis non ſit à Sede Apoſtolica reiecta.

ARTICVLVS XXVIII.

Exponitur ſenſus vigeſimæoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaoctava damnata Propoſitio. *Populus non peccat , etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem , à Principe promulgatam.*

114 SEnſus hujus Propoſitionis damnatæ eſt , quòd populus non habeat obligationem acceptandi legem , à Principe promulgatam; & ideo putant Authores iſtius Propoſitionis , quòd Populus non peccet , ipſam legem non recipiendo , etiamſi illam non recipiat abſque ulla cauſa.

Oppugnatio Propoſitionis.

115 LEx communiter definiri ſolet, *quod ſit ad bonũ commune ordinatio, promulgata ab eo, qui curam publicæ communitatis habet , cum voluntate perpetuò obligandi ad illius obſervantiam.* Ab hac lege dimanant præcepta obſervanda ab iis, qui ſubduntur legi. Suppono ex diſp. de Lege, quòd Lex alia eſt æterna, qua ſecundum judicium practicum cognoſcuntur à Deo aliquæ veritates practi-

cæ

cæ ab æterno, à rationali creatura obſervandæ: quæ vim habent creaturam obligandi ad obſervantiam ipſarum veritatum: ut ſunt iſtæ: *Deus eſt colendus*, *Deus eſt amandus*, *&c.* Alia eſt naturalis, quæ ab æterna derivata eſt, & dicitur naturale lumen, nobis à Deo inditum, quo judicamus, hoc eſſe bonum, & ſic proſequendum; & illud malum, & ſic fugiendum: ab hac aliqua præcepta dimanant; ut *Quod tibi non vis, alteri ne facias, &c.* Alia eſt poſitiva, quæ ordinatur ad bonum commune; & huic legi competit ſupradicta definitio. Hæc autem Lex poſitiva, vel eſt Divina, quæ ſcilicet immediatè traditur à Deo ad aliqua obſervanda præcepta, ut homines per illorum obſervantiam pervenire poſſint ad Cœleſtem Beatitudinem; & alia eſt humana, quæ ab homine ordinata eſt ad bonum ſervandum, ſed à Deo eſt regulata; quia eſt ordinata ad honeſtè vivendum. Hæc tandem Lex humana alia eſt Eccleſiaſtica, quæ ſcilicet ab habente poteſtatem Eccleſiaſticam ordinata eſt, qua traduntur præcepta quædam obſervanda in ordine ad bonum ſupernaturale conſequendum, & ad pœnam æternam fugiendam. Et alia eſt civilis, quæ à Principe ſeculari, poteſtatem habente, ordinatur ad bonum publicum, & ad Reipublicæ felicitatem. His ſuppoſitis ex materia de lege,

116 Nunc impugno propoſitionem damnatam. Vel lex; quæ promulgatur à Principe eſt Eccleſiaſtica, vel civilis. Si Eccleſiaſtica, non requiritur Populi acceptatio, ut ponat obligationem ad ſui obſervantiam. Probatur hoc aſſumptum; nam Pontifex in decidendis, condendis, & promulgandis legibus poteſtatem accepit à Chriſto Domino, dicente D. Petro: *Quodcunque ligaveris ſuper Terram, erat ligatum, & in Cœlis, &c.* Ergo ut lex Eccleſiaſtica habeat vim obligandi in conſcientia, non eſt neceſſaria acceptatio Populi: Ergo dum Populus illam non recipit, mortaliter peccat. Tum etiam, quia omnis lex humana poſitiva Eccleſiaſtica, quæ non ſit purè pœnalis, habet vim obligandi in conſcientia, & ſub culpa, nulla poſita populi acceptatione: Ergo populus, eſtò non recipiat legem à Pontifice promulgatam, adhuc ad obſervantiam illius tenetur. Si verò lex eſt civilis: quamvis Principes ſint à populis inſtituti ad gubernium publicum, tamen dum Rempublicam gubernant, habent abſolutam poteſtatem, & non dependentem à ſubditis: Ergo ſubditi manent obligati ad acceptandam legem juſtam à Principe conditam, & ab eo promulgatam. Nam quoties poteſtas eſt abſoluta, & abſque dependentia à voluntate ſubditorum, poteſt Princeps uti ſuo abſoluto dominio ad condendas, & promulgandas leges; ſed lex, quæ iuſta eſt, ex ipſa promulgatione habet vim obligandi ſubditos, eoſque legi ſubiiciendos: Ergo etiamſi ſubditus il-

lam non acceptet, obligat tamen eum ad eiuſdem legis obſervantiam. Quod patet ex Apoſt.ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Et ibidem: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt ipſi, ſibi damnationem acquirunt.* Ex quibus Apoſtoli verbis infertur, obligatos eſſe in conſcientia ſubditos, ſeu populum, ad recipiendam legem à Principe promulgatam, & ad ipſam obſervandam. Et hoc exprimunt alia verba, quæ ex eodem Apoſt. ſequuntur ibidem: *Subditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

117 Ex quibus verbis Apoſtoli ſic inſurgo contra damnatam propoſitionem: Si populus eſt ſubditus Principi, tenetur in conſcientia ei obedire, dum iuſtè præcipit, & acceptare leges, ex quibus dimanant præcepta obſervanda, ad iuſtè, honeſtèque vivendum: Ergo quoties populus leges non recipit, & acceptat, reſiſtit Principis voluntati, & ab obedientia eiuſdem recedit; ſed ſubditus reſiſtendo voluntati Principis, & recedendo ab eius obedientia, peccat: Ergo abſque peccato non poteſt populus non acceptare leges, à Principe promulgatas. Unde concludimus illam 28. propoſitionem, ut ſcandaloſam fuiſſe meritò damnatam ab Alexandro VII.

Tenor ſententiæ damnationis ſupradictarum 28. Propoſitionum, primò ab Alexandro VII. damnatarum.

Quibus peractis, dum ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur; interea idem Sanctiſſimus, re maturè conſiderata, ſtatuit, & decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquanque ipſarum, ut minimùm, tanquam ſcandaloſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicunque illas, aut coniunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, etiam quacunque dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cuiuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum, ad praxim deducant.

Hoc Decretum fuit publicatum 2. Octobris 1665.

Sequi-

Sequitur aliud Decretum emanatum ab eodem Alexandro VII. quo damnantur decem, & ſeptem aliæ Propoſitiones.

Feria quinta die 18. *Martii* 1666.

IN *Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis babita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. Domino noſtro Alex. Divina Providentia Papa Septimo, &c. Sanctiſſimus Dominus noſter, poſt latum Decretum die* 24. *Septembris* 1665. *proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt; examinatis ſedulò, & accuratè uſque ad banc diem infraſcriptis aliis. quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per E. E., & Reverendiſs. D.D. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit &c.*

ARTICULUS XXIX.

Exponitur ſenſus vigeſimænonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimanona damnata Propoſitio. *In die jejunii, qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit non frangit jejunium.*

118 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd Authores ipſius putant, quòd ſæpiùs quis parvam comedendo quantitatem cibi, ut unius unciæ in ſingulis vicibus, non frangat jejunium, etiamſi per plura modica deveniatur ad notabilem quantitatem, libræ V.G. Quod, ut oſtendemus, ſcandaloſum eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

119 SUppoſitis iis, quæ diximus contra vigeſimamtertiam damnatam Propoſitionem, nunc pro majori claritate impugnandi præſentem propoſitionem, & tres alias ſubſequentes, quæ in materiam jejunii incidunt, advertendum eſt, quòd extrà unicam comeſtionem, in die jejunii permiſſam ab Eccleſia, tantùm concedi poteſt jejunantibus quædam collatiuncula in ſero facienda, non quidem, ut ex ea corpus completam refectionem recipiat; aliàs potiùs

tiùs cœna vocanda eſſet; ſed ſolùm ad illud conſervandum, ne plùs juſto extenuetur. Quanta debeat eſſe huiuſmodi collatiuncula, non adinvicem ſe concordant Doctores, ſed tutior opinio eſt, (ut, Deo dante, dicemus in materia præceptorum Eccleſiæ) quòd non debeat excedere octo uncias Romanas, vel ſaltem quartam partem comeſtionis conſuetæ: ſed non debet eſſe de cibis ſubſtantialibus, ex quibus validum nutrimentum reciperet corpus.

120 Ubi etiam noto, ex duplici capite oriri obligationem jejunandi: vel ex communi præcepto Eccleſiæ; vel ex voto, ſimplici, vel ſolemni Religionis. Obligatio jejunandi ex præcepto Eccleſiæ diſpenſari poteſt in multis: & præſertim in infirmis, convaleſcentibus, lactantibus, prægnantibus, debilibus, & laborantibus neceſſario labore; vel ad propriam vitam ſuſtentandam, vel ad utilitatem boni publici, vel Eccleſiæ (dummodo labor ſit ita notabilis, ut reddatur incompatibilis cum jejunio, & quod non poſſit differri in alium diem, in quo non urget præceptum jejunandi). Et etiam excuſantur pauperes, qui carent neceſſariò cibo ad unicam comeſtionem. Et in lege præcipiente ieiunium non comprehenduntur illi, qui non exceſſerunt vigeſimumprimum annum, nec illi, qui exceſſerunt ſexageſimum. At ab obligatione ieiunandi ex voto, quodcunque ſit, & præſertim ſi eſt ſolemne Religionis, tantùm infirmi, convaleſcentes, & laborantes pro bono publico Religionis, & ex ſpeciali mandato ſuperioris, (dummodo exceſſus laborum ſit incompatibilis cum ieiunio,) ſunt excuſati. His exceptis, omnes alii ieiunare tenentur, etiamſi nondum attigerint vigeſimumprimum annum, vel exceſſerint ſexageſimum. Ratio huius eſt; quia Religioſi voluntariè ſe obligarunt voto ieiunandi ſtatutis diebus, à Regula præfixis, & quidem toto tempore vitæ eorum. Per hanc eandem rationem, adverto, omnes eos, qui voto jejunandi in ſingulis ſextis feriis anni ſunt adſtricti, tenentur etiam ad obſervantiam ieiunii, & non veſcendi carnibus, ſi Nativitas Domini noſtri inciderit in ipſam feriam ſextam. Ratio eſt, quia voventes ſpontè ſe obligaverunt ad ieiunandum, abſque ulla exceptione: & Eccleſia neceſſitat ad ieiunium, à quo poteſt etiam ipſa Eccleſia diſpenſare; quod facere non poteſt in voto ſolemni, præſertim diſpenſatione rigorosè dicta. Ad quod militat etiam *textus in cap. exiit de verb. ſignif. in 6. §. in primis: & Clement. eod. tit.* Et in tex. *in cap. explicari, de obſervantia jeiunii*, habentur hæc verba: *Reſpondemus, quòd illi, qui nec voto, nec Regulari obſervantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſi feſtum Nativitatis Dominicæ contigerit; carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ Generalis.* Per hunc textum excipiuntur ii, qui ſunt voto, & Regulari obſervantia adſtricti.

121 Quan-

121 Quantùm nunc ſpectat ad impugnandam ſupradictam damnatam Propoſitionem, arguo ſic. Qui ſæpiùs modicum comedit in die ieiunii, deveniendo ad quantitatem, nequit excuſari ex parvitate materiæ; nam idem eſſet ſæpiùs modica comedere, deveniendo ad quantitatem, ac ſimul ponere exceſſum in comedendo; qui exceſſus, non ſolùm duplicaret comeſtionem, quod eſt contra naturam ieiunii; ſed etiam ex illis modicis corpus ſubſtantiam alimenti reciperet; Sed tam per exceſſum ad unicam comeſtitionem conſtituentem naturam ieiunii, quàm per alimentum diſtinctum ab unica comeſtione, quod corpus reciperet, frangitur ieiunium: Ergo qui ſæpiùs modicum quid comedit in die ieiunii, deveniendo ad quantitatem, frangit ieiunium. Quod etiam patet: ſi quis ſingulis horis, in die ieiunii ſumeret unam unciam cocholatæ, ante comeſtionem: & id etiam faceret poſt comeſtionem, deveniendo ad quantitatem ſumptionis, ſex, vel octo vnciarum in toto die, vel unius libræ; tunc parva materia illius ſumptionis, unita cum ceteris parvis materiis, faceret quantitatem extrahentem materiam illam à ratione parvitatis; nam non poſſet cenſeri parva materia una libra cocholatæ, quæ ſubſtantialis eſt: Ergo ſemper ac modicum quid comederetur ſæpiùs, perveniendo ad quantitatem, frangeretur ieiunium. Supradicta damnata Propoſitio eſt ita ſcandaloſa, ut prætendant Authores ipſius tollere de medio obligationem ieiunii; vel ſaltem naturam ipſius, quò ad abſtinentiam à duplici comeſtione, deſtruere; quod ſcandaloſum, & erroneum eſt.

ARTICVLVS XXX.

Exponitur ſenſus trigeſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſima damnata Propoſitio. *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio.*

122 Senſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd omnes officiales, qui ſcilicet in officio ſpectante ad Rempublicam laborant, ut Magiſtratus, Gubernatores, Notarii, Scribæ, & ſimiles, ſint excuſati à ieiunio; & inſuper Authores iſtius Propoſitionis, putant, hos officiales non debere ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio. Utrumque aſſertum in hac propoſitione eſt ſcandaloſum, ut mox oſtendemus.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

DVo tangit præſens damnata Propoſitio, unum directè contra obligationem ieiunii: alterum contra diligentiam præſtandam, ut ſciatur, an labor ſit cum ieiunio compatibilis, vel incompatibilis. Vnde putant Authores damnatæ Propoſitionis, laborem abſolutè à ieiunio excuſare.

123 Contra hoc aſſertum ſic arguo. Labor officialium, qui in Republica corporaliter laborant, eſt labor moraliter compatibilis cum ieiunio; quia omnes iſti officiales iudicare prudenter poſſunt, laborem illum præſtitum non eſſe ita gravem, ut non compatiatur cum ieiunio: & inſuper, laborem ipſum non eſſe neceſſariò præſtandum in die ieiunii, ſed poſſe differri in alium diem, in quo non urget præceptum ieiunandi: Sed ſtante hoc prudenti judicio, neceſſariò adhibendo in quacunque materia præcepta, nemo poteſt excuſari à ieiunio præcepto ab Eccleſia, quando labor eſt compatibilis cum ieiunio: Ergo officiales, qui pro Republica laborant, non poſſunt abſolutè excuſari ab obligatione ieiunii. Totum hoc eſt certum de quocunque præcepto, nedum negativo, ſed etiam poſitivo. Vt quis nanque excuſetur ab obligatione audiendi Sacrum, vel ab obligatione recitandi officium, debet prudenter judicare, quòd impedimentum remotiuum ab auditione Sacri in die feſto, vel à recitatione officii, ſit neceſſarium, & urgens pro illo die: & quòd inſuper ſit incompatibile cum auditione Sacri; vel cum officii recitatione. Ita in propoſito: ut officiales laborantes in Republica ſint à ieiunio excuſati, debent prudenter judicare, laborem illum eſſe ita gravem, & neceſſarium pro illo die, pro quo urget præceptum, ut non compatiatur cum ieiunio. Quare nulla ratione excuſari poſſunt ab obligatione ieiunii.

124 A'fortiori nequeunt à tali obligatione excuſari, quando non certificantur, an labor ſit compatibilis cum ieiunio. Ratio eſt, quia quando præceptum ieiunii urget, qui non poteſt, ob urgentem neceſſitatem, jejunare, debet eſſe certus, quòd jejunium, ipſum non obligat ad ieiunandum; ſed tunc non obligat ad ieiunandum, quando actio neceſſariò præſtanda, eſt cum ieiunio incompatibilis: Ergo qui laborant corporaliter in Republica, debent certificari, an labor ſit compatibilis cum ieiunio. Quare ſi hanc certitudinem habent, quòd labor compatiatur cum ieiunio, ieiunare tenentur: & ſi non compatiatur cum ieiunio, non tenentur ieiunare. Vnde concludendum eſt, abſolutum laborem corporalem præſtitum ab officialibus (quicunque ſint) ſi non eſt ita magnum, & neceſſarium pro illo die, in quo

Digitized by Google

inquo urget præceptum ieiunandi, ut non ſit compatibilis cum ieiunio, nec poſſit transferri in alterum diem, in quo præceptum non urget, non excuſare ipſos officiales ab obligatione ieiunii. (Imò etiò cognoſcant neceſſitatem laborandi pro illo die, tenentur ſe certificare, an labor ſit cum ieiunio compatibilis,) & hoc quidem propter rationem ſupra adductam; quia in materia præcepti quilibet habere debet judicium prudens, quo judicet, hîc, & nunc præceptum obligare, vel non obligare: quod judicium habere non poteſt in caſu, niſi habeat certitudinem, an labor ſit compatibilis cum jejunio, & an urgeat pro tali die.

ARTICULUS XXXI.

Exponitur ſenſus trigeſimæprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaprima damnata Propoſitio. *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

125 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt in tres partes diviſus. Prima pars, qua putant Athores ipſius, quòd itinerantes equitando, abſolutè ſint à præcepto ieiunii excuſati. Secunda pars, quòd etiam ſint excuſati, ſi iter agant, quod non ſit neceſſarium. Tertia pars, ſi iter agant tantùm per unum diem. Ex omnibus his tribus partibus propoſitio eſt damnata, ut temeraria, & ſcandaloſa.

Oppugnatio Propoſitionis.

126 PRimæ partis hujus damnatæ Propoſitionis falſitas oſtenditur ex hoc, quòd iter agentes cum commodo, quod eſt iter facere, abſque magno corporis labore, non excuſantur à præcepto ieiunii: & hoc modo ſe habent itinerantes equitando; qui iter agunt cum commodo, & abſque magno corporis labore. Nam illi excuſari poſſunt à præcepto ieiunii, qui cenſentur ex itinere fatigati, ratione cujus fatigationis corpus grave recipit detrimentum, omninò incompatibile cum ieiunio; ſed qui equitando iter agunt, corpus eorum tale detrimentum non recipit incompatibile cum ieiunio: Ergo non ſunt abſolutè à præcepto ieiunii excuſati. Ultraquamquòd, ut quis dicatur abſolutè ab aliquo præcepto excuſatus, debet eſſe exemptus à lege præcepti: ut in caſu de præcepto ieiunii excuſantur ii, qui non habent vigeſimumprimum ætatis

annum, & qui ſuperaverunt ſexageſimum, qui à lege ieiunii ſunt exempti; ſed iter agentes, & præſertim equitando, non ſunt exempti à lege ieiunii. Nam qui propter gravem laborem excuſatur, non eximitur à lege, ſed tantùm excipitur ex impedimento neceſſario incompatibili cum obſervantia præcepti: Ergo iter agentes, & præſertim equitando, non excuſantur ab obligatione ieiunii: adeoque prima pars illius damnatæ Propoſitionis eſt falſa, & ſcandaloſa. Addo ad hoc, quòd quando præceptum ieiunii excipit aliquos propter labores, debet ſupponi labor corporis, vel mentis, incompatibilis cum ieiunio: At iter agentes equitando, nullum laboris incommodum patiuntur, nec corporis, nec mentis, quod incommodum ſit incompatibile cum ieiunio: Ergo ex ratione præciſa iter agendi, non excuſantur à ieiunio, ſi iter agunt equitando. Et dum excuſantur, hoc evenit, quando prudenter judicatur, iter eſſe incompatibile cum ieiunio: quod eveniret quando quis neceſſitatus eſſet, tam propter bonum publicum, quàm propter bonum particulare iter agere, etiam equitando per plures dies, ex quo itinere magnum corpus reciperet incommodum: & aliunde non poſſet iter illud differre in alium diem, in quo non urget præceptum.

127 Per hoc patet falſitas ſecundæ, & tertiæ partis damnatæ Propoſitionis. Nam quando iter non eſt neceſſarium, & eſt unius tantùm diei, tunc qui iter agit, poteſt prudenter differre iter illud in alium diem, in quo non urget præceptum ieiunandi, ut ſe ponat in tuto de ieiunio ſervando. Ratio eſt, quia iter agentes in tantùm excuſantur (ut omnes Doctores volunt) inquantùm iter illud ſit neceſſarium, ita ut differri non poſſit. Et per hoc qui cauſa venationis, vel delectationis iter agunt, non ſolùm per unum, ſed etiam per plures dies, non excuſantur à ieiunio; quia iter illud differre poſſunt in aliud tempus, in quo non urget præceptum ieiunandi. Demum illi, qui equitando iter agunt per unum tantùm diem, nullum, vel ſaltem leve incommodum recipiunt, quod non eſt cum ieiunio incompatibile: adeoque ex ſingulis partibus apparet falſitas illius propoſitionis trigeſimæprimæ, & meritò ut ſcandaloſa, & contraria obligationi ieiunandi, fuit damnata.

ARTICVLVS XXXII.

Exponitur ſenſus trigeſimæſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaſecunda damnata Propoſitio. *Non eſt evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

128 Sen-

128 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd putant Authores ipſius, conſuetudinem non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima, non obligare; vel ſi obligat, hæc obligatio non eſt evidens: quapropter Authores ipſius inferunt, poſſe unumquenque lacticinia, & ova comedere in Quadrageſima, abſque fractione jejunii Quadrageſimalis.

Oppugnatio Propoſitionis.

129 SUppono ex dictis in 23. articulo hujus Tractatus num.94. jejunium eſſe abſtinentiam à duplici comeſtione, & à cibis ab Eccleſia vetitis. Cibi autem ab Eccleſia vetiti ſunt carnes, caſeus, lacticinia quæcunque, & ova. Quare ſic impugno propoſitionem. Primò, quamvis non eſſet evidens ex ſpeciali decreto, & canone, tamen antiqua conſuetudo habet vim legis, ita ut agens contra antiquam conſuetudinem Eccleſiæ, peccet mortaliter; quia ſcandalum ponit apud eos, qui pro certo rationabiliter habent, conſuetudinem illam eſſe ſub præcepto. Omnes quidem tenemur ad ſcandalum vitandum, quod de facili oriri poteſt: quare D.Ambroſius, & cum eo D.Auguſtinus dixit: *Ad quamcunque Eccleſiam veneris illi te conforma, ſi cuique non vis eſſe ſcandalum.* Quare ſi quis faceret contra admiſſam, & laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem de non comedendis ovis, & lacticiniis tempore Quadrageſimæ, & vellet ova, & lacticinia comedere, ſaltem ratione ſcandali ſecuturi contra illam conſuetudinem, mortaliter peccaret.

Secundò conſtat talis obligatio non comedendi ova, & lacticinia, tum ex ipſa jejunandi natura, quòd ſit abſtinentia à cibis vetitis; inter quos cibos connumerantur caſeus, ova, & quæcunque lacticinia, tum ex Can.*Denique*, diſt.4. in quo prohibetur uſus lacticiniorum, & ovorum in Quadrageſima, his verbis: *Par autem eſt, ut quibus diebus à carne animalium abſtinemus ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis originem trahunt, jejunemus, à lacte videlicet, caſeo, & ovis.*

Tertiò tandem conſtat hujuſmodi obligatio ex motivo, quo ab Eccleſia fuit inſtitutum jejunium; ſcilicet ad vitanda mala, & proſequenda bona: & præſertim Quadrageſimale jejunium repertum in ſacris literis utile ad placandum Deum offenſum: ut humiliati, & jejunantes Hæbræi ad Deum convertebantur, & veniam recipiebant. Erat inſuper utile ad vindictam ſumendam contra fidei inimicos: ut patet de Judith, quæ jejunio Holofernem vicit, de eodem, & exercitu ejus triumphavit. Erat tandem utile ad Dæmones fugandos: ut patet de Quadrageſimali ieiunio Chriſti Domini

mini in deſerto; & propter hoc Diſcipulis dicebat, ut conſtat ex illo Matt.9. *Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur, niſi in oratione, & jejunio*. Vnde conſtat, ieiunium fuiſſe inſtitutum in animæ utilitatem, & ad mala vitanda.

130 Ad hæc autem mala vitanda neceſſaria eſt corporis maceratio per abſtinentiam; quæ certè non haberetur per uſum ovorum, & lacticiniorum, quæ cibi ſubſtantiales ſunt. Quare illa introducta conſuetudo in Eccleſia, non comedendi lacticinia in Quadrageſima, habet vim obligandi ad ea non comedenda, etiam præciſo quocunque canone, & decreto obligante ad ea non comedenda. Vnde concludendum eſt, eſſe evidens, quòd conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget; & quidem ſub peccato mortali, ſub quo obligat ieiunium ipſum.

ARTICVLVS XXXIII.

Exponitur ſenſus trigeſimætertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimatertia damnata Propoſitio. *Reſtitutio fructus, ob omiſſionem horarum, ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.*

131 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ſi Beneficiarius ex fructibus ſui Beneficii fecerit eleemoſynas hodie V.G: ſi cras poſtea omitteret horas canonicas, quas recitare tenetur, putant Authores ipſius, quòd reſtitutio, quæ facienda eſſet pro tali omiſſione, ſuppleatur per illas eleemoſynas, antea factas.

Oppugnatio Propoſitionis.

132 ADvertendum eſt, quòd Beneficiarii omittentes recitationem divini officii, ad quam tenentur ratione Beneficii, ex quo fructus percipiunt, tenentur ad reſtitutionem fructuum illius diei, in quo officium omittunt, vel pro rata illius partis, quam non recitant. Quod patet ex Concilio Lateranenſe ſub Leone X. conſtit. quadam incip. *Statuimus quoque*. Et ex Pii V. ſpeciali conſt. ampliativa illius emanatæ in Later. Conc. quæ incipit: *Ex proximo Lateran. Concilio pia, & ſalubris ſanctio emanavit*. Ex quibus Summorum Pontificum decretis ſupponi debet tanquam certum apud omnes Theologos, obligationem eſſe in conſcientia in Beneficiariis recitandi officium divinum; non minùs, ac ſit obligatio in Benefi-

ciariis

ciariis curatis reſidendi in loco Beneficii . Hac ſtante obligatione, quoties Beneficiarius omittit officium, toties non iuſtè, ſed iniuſtè recipit fructus ex Beneficio, correſpondentes illi officio, quod omittit: ut exprimunt illa verba in Bulla Leonis X. *Beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis officii, & temporis; ſed eos tanquam iniuſtè perceptos &c. erogare teneatur.* Ex quibus verbis vult Summus Pontifex, Beneficiarium, qui officium non recitat, non facere fructus ex beneficio, ſed teneri ad reſtitutionem illorum, ut iniuſtè perceptorum. Hoc itaque ſuppoſito, & notato, quantùm ſpectat ad notitiam reſtitutionis fructuum ex Beneficio perceptorum;

133 Nunc impugno damnatam Propoſitionem. Quæcunque eleemoſyna facta ante omiſſionem officii, non habet vim faciendi, ut fructus percepti ex Beneficio pro illo die, quo officium omittitur iuſtè percipiantur, & retineantur. Quod ſic oſtenditur: nulla actio virtuoſa, etiam orta ex liberalitate, poteſt conſtituere poſſeſſorem malæ fidei, ex iniuſta acceptione, & retentione, bonæ fidei poſſeſſorem, eumque liberare ab obligatione reſtitutionis. Ut ſi Titius mala fide poſſideret centum Caii, & ex illis (invito Caio) eleemoſynas faceret; huiuſmodi actio virtuoſa eleemoſynæ non liberaret Titium ab obligatione ſolvendi Caio centum: imò donec reſtitueret, diceretur iniuſtus rei alienæ detentor. Ita dicendum in propoſito: ſi Beneficiarius ex fructibus antea perceptis ex beneficio eleemoſynas faceret, huiuſmodi eleemoſynæ non haberent vim conſtituendi Beneficiarium ipſum iuſtum poſſeſſorem, & retentorem fructuum, qui ob horarum omiſſionem ei non competunt. Paritas eſt ita evidēs, ut ab Authoribus damnatæ Propoſitionis diſparitas aſſignari non poſſit; nam ſicuti ſumma illa centenaria, quam Titius in pias eleemoſynas largitus eſt, ſua non erat; nec illæ eleemoſynæ facere poſſunt Titium iuſtum poſſeſſorem rei non ſuæ; ita quia per citatos Pontifices fructus ex beneficio nō ſunt Beneficiarii non recitantis officium, ſed illos reſtituere tenetur, ut iniuſtè perceptos; iccircò quæcunque eleemoſyna facta, etiam ex fructibus Beneficii, non redimit beneficiarium ab obligatione reſtitutionis pro die, pro quo officium omittit, & non facit iuſte fructus ex Beneficio.

134 Item: Si illæ eleemoſynæ antea factæ, etiam ex aliis fructibus iuſtè perceptis, valerent pro reſtitutione, quam ex iuſtitia tenetur facere Beneficiarius, dum officium omittit; valeret etiam ſatiſfactio hodie facta pro peccato craſtino, ſeu futuro, voluntariè à pœnitente ſibi impoſita: quod eſt erroneum; imò ſuſpecta eſſet ſatiſfactio, quia eſſet potiùs cum propoſito peccandi, quàm cum propoſito

hanc obligationem recitandi divinum officium ſe extendere, etiam ad modum, ordinem, & ritum celebrandi ipſum, præſcriptos in Romano Breviario edito à Pio V. & Clem. VIII. & recognito ab Vrbano VIII. pro ut conſtat in Bulla quadam Pii V. quæ incipit: *Quod à nobis*. Hic ordo, & ritus celebrandi officium ſervatur hoc modo, ut pro quolibet determinato die proprium aſſignatum ſit officium recitandum; ita ut ſi aliter fieret, ordo, & ritus inverterentur, contra Decreta Sacræ Rituum Congregationis. Vnde fit, quòd recitatio divini officii, ſit propriæ diei affixa; & quidem ex Eccleſiaſtico ritu. His ſuppoſitis,

137 Nunc impugno ſupradictam damnatam Propoſitionem. Ex ritu Eccleſiaſtico recitatio officii divini eſt annexa propriæ diei; ita ut cuilibet diei proprium correſpondeat officium, ac ſpecialis recitatio ipſius. Et qui ſcienter, & malitiosè contra Ritum Eccleſiæ facit, mortaliter peccat, & præcepto non ſatisfacit. Quod ſic ſuadetur: pro hac die Eccleſia non præcipit recitationem officii utcunque, ſed præcipit recitationem officii huius diei; quia præcipit recitationem officii juxta Ritum Eccleſiæ: Ergo quoties quis ſcienter recitat unum officium præ alio, quia facit contra Ritum, qui pro hac die hoc officium deſignat, non ſatisfacit præcepto recitandi officium. Vnde dum quis in die Palmarum recitat officium Paſchale, non ſatisfacit præcepto recitandi officium, quia pro illa die eſt taxatum à Ritu Eccleſiæ officium Dominicæ Palmarum. Quare ſi officium Dominicæ Palmarum non recitatur, quod recitare tenetur ex Ritu Eccleſiaſtico, obligante ad illud determinatum officium; eſtò officium Paſchale recitet, non per hoc ſatisfacit præcepto.

138 Videtur hæc damnata Propoſitio eſſe ita ſcandaloſa, ut viam aperiat omnibus recitandi in ſingulis diebus officium Paſchale, quod brevius eſt ceteris officiis: imò hæc propoſitio tollit de medio Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; & quod hic Ritus non habeat vim obligandi recitantes officium in conſcientia: quòd ultraquam ſit ſcandaloſum, eſt etiam temerarium: & iccircò ſupra dicta propoſitio, ut ſcandaloſa, & temeraria damnata eſt.

ARTICVLVS XXXV.

Exponitur ſenſus trigeſimæquintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaquinta damnata Propoſitio. *Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, præſenti, & craſtino.*

139 Sen-

139 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd obligatus ad recitationem divini officii, per unicam recitationem divini officii, ſeu per unicum officium, poſſit duplici præcepto ſatisfacere: pro hoc præſenti die, & pro die ſequenti. Vnde putant Authores iſtius propoſitionis, quòd ſi quis ante mediam noctem V. G. incipiat recitare officium hodiernum, & illum nequeat terminare ante mediam noctem; tunc, audito ſonu Campanæ in ſignum mediæ noctis, ſi proſequatur idem officium inceptum pro ſatisfactione hujus diei, ipſum idem officium, dicunt, quòd valeat etiam pro ſatisfactione alterius diei ſequentis. Quod erroneũ eſſe oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

IN libro de Juſtitia, & Jure diſp. 7. ſpecialem efformavi quæſtionem circa hanc materiam: & juxta ea, quæ ibi dicta ſunt, aſſumo impugnandam ſupradictam damnatam Propoſitionem; quæ ultra ſenſum expreſſum, & intentum ab adverſariis, poteſt etiam plures alios ſenſus facere. Impugno in primis ſenſum expreſſum Authorum ipſius propoſitionis. In illa ſuppoſitione, qua quis ſe poneret ad recitandum officium hujus præſentis diei, media hora ante mediam noctem: in qua media hora totum officium hujus diei recitare non poſſet: Peto, vel ſe poneret in tali hora ad recitandum officium, quia per totum diem fuit legitimè impeditus; vel ex malitia: ſi dicatur primum, tunc quia non ex ſua malitia poſuit impedimentum ad totum officium recitandum, pro illo die antecedenti ſufficeret illa pars recitata officii ante mediam noctem, ad ſatisfaciendum præcepto pro hodierno die. At ut iſte talis ſatisfaceret præcepto pro die craſtino, teneretur incipere officium incidens pro die craſtino, & illud perſolvere, ut ſatisfaciat præcepto pro die craſtino: & non ſufficeret, ſi primum jam inceptum proſequeretur. Tum quia, illud jam inceptum, non eſt diei craſtino affixum. Tum etiam quia, ſi illa pars recitata ante mediam noctem valeret pro uno die, ſcilicet antecedenti; reliquæ partes non valerent pro ſatisfactione diei ſequentis; quia ſupponitur, officium non fuiſſe integrè recitatum pro die ſequenti. Et ſic ſemper firmum eſſet, quòd unius officii recitatio non valeret pro ſatisfactione duplicis præcepti.

140 Si dicatur ſecundum, quòd ſcilicet malitiosè ſe poſuit ad recitandum officium in illa media hora ante mediam noctem, tunc unum tantùm officium recitando, quod ſit diei antecedentis, neutri præcepto ſatisfaceret (Dixi unum tantùm officium recitando) in ſuppoſitione quòd recitaret officium diei antecedentis, quod, quia ex malitia recitantis non fuiſſet completum in hora, in qua urgeret

præ-

ceptum, jam obligationi antecedentis diei non ſatisfaceret: neque ſeqûentis diei; quia non eſſet officium pro die illo ſequenti deſignatum: Ergo tunc neutri præcepto ſatisfaceret. Vel ſi ſit officium diei ſequentis, per iſtius recitationem tantùm officio huius diei ſatisfaceret, & non diei antecedentis.

141 Poteſt inſuper damnata Propoſitio facere alium ſenſum, quòd ſcilicet per unicum officium in hoc die integrè recitatum, quis ſatisfaciat obligationi etiam diei craſtini. Et hoc etiam eſt falſum, & erroneum; nam quilibet obligatus ad recitationem divini officii, eſt obligatus pro quolibet die, proprium, & diſtinctum officium recitare: quia pro quolibet die adeſt diſtincta obligatio: ſicut eſt obligatio ieiunandi in ſingulis diebus Quadrageſimæ; & audiendi Sacrum in ſingulis diebus feſtivis. Vnde ſicuti nemo poteſt præcepto ieiunandi ſatisfacere per unicum ieiunium, dum præceptum urget pro pluribus diebus: neque per unicam Sacri auditionem poteſt ſatisfacere pro pluribus diebus feſtivis; itaneque per unicam officii recitationem poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro hodierno, & craſtino die.

142 Tandem hæc damnata Propoſitio poteſt facere hunc alium ſenſum, quòd ſcilicet in uno die quis recitet duplex officium, unum pro die hodierno, & alterum pro die craſtino. At etiamſi tunc recitatio officii craſtini eſſet integra in hoc hodierno die, non ſatisfaceret pro craſtino die; quia officii recitatio eſt cuicunque diei affixa; ita ut nulla dies remaneat, cui non correſpondeat proprii officii recitatio. Sicuti ſi quis hodie duas Miſſas audiret, licèt una ex illis ſatisfaceret pro præcepto hodierno, non tamen altera ſatisfaceret pro præcepto craſtino. Et inſuper, ſi quis hodie nullam faceret comeſtionem, hæc abſtinentia ab una comeſtione permiſſa, non valeret pro ſatisfactione ieiunii craſtini. Ita ſimiliter dicendum eſt in propoſito. Quare concludimus, quòd in nullo ex his ſenſibus, poteſt quis duplici præcepto ſatisfaciendi officio, ſatisfacere, ſi pro quolibet die non recitet. Quapropter, ut ſcandaloſa, damnata fuit hæc trigeſimaquinta propoſitio, qua nituntur Authores ipſius, deſtruere obligationem recitandi officium divinum pro quolibet die.

ARTICULUS XXXVI.

Exponitur ſenſus trigeſimæſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaſexta damnata Propoſitio. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ, uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.*

SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt , quòd Regulares non peccent, ſi utuntur illis privilegiis, quæ fuerunt eis conceſſa, & poſtea expreſsè fuerunt revocata per Concilium Tridentinum. Et hoc eſt, quod Authores hujus Propoſitionis dicunt, per ly *poſſunt uti in foro conſcientiæ*: quaſi quòd expreſſa revocatio, per Concilium Tridentinum facta, ſpectet tantùm ad forum externum, & non ad forum conſcientiæ, & internum. Quod ſcandaloſum, erroneum, & temerarium eſt, ut mox oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

143 INdubitatum eſt apud omnes Doctores, ante Concilium Tridentinum plura fuiſſe privilegia Regularibus conceſſa à multis Summis Pontificibus, quæ in Romano Bullario ſcripta ſunt; & præſertim illa, quæ in duabus Bullis emanatis à Nicolao IV. ſunt notata; quarum una vocatur *Aurea*, altera *Mare Magnum*. Ex his, & aliis privilegiis, quædam fuerunt moderata à Leone X. in Concilio Lateranenſi: & quædam expreſsè revocata à Concilio Tridentino in ſeſſ.25. per viginti duo capita, à primo nimirum uſque ad vigeſimumſecundum. Ubi noto, quòd illa dicitur expreſſa revocatio, quæ fit per iſta verba: *Non obſtantibus privilegiis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus*: vel ſimilibus. Quæ verba habent vim expreſsè revocandi factum, vel permiſſum per Summos Pontifices. Quare in illis Concilii decretis, in quibus adeſt hujuſmodi clauſula derogatoria: *Non obſtantibus, &c.* dicuntur privilegia derogata expreſsè: in iis verò, in quibus non adeſt illa clauſula derogatoria, non dicuntur expreſsè derogata.

144 Ex hoc putat Pater Auguſtinus Matthæucci de Luca noſtri Ord. de Obſ. in off. Curiæ to.2. cap.13. n.4. & in cautela confeſs. fuiſſe per Concil. Trid. derogatum privilegio mendicantibus conceſſo, ratione cujus ordinari poterant in Sacris Ordinibus, *extra tempora*. Fundat ſuam doctrinam in hoc, quòd per Concilium Tridentinum, etſi non expreſsè, ſaltem tacitè fuerit derogatum privilegio eis conceſſo, ex eo, quòd ipſum Conc. ſeſſ.23. de Refor. cap.8. dixerit: *Ordinationes Sacrorum Ordinum ſtatutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis, præſentibuſq; ad id Eccleſiæ Canonicis, publicè celebrentur*. Ex his verbis, arguit Pater Matthæucci, fuiſſe derogatum privilegio, quo ante Concilium, mendicantes poterant *extra tempora* promoveri ad Sacros Ordines. At hoc, pace ſua, non adeo evidens eſt, ut ipſe putat. Primò, quia ibi Concilium nullam facit mentionem de privilegiis, ad hoc à Sede Apoſtolica conceſſis, ante ipſum Concilium: unde neque nos illam facere debemus: præ-

ſertim,

ſertim, quando hujuſmodi privilegia ſunt in praxi; poſt Concilium confirmata;& communicatio privilegiorum inter mendicantes non abrogata, facta à Leone X. conſtit.32.*Dudum*,ab Adriano IV.& ab Eugenio IV. Secundò, quia privilegium hoc ante, & poſt Concilium fuit conceſſum ſpecialiter Patribus Societatis,per Greg.XIII. *Conſtit. Pium*; in qua, eſtò ſit excluſio communicationis, tamen ex ea deducitur, quòd non derogat Concilio, ut prætendit Pat. Matthæucci: aliàs maximum fuiſſet hoc privilegium, ſi directè contra Concilium pugnaret. Vrbanus VIII. idem privilegium conceſſit Fratribus noſtræ Obſ.in partibus Indiarum, conſt. *Cùm ſicut accepimus*: in quo privilegio eſt etiam particula *tantùm*: at propter eandem rationem, quòd non derogat Concilio; & aliunde multi Doctores affirmant, hanc communicationem privilegii de ordinationibus *extra tempora*, non eſſe expreſsè derogatam per Concilium. Vnde Diana, cum principalioribus Doctoribus vult, omnes Mendicantes hoc gaudere privilegio: part.3.tract.2. reſol.32. & reſol.112.& p.4.tract.4.Et eſt in praxi propter Doctorum opiniones. Ita etiam Portella in dubiis Reg.

145 Advertendum eſt pro hujus veritatis exacta notitia, quòd omnia privilegia, ſive de novo conceſſa, ſive confirmata poſt Tridentinum Cõcilium, videntur expreſſa cum hac clauſula *quatenus ſint Concilii Tridentini decretis conformia, vel decretis Concilii Tridentini non adverſentur, &c.* Quare conſtat, nullum fuiſſe emanatum privilegium poſt citatum Concilium, quod ipſi Concilio expreſsè adverſetur. Hinc Pater Rodericus noſtri Ordinis Seraphici, tom 2.coll.Privil.Reg.affert quandam declarationem factam à Sac. Cong.Conc.Trident. Interpretum ſuper ſeſſ.23. de Reform cap.8. ubi Sac.Congreg reſpondit: *Privilegium ſuſcipiendi Ordines extra tempora, per hoc decretum non eſt ſublatum*. Et idem Rodericus in comp. qq. Reg.titulo *Ordo ſacer*, ait: *Secundùm privilegia poſſunt hoc tempore mendicantes, extra tempora ſtatuta, ordinari: modò ſit dies Dominica, etiam ſemiduplex; nam Concilium Tridentinum dicta Privilegia non revocat.* Hoc ipſum aſſerit tom.3.q.23.art.5.

Pater Bruno Chaſſaing in Privil.Reg.part.2.prop.3.idem affirmat, duplicem aſſignans rationem. Prima, quia illa privilegia, ubi receptum eſt Tridentinum,ab illo minimè fuerunt revocata, ut ex Roderico optimè probat Villabos; & licèt revocata fuiſſent per Tridentinum, attamen poſt ipſum hoc privilegium (non obſtante prohibitione facta in eodem) fuit abſolutè conceſſum. Secunda ratio: quia cum in hac materia Tridentinum non habeat clauſulam revocatoriam privilegiorum, non cenſetur privilegium revocatum; cùm lex generalis non revocet privilegium paucorum, quan-

do de illo non ſit ſaltem generalis revocatio.

Joannes de la Cruz Ord.Præd.lib.2.de privil. cap. 4. §. *ſecundò ſequitur*, ait: *Omnes Religioſos gaudere privilegiis Societatis Ieſu per privilegiū communicationis;cùm in illis cōmunicentur privilegia conceſſa, & concedenda*. Et ibidem refert Bullam Gregorii XIV., quæ incipit: *Romanus Pontifex*, &c. ſupra relatam pro Ordine Ciſtercienſium.

Neque valet, quod adducit Pater Matthæucci, quòd privilegium Jeſuitis conceſſum fuerit cum clauſula derogatoria communicationis ceteris Mendicantibus,ut habetur in calce citatæ Bullæ: *Pium, & utile*. Non valet, inquam, ut oſtendit Pater Joannes de la Cruz; nam Gregorius XVI.concedendo Patribus Ciſtercienſibus, & Cruciferis communicationem privilegiorum Jeſuitarum, jam derogavit clauſulæ illi; & abſolutè omnia, & ſingula privilegia Societati Jeſu conceſſa, abſque ulla reſtrictione, Ordini prædicto Ciſtercienſi communicavit: quæ privilegia ſunt etiam cuicunque Ordini Mendicantium communicata; ut conſtat in Bullario Rom. ex Leone X.Pio V.Greg.XIII.Sixto V.& Gregorio XIV.Eandem doctrinam confirmant Barboſa in cap.8.ſeſſ.23.Trid.num.4. & 5.Layman in theol.morali lib.5.tract.10. c.8. n.2. Homobonus de Exam. Eccleſ.tom.1.tract.2.cap.1.quæſt.3.& alii quamplures Doctores.Et tandem accedit rationabilis conſuetudo à Summis Pontificibus,ſaltem tacitè,approbata ad bonum finem, & ob juſtam cauſam, nimirum ob Eccleſiarum neceſſitatem.

146 His omnibus notatis, nunc impugno damnatam illam propoſitionem. Quando Concilium Tridentinum expreſsè revocat privilegium aliquod per Summos Pontifices antea conceſſum,vult revocatam gratiam illam in privilegio contentam; & quòd gratia illa nullam in poſterum habeat vim, & valorem, tum in foro externo, tum in foro interno: Ergo dum aliqua privilegia fuerunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum: ut eſſet illud abſolvendi à cenſuris Epiſcopo reſervatis: audiendi ſecularium confeſſiones, abſque expreſſa licentia Epiſcopi: concionandi abſque licentia Superioris Ordinis, & benedictione, & facultate ad id munus præſtandum, obtenta ab eodem Epiſcopo in Eccleſiis *extra ordinem*: & ſimilia privilegia derogata per viginti duo capita ſeſſ. 25.ejuſdem Concilii; tunc ſtante tali expreſſa derogatione, non poſſunt Regulares, nec in foro externo, nec in foro interno illis privilegiis uti. Non in foro externo, ad removendas lites, & jurgia, quæ continuò oriri poſſent inter Epiſcopos, & Regulares; & ut inter eos perfecta pax,unio, & charitas ſtabiliatur. Neque in foro interno, & conſcientiæ poſſunt illis uti;nam (ſupponamus,quòd Regularis

gularis

gularis aliquis,non approbatus ab Epiſcopo vellet ſecularium confeſſiones audire);tunc reus erit tot invalidarum confeſſionum, quæ fiunt, ex Juriſdictionis carentia. Quare in illo caſu Regularis peccaret; quia faceret contra expreſſam Concilii derogationem: & ad id faciendum, ampliùs Jus non haberet.

147 Quòd autem non poſſit illo privilegio uti in foro conſcientiæ, conſtat, quia gratia,vi cujus ſupponuntur Regulares poſſe ſuis privilegiis uti, eſt in totum revocata, tanquam ſi nunquam fuiſſet conceſſa; nam illa verba derogatoria, ſupra expreſſa, dant pro nullis, gratias, & privilegia, antea conceſſa: Ergo dum eſt in totum revocata, neque in foro externo, nec in foro interno, poterit Regularis, illa gratia, ſeu privilegio uti. Quod evidenter conſtat à pari: ſi Rex alicui Civitati privilegium aliquod concederet,ut V.G. exemptionis à ſolutione gabellarum: & alius Rex poſt eum, qui ſimilia conceſſit privilegia, ob juſtam cauſam vellet talia annullare privilegia; tunc illa Civitas, nec in foro externo, nec interno poſſet illis privilegiis uti: quia derogatio habet vim invalidandi gratiam, & ipſam annullandi, tanquam nullum habituram valorem. Ita ſimiliter: eſtò Summi Pontifices aliqua conceſſerint privilegia Regularibus, ob amorem nimium erga ipſos, vel in compenſationem ſuorum laborum; tamen dum illa privilegia per Tridentinum Concilium fuerunt expreſsè revocata, auferendo ab illis valorem, quem antea habebant; nequit quicunque ex Regularibus, ſtante illa revocatione, ipſis uti in foro conſcientiæ. Unde concludo, rationabiliter fuiſſe ſupradictam propoſitionem damnatam, tum ut ſcandaloſam, tum etiam ut temerariam, & poteſtati Concilii Tridentini præjudicativam.

ARTICVLVS XXXVII.

Exponitur ſenſus trigeſimaſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaſeptima damnata Propoſitio. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.*

148 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd Authores ipſius putant,fuiſſe de novo conceſſas Regularibus omnes illas Indulgentias, quæ fuerunt revocatæ à Paulo V. & fuiſſe illas eaſdem revaliditas, quæ revocatæ fuerunt.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

MVltæ ante Paulum V. fuerunt conceſſæ Indulgentiæ Regularibus,& quidem directè perſonis ipſorum; quæ tamen per prædictum Pontificem revocatæ fuerunt; & loco ipſarum fuerunt aliæ conceſſæ. Quidam autem putarunt, hujuſmodi Indulgentias per Paulum V. revocatas, fuiſſe poſtea per alios Pontifices revalidatas; ita ut eundem valorem, quem priùs habebant, poſt ipſum Paulum V. habuerint. Quod ultraquàm improbabile ſit, ut oſtendemus,etiam ſcandaloſum,& temerarium eſſe videtur.

150 Ubi breviter notandum eſt: *Indulgentiam eſſe relaxationem, ſeu remiſſionem pœnæ temporalis debitæ pro actualibus peccatis, jam dimiſſis, factam à Prælato Eccleſiæ, exiſtentibus in gratia, per applicationem theſauri Eccleſiæ.* Advertendum eſt pro claritate, theſaurum Eccleſiæ compoſitum eſſe ex infinitis Chriſti Domini meritis, & ſatisfactionibus: in quo theſauro omnia merita Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum reponuntur. Et cum hic theſaurus ſit infiniti valoris extrinſeci,& extenſivi, hinc poteſt Summus Pontifex, cui claves Regni Cœlorum ab eodem Chriſto Domino ſunt conceſſæ, theſaurum ipſum aperire, & merita illa Chriſti, & Sanctorum applicare Chriſti fidelibus, ut eis pœna temporalis remittatur, debita pro actualibus peccatis,ritè confeſſis, & jam dimiſſis. Vnde remiſſio ipſa pœnæ temporalis eſt Indulgentiæ effectus;quæ quidem pœnæ remiſſio ſupponere debet eum, qui lucraturus eſt Indulgentiam,in ſtatu gratiæ;aliàs nulla eſſet Indulgentia;cùm hæc non valeat pro Dei inimico. Inſuper adverto (ut Deo dante dicemus in materia ſpeciali de Indulgentiis) Indulgentiam à Iubileo ſecerni per hoc, quòd Iubileum,ultra Indulgentiam,ſeu pœnæ temporalis remiſſionem,dat etiam facultatem pœnitentibus, ut abſolvantur à quibuſdam reſervatis; commutandi vota ſimplicia, & eligendi Confeſſarium: quod per ſolas Indulgentias, quantumvis Plenarias,non conceditur. His itaque ſuppoſitis, & notatis ex unanimi Doctorum conſenſu.

151 Nunc aſſumo impugnandam damnatam Propoſitionem. Primò: ad Indulgentias revocatas revalidandas, requiritur, ut per Summum Pontificem expreſsè declaretur, revocationem illam non tenere: vel ſaltem, quòd in nova conceſſione revocatarum Indulgentiarum expreſsè dicat: *Non obſtante revocatione facta per Summum Pontificem anteceſſorem noſtrum, &c.* Sed nulla adeſt Bulla Pontificia, aut conſtitutio, qua expreſsè declaretur, revocationem illam factam à Paulo V. non tenere: neque ulla apparet conſtitutio,

tutio, in qua expreſsè dicatur: *Non obſtante revocatione facta, &c.* Ergo ſine fundamento aſſeritur, Indulgentias conceſſas Regularibus, & per Paulum V. revocatas, fuiſſe poſtea revalidatas. Quod clarè conſtat, etiam ex eo, quòd ad revalidandam gratiam conceſſam, & poſtea revocatam, requiritur ſpecialis favor expreſsè declaratorius, quòd gratia illa, quæ fuit revocata, reviviſcat, quò ad formam, vim, & valorem: hoc autem à nullo Pontifice factum eſt, poſt Paulum V. Et quamvis ab aliis Summis Pontificibus fuerunt aliquæ Indulgentiæ particulares conceſſæ Ordinibus Mendicantium, iſta tamen conceſſio nòn eſt revalidatio illarum, quæ revocatæ fuerunt; ſed nova conceſſio, vel quarundam illarum, vel aliarum, de novo conceſſarum. Aſſumptum huius impugnationis patet ex eo, quod declaravit in quadam ſua Bulla ſuper Indulgentiis Innoc. XI. quæ apocryphæ dicuntur; quod incipit: *Delatæ &c.* Vbi declarat: *Omnes Indulgentias conceſſas ante Breve Pauli V. incip. Romanus Pontifex &c. perſonis Regularibus, quarumcunque Religionum, & Ordinum, etiam mendicantium, &c. niſi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris, & momenti.*

152 Secundò: motiuum, quo Paulus V. revocàvit Indulgentias conceſſas à Summis Pontificibus anteceſſoribus, fuit, quia tales Indulgentiæ non erant verè, & propriè conceſſæ, ſed multæ erant Apocryphæ. At nulla dari poteſt innovatio Indulgentiarum Apocrypharum: cùm hujuſmodi innovatio eſſet in fraudem legis: iccircò nullus fuit Summus Pontifex, qui illas revocatas Indulgentias revalidavit. Vnde aſſertum Authorum illius propoſitionis, falſum aſſumit, & quidem ſcandaloſum, & temerarium. Neque nova conceſſio quarundam Indulgentiarum, eſt revalidatio revocatarum, ſed eſt ſpecialis gratia, & favor de novo conceſſus, qui antea non erat conceſſus. Ex his deducitur, quantùm aberrant à veritate, & temerè loquuntur Authores ſupradictæ propoſitionis ab Alex. VII. damnatæ in num. 37.

ARTICVLVS XXXVIII.

Exponitur ſenſus trigeſimaoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaoctava damnata Propoſitio. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate, cum peccato mortali, confitendi quàm primum, eſt conſilium, non præceptum.*

153 Sen-

153 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd non ſit præceptum de præmittenda confeſſione in eo,qui celebrat ex neceſſitate celebrandi, non præmiſſa mortalis culpæ confeſſione; ſed tantùm ſit conſilium, quod dat Concilium Tridentinum in ſeſſ. 13. cap.7. Vnde volunt Authores iſtius propoſitionis, quòd ſi quis deberet ex neceſſitate ſacrificare: ut ſi eſſet Parochus, & non eſſet alius Sacerdos, qui in die feſto celebrare poſſet, & hic non haberet confeſſarium, qui ſuam poſſet excipere confeſſionem; tunc ſufficeret ei actus contritionis veræ, vel putatæ, abſque obligatione confitendi *quamprimùm*. Et putant, quod dum Concilium dixit in fine illius cap.7. *Quamprimum confiteatur*, hoc fuerit conſilium à Concilio datum,& non præceptum. Quod falſum eſſe oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

154 SVpponendum eſt, præceptum divinum eſſe, neminem accedere debere ad Sacram Euchariſtiam ſumendam, niſi ſit immunis à peccato mortali, & habeat animam ab omni ſorde peccati mundatam;nam qui accedit ad Deum,debet eſſe eius amicus: & nemo eſt talis, niſi ſit à peccato mundatus per gratiam. Vnde Apoſt. 1. Corint. 11. contra indignè ſumentes Euchariſtiam ait: *Qui manducat,& bibit indignè, judicium ſibi manducat,& bibit, non diiudicans Corpus Domini*. Vnde ſemper, ac quis conſcius ſit, ſe peccatum mortale habere, tenetur de illo confiteri, antequam Sacramentum Euchariſtiæ ſumat; & hoc quidem ex præcepto divino,quod colligitur à Doctoribus, tum ex relatis verbis Apoſtoli; tum ex verbis Concilii cit. ſeſſ. 13. cap. 7. ubi habet: *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, probationem neceſſariam eſſe,ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat*. Vbi evidenter conſtat, præceptum de præmittenda Sacramentali confeſſione ad Euchariſtiæ ſumptionem, non eſſe fundatum in conſuetudine (ut ſupponunt Authores damnatæ Propoſitionis) ſed conſuetudinem illam præmittendi confeſſionem communioni fundatam eſſe in præcepto illo divino, quo Chriſtus Dominus per citatum Apoſt. 1. Cor. 11. dixit. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. Et per ly *probare* Concilium exponit neceſſitatem præmittendi Sacramentalem confeſſionem communioni, quando quis conſcius ſit, eſſe in peccato mortali. Vnde idem Concilium ſeſſ. cit. Canone 11. ait: *Si quis dixerit,ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem,ad ſumendum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum; anathema ſit.*

155 Ex

155 Ex qua Concilii doctrina apertè conſtat neceſſitas præmittendæ confeſſionis, antequam quis Euchariſtiæ Sacramentum ſumat. Quia ut dignè ſumat, debet eſſe in gratia, amicus Dei conſtitutus, & non inimicus.

156 Et quia dari poteſt caſus, quòd Sacerdos aliquis ſit neceſſitatus ad celebrandum, vel ad ſcandalum vitandum, vel damnum, vel infamiam: ut ſi eſſet ipſe ſolus, & præſertim in die feſto, quo die multi expectarent auditionem Sacri: & talis Sacerdos non haberet copiam Confeſſarii, qui ſuam exciperet confeſſionem; tunc ad ſcandalum vitandum, & infamiam, poſſet celebrare, non præmiſſa confeſſione, cum ſolo dolore peccatorum, & propoſito confitendi *quamprimùm*; ideſt ſtatim confeſſarium quærere: ut de iſto Sacerdote Concilium Tridentinum ſeſſ. cit. ait: *Quòd ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur*. Vbi ly *quamprimùm confiteatur*, non eſt conſilium datum à Concilio; ſed præceptum: quia Concilium loquitur per verba imperativi modi; quia dicit: *Confiteatur*.

157 Quod ſic evidenter probo, contra damnatam propoſitionem. Quoties adeſt præceptum, & præſertim divinum, de aliquid faciendo, ſi neceſſitas excuſat ad id faciendum, non per hoc tollitur vis præcepti obligantis. Quod oſtendi poteſt per ſingula divina præcepta. Eſt V. G. præceptum divinum obligans Beneficiarios ad reſidendum in loco Beneficii: & ſi quis propter urgentem neceſſitatem excuſatur pro aliquo tempore ad reſidendum, non per hoc præceptum de reſidendo, amittit ſuam vim obligandi ad reſidendum, pro tempore, quo neceſſitas non urget. Nunc ſic arguo. Si præceptum de præmittenda confeſſione ante celebrationem Miſſæ, vel ſumptionem Euchariſtiæ, excuſat celebrantem, in caſu neceſſitatis, in quo debet celebrare, & non habet copiam Confeſſoris, non per hoc ſequitur, tale præceptum non habere vim obligandi pro tempore, quo copiam habet confeſſoris: Ergo ex illo eodem præcepto, quo Sacerdos ipſe tenebatur præmittere confeſſionem ante celebrationem Miſſæ, ſi talis non occurriſſet neceſſitas, tenetur poſtea ad confitendum *quamprimùm*, ideſt dum copiam habet Confeſſoris; nam illud præceptum adhuc urget poſt communionem; quia cùm ſit virtualiter negativum, obligat, *ut quamprimùm* impleatur, & donec impleatur, ſemper urget: præſertim quia, ut dicit Scotus in 4. diſt 9. q. 11. hoc pœnitentiæ Sacramentum eſt Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, quia peccator Deo, & Eccleſiæ reconciliatur: Ergo dum Concilium dicit, ut *quamprimùm confiteatur*, intendit obligare Sacerdotem ad implendum illud idem præceptum, quo ante Miſſæ celebrationem, tenebatur peccata ſua

confiteri, quæ, urgente neceſſitate, non fuerunt confeſſa: ac per conſequens, ly *quamprimum confiteatur*, non eſt conſilium, ſed præceptum. Quare Scotus in 4. *cit.* §. *Ad primum argum.* ait: *Ad ſecundum dico, quòd Sacerdos priuſquam conſecret, tenetur laborare, ut ſit extra peccatum mortale: ſi autem contingat, quòd poſt conſecrationem, ante tamen communicationem, occurrat ſibi memoria peccati mortalis, olim commiſſi, de quo non præceſſit pœnitentia interior, vel exterior, tenetur tunc habere pœnitentiam interiorem, antequam percipiat, & differre pœnitentiam exteriorem, donec occurrat opportunitas confitendi*. Deducimus ergo meritò fuiſſe ab Alex. VII. damnatam illam propoſitionem, ut temerariam, & præjudicativam præcepto de facienda confeſſione, ante Miſſæ celebrationem, quando conſcientiam habet peccati mortalis.

ARTICULUS XXXIX.

Exponitur ſenſus trigeſimanonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimanona damnata Propoſitio. *Illa particula, quamprimùm intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

158 Senſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd putant Auctores ipſius, Concilium Tridentinum, dum poſuit illam particulam *quamprimùm*, ſignificare voluiſſe, quando Sacerdos vult pro ſuo libito confiteri; & quòd non ponat obligationem confitendi ſtatim, ac habet copiam Confeſſoris. Et hæc propoſitio ſequitur ad ſuperiorem 38. propoſitionem, in caſu ſcilicet, quòd Sacerdos debeat, neceſſitate ductus, celebrare, & non habeat copiam Confeſſoris. Falſitas talis interpretationis oſtenditur.

Oppugnatio Propoſitionis.

159 Dum Tridentinum Concilium dixit: *Quòd ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur*; debet facere talem ſenſum ly *quamprimùm*, qui non obſtet præcepto divino de præmittenda confeſſione communioni; ſed ut faciat hunc ſenſum, qui non obſtet tali præcepto, non debet ly *quamprimùm* ſumi, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur; quia quando ſuo tempore confitebitur, non confitetur tunc ex vi præcepti, quod urgebat ante Miſſæ celebrationem, ſed pro alio tempore, in quo, pro alia vice præceptum urget: Ergo

ly

ly *quamprimùm* non debet intelligi, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur. Totum hoc oſtenditur à pari, in eàdem materia confeſſionis. Si quis immediatè poſt confeſſionem factam,& ante communionem recordaretur alicujus peccati obliti, ut dignè recipiat communionem, debet iterum ſe conducere ad Confeſſorem, & illud peccatum confiteri; quia præceptum de integritate confeſſionis adhuc urget ante communionem. Et hoc non alia ratione, niſi quia præceptum de integritate confeſſionis ſemper urget. Ita ſimiliter: quia præceptum de confeſſione facienda ante communionem urget, ſi poſtponatur confeſſio ob evidentem neceſſitatem celebrandi,& Confeſſoris carentiam, tenetur ratione ejuſdem præcepti *quamprimùm* confiteri, ſumpto ly *quamprimùm*,quando habet copiam Confeſſoris, & non quando Sacerdos ſuo tempore confitebitur. Quia quando ſuo tempore confitebitur, adimplet præceptum de præmittenda confeſſione pro illo tempore, non pro eo, pro quo confeſſionem non præmiſit: quare ſatisfaceret præcepto pro ſecunda confeſſione præmittenda ante communionem, & non pro prima, non præmiſſa, ſtante illa neceſſitate, ſed ſtatim facienda, ut præceptum adimpleatur. Hinc concludo, ly *quamprimùm* ſumendum eſſe pro ſtatim, ac copiam habet confeſſoris, non verò cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur. Et iccircò ut temeraria,& ſcandaloſa, & in fide non tuta, damnata fuit ſupradicta propoſitio.

ARTICVLVS XL.

Exponitur ſenſus quadrageſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſima damnata Propoſitio. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.*

160 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, probabilem eſſe opinionem quorundam Doctorum, qui dicunt, tantùm veniale peccatum eſſe oſculum præbere mulieri, ob carnalem, & ſenſibilem delectationem, quæ duntaxat oritur ex oſculo; ſi ex tali delectatione non ſit periculum ulterioris conſenſus, ſcilicet copulam habendi cum muliere, vel ſaltem pollutionem procurandi. Authores iſti ſupponunt, in rebus venereis dari poſſe parvitatem materiæ, excuſantem à peccato mortali, quod, ut oſtendemus, eſt falſum.

Oppugnatio Propoſitionis.

161 TActus, oſcula, & ſimiles actus habiti ob carnalem delectationem, & ſenſibilem, poſſunt dupliciter conſiderari (ut nonnulli advertunt Doctores). Primò modo, ſi dentur oſcula in ore, in facie, in manibus, vel in fronte;& hujuſmodi partes tangantur. Secundò modo, ſi dentur oſcula, & tangantur partes in honeſtæ deſtinatæ ad generationem; quæ verendæ communiter dicuntur. Oſcula, & tactus in his partibus inhoneſtis, & verendis immediatè, & proximè diſponunt, vel ad carnalem copulam, vel ſaltem ad pollutionem. Oſcula verò, & tactus in ore, facie, &c. non immediatè diſponunt ad copulã, vel pollutionem, ſed mediatè, & remotè; ſed tamen immediatè, & proximè diſponunt ad ulteriores tactus, & oſcula in partibus verendis immediatè aptis ad copulam, vel pollutionem procurandam. Hoc notato,

162 Suppono, delectationem eſſe in triplici differentia: alia eſt purè naturalis; quæ in quadam naturali proportione rei tactæ cum organo tactus conſiſtit: ut ſi quis manum frigidam haberet, & ea manu tangeret manum, vel faciem mulieris, ob naturalem delectationem recipiendi ab ea calorem, abſque ulla ulteriori intentione. Hæc delectatio eſt naturalis tantùm, quando alia intentio carnalis, & ſenſibilis delectationis non intervenit; nam ſi hujuſmodi intentio carnalis delectationis interveniret; non ampliùs erit naturalis delectatio, ſed carnalis, libidinoſa, & venerea. Alia eſt delectatio moralis, quam quis ſumit ex tactu manus, vel ex oſculo, cauſa amicitiæ, & more Patriæ; & hæc delectatio, ſi non eſt cum intentione carnalis, & ſenſibilis delectationis, remanet in ſuo eſſe morali. Alia tandem eſt delectatio libidinoſa, & venerea, quæ in carne ſentitur; & ideo ſenſibilis dicitur; quia per eam excitantur, & moventur partes corporis ad procurandam pollutionem. Quare dum delectatio eſt purè naturalis, vel purè moralis, non eſt peccaminoſa: quia per eam partes ſenſibiles corporis non excitantur, nec moventur ad ponendam carnem in periculo pollutionis. Tertia verò delectatio peccaminoſa eſt.

163 Ante impugnationem damnatæ Propoſitionis, ſuppono, propoſitionem aliquam eſſe poſſe ſpeculativè tantùm probabilem; vel practicè probabilem. Tunc eſt ſpeculativè tantùm probabilis, quando habet rationes ad ſui probabilitatem; ſed in praxi opinio ipſa non eſt tuta, ſed periculoſa. Tunc verò eſt practicè probabilis, quando in praxi tuta eſt, & caret evidenti periculo lapſus in errorem. Quicquid ſit de probabilitate ſpeculativa hujus propoſitio-

nis

nis damnatæ, quæ probabilitas ad nos non attinet: tamen videtur omninò improbabilis practicè.

164 Quod ſic oſtendo. Eſt omninò improbabile, præſertim practicè, dari parvitatem materiæ in actibus venereis. Sed hæc propoſitio: *Oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, eſt peccatum veniale*; etiam ſecluſo quocunque periculo ulterioris conſenſus, & pollutionis: poneret parvitatem materiæ in actibus venereis: Ergo hujuſmodi propoſitio eſt omninò improbabilis, præſertim practicè. Singulas propoſitiones ſic oſtendo. In actibus venereis, ut detur parvitas materiæ, excuſans à peccato mortali, debet removeri omninò periculum, tam proximum, quàm remotum ad pollutionem procurandam. Quoties autem oſculetur fæmina in quacunque ſui corporis parte, ex his aſſignatis num.161.adeſt periculum, vel proximum, vel remotum ad pollutionem: & ideò in talibus actibus venereis nequit aſſignari parvitas materiæ, quæ à peccato mortali excuſet. Tum etiam, quia quoties in actibus venereis habetur carnalis illa delectatio, ſemper habetur pollutionis inchoatio, quæ nullã probabilitatẽ dicere poteſt ad excuſandũ à peccato mortali, ex parvitate materiæ.

Deinde: delectatio illa carnalis, & ſenſibilis, quæ ex oſculo oritur, ob humanam fragilitatem ſtat cum imminenti periculo pollutionis: Ergo, dum Authores propoſitionis damnatæ, prætendunt excludere periculum ulterioris conſenſus, reddunt ipſam propoſitionem omninò improbabilem. Quod patet, quia ſi eſt improbabile, præſertim in praxi, quòd poſſit vitari periculum ulterioris conſenſus, & pollutionis, quando delectatio orta ex oſculo, eſt carnalis, ſenſibilis, & venerea; jam redditur improbabile, quòd ſit tantùm veniale, & non mortale peccatum; dare oſculum, ob carnalem, & ſenſibilem delectationem. Sed improbabile eſt, præſertim in praxi, quòd poſſit vitari periculum ulterioris conſenſus, & pollutionis; quia delectatio illa carnalis (teſte Galeno) eſt quædam pollutionis inchoatio: & poſita inchoatione actus peccaminoſi, non evitatur periculum peccandi: Ergo eſt improbabile, quòd ſit tantùm veniale, & non mortale, oſculum, ob carnalem, & ſenſibilem delectationem, ortam ex oſculo. Vnde concludendum eſt, improbabile eſſe, quòd poſſit dari in praxi delectatio carnalis, & ſenſibilis; & hæc præſcindat ab ulteriori conſenſu, & pollutione; quia talis delectatio eſt pollutionis inchoatio. Et inſuper dato hoc, ſaltem ſpeculativè, eſt etiam improbabile, quòd delectatio illa carnalis, ſit tantùm veniale; quia tunc in rebus venereis daretur parvitas materiæ, quod ſcandaloſum eſt; & ideo, ut ſcandaloſam Alex. VII. damnavit ſupradictam propoſitionem quadrageſimam.

ARTI-

ARTICVLVS XLI.

Exponitur ſenſus quadrageſimæprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimaprima damnata Propoſitio. *Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii*, vulgò regalo, *dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam; & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

165 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd aſſerunt Authores ipſius, Concubinarium non eſſe obligandum ad eiiciendam Concubinam, quando hæc eſt nimis utilis ad oblectamentum, quo vivit, & vitã ſuam ipſe Concubinarius ſuſtentat; ita ut ſine tali oblectamento, ſeu *regalo*, Concubinarius nimis ægrè vitã ageret: & eidem Concubinario nimis difficile eſſet invenire aliam famulã pro ſuo ſervitio. Hæc propoſitio poteſt etiam facere aliũ ſenſum; quòd Concubina ſit famula Concubinarii, à qua Concubinarius habet præparatos cibos ad comedendum, qui non haberentur, ſi hæc è domo Concubinarii eiiceretur; præſertim in caſu, quo cum difficultate poſſet Concubinarius aliam famulam invenire. Utroque modo ſcandaloſa, & indigna eſt hujuſmodi propoſitio, ut oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

166 COncubina, ut à meritrice ſecernitur, illa eſt, qua quis ex prava conſuetudine abutitur in libidinem; ita ut ſemper parata ſit cum eodem viro copulam habere; quicunque ſit vir, ſive ſecularis, ſive Clericus, ſive ſolutus, ſive uxoratus. Meretrix verò illa eſt, quæ exponit carnes ſuas, ad copulam habendam cum quocunque viro: quare Concubina unius viri tantùm admittit carnis commiſtionem: meretrix verò commiſcetur cum omnibus viris. His notatis, adverto, urgere præceptum negatiuum contra retinentes Concubinas in propria, vel aliena domo, propriis expenſis, obligans ad non retinendum; & firmum ſemper habere propoſitum illam expellendi: quare redditur Concubinarius obligatus ad Concubinam expellendam, quæ proxima occaſio eſt ad ſemper peccandum.

167 Nunc propoſitionem ipſam damnatam impugno. In nullo caſu licitum eſt, habere occaſionem proximam ad peccandum: unde

de dum quis confitetur, ſe proximam habere occaſionem ad peccandum, obligandus eſt ad tollendam hanc proximam occaſionem, ut reddatur capax abſolutionis. Unde dum Concubinarius utilitatem corporalem recipit per concubinam, quam utilitatem amitteret, & nimis ægrè vitam ageret, ſi concubinam expelleret, debet hanc utilitatem amittere, & illa privari; etiamſi fame periret, & eſſet poſitus in evidenti periculo mortis; & concubinam eiicere. Ratio potiſſima eſt; quia nemo debet ſe ponere in evidenti periculo peccandi, propter corporalem, & temporalem utilitatem. Vnde certò ſciens ſe moriturum, niſi peccatum contra legem, & Deum committat, tenetur potiùs mori, quàm peccatum committere. Nam utilitas illa, quam concubinarius reciperet à concubina, eſſet tantùm commodum temporale; expulſio verò ipſius concubinæ cederet in commodum ſpirituale; ſed bonum ſpirituale ſemper præferendum eſt bono temporali: Ergo propter illam utilitatem, quam concubinarius reciperet à concubina, non debet illam retinere: & ſic obligandus eſt ad illam eiiciendam, quocunque imminente temporali damno ipſi concubinario.

168 Hoc de Clericis oſtenditur expreſsè per Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 14. de reform. ubi habetur: *Quàm turpè, &c.* Et infra. *Ut igitur ad eam, quam decet, continentiam, ac vitæ integritatem Miniſtri Eccleſiæ revocentur; populuſque hinc eos magis diſcat revereri, quò illos vita honeſtiores cognoverit: prohibet Sancta Synodus quibuſcunque clericis, ne Concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam conſuetudinem habere audeant; alioquin pœnis, &c.* Ex quibus verbis expreſsè Concilium prohibet clericis retentionem Concubinæ, vel alterius mulieris, ex qua ſuſpicio haberi poſſit. Hoc etiam expreſſum eſt in Sacris Canon. præſertim in *cap. 3. Clericis in Sacris &c.* Et in *cap. 2. de cohabitatione Clericorum*, ubi rigoroſa pœna ſtatuitur contra Clericos Concubinatos. Hæc autem prohibitio, etſi non ita arduè, etiam extendenda eſt ad quoſcunque Concubinarios: & iccircò per zelantiſſimos Prælatos excommunicantur Concubinarii, quando Concubinas non expellunt. Unde concludo, concubinarios obligandos eſſe ad Concubinam eiiciendam, non obſtante quacunque utilitate, quam Concubinarius amitteret per Concubinæ expulſionem.

ARTI-

ARTICULUS XLII.

Exponitur ſenſus quadrageſimæſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimaſecunda damnata Propoſitio. *Licitum eſt mutuanti, aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem, uſque ad certum tempus.*

169 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, poſſe licitè mutuantem, & abſque uſura, exigere aliquid à mutuatario, quando ipſe mutuans ſe obliget ad non repetendam ſortem, uſque ad certum tempus. V. G. Petrus mutuet Paulo centum, volunt Authores iſtius propoſitionis, quòd ſi Petrus ſe obliget ad non repetendum centum à Paulo uſque ad certum tempus, unius anni V.G. poſſet licitè, ratione hujus obligationis, ob dilatā ſolutionem, quam Paulo mutuatario concedit, recipere decem, vel octo ultra ſortem principalem. Quod ſcandaloſum eſſe oſtendemus, & aperiret viam uſuris.

Oppugnatio Propoſitionis.

170 PLura dixi in 1. tom. de Juſt., & Jure in materia de contractibus, quæ hìc breviter recolenda ſunt. Uſura communiter à Doctoribus definitur, quòd *ſit lucrum immediatè ex mutuo proveniens, vi mutui.* Alia eſt mentalis, & eſt quando quis intendit acquirere lucrum ex mutuo; & ſi re vera lucrum non acquirit, eſt peccatum mortale, ſed ad reſtitutionem non obligat, quia nihil in re accipit injuſtè, ac illicitè (ut loc. cit. cum communi Doctorum ſenſu diximus). Alia eſt realis, qua ſcilicet mutuans realiter lucrum accipit, ſive ex pacto expreſſo, ſive tacito. Alia tandem eſt virtualis, & palliata, qua ſcilicet mutuans acquirit lucrum, non ex vi mutui expreſſi, ſed ex vi mutui palliati, & contractus colorati: ut ſi quis acquireret aliquid ultra ſortem, titulo emptionis, vel venditionis, ob dilatam, vel anticipatam ſolutionem: titulo gratitudinis in pactum deductæ; qui omnes tituli exprimuntur, ſed ſub illis manet mutuum virtuale: & hoc modo palliata, ſeu virtualis uſura diceretur. Hinc ſuppono cum claſsicis, & principalioribus Doctoribus, lucrum ceſſans, vel damnum emergens excuſare ab uſura; quando verè lucrum ceſſat, vel damnum emergit: nam ſi iſta eſſent tituli colorati, jam mutuans non excuſaretur ab uſura. Vt ſi Titius pete-

peteret à Cajo mutuo centum, & Cajus fingeret, quòd illam pecuniam vellet applicare negotiationi (quod verum non eſſet) , & quod propter tale mutuum , lucrum acquirendum per negotiationem ceſſaret: vel fingeret Cajus,quòd ex illa pecunia vellet emere frumentum pro ſua domo , quòd ſi pro alio tempore cariùs frumentum illud emeret , tunc damnum ei emergeret . In his fictis lucro ceſſante, & damno emergente, non excuſatur mutuans ab uſura. At ſi verum eſſet lucrum ceſſans, & verum damnum emergens, tunc mutuatarius tenetur ad lucrum ceſsans , & damnum emergens; & ſic mutuans ab uſura excuſabitur.

171 Nunc damnatam propoſitionem impugno ſic . Dum mutuans exigit ultra ſortem ex eo,quòd ſe obliget ad non repetendam ſortem, uſque ad certum tempus, non excuſatur ab uſura ; quia lucrum illud, quod reciperet,acquireret vi mutui virtualis,quod uſurarium eſt. Omnis nanque pactio de dilatione temporis,ratione cujus lucrum acquiritur , eſt uſuraria ; quia venderet tempus, quod ſuum non eſt . Quare ſi mutuans excuſari poſſet ab uſura ex eo, quòd ſe obliget ad non repetendam ſortem,niſi ad certum tempus, jam tempus illud venderet , quod in poteſtate mutuantis non eſt. Neque illa obligatio , quam ſibi imponit mutuans ad non repetendam ſortem excuſat ipſum ab uſura;quia eſt obligatio de re illicita, ſeu de illicito contractu: quæ obligatio non poteſt reddere licitum lucrum illud , quod mutuans acquireret . Unde nulla videtur ratio excuſans mutuantem ab uſura , quando vi mutui exigit aliquid ultra ſortem , etiamſi mutuans ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus. Quapropter cùm hæc aſſertio ſit ſcandaloſa, & prætendat, ac præſumat occultare, & palliare uſuram, iccircò damnata fuit ab Alex.VII.

A R T I C V L V S XLIII.

Exponitur ſenſus quadrageſimætertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur .

Quadrageſimatertia damnata Propoſitio. *Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus , quàm per decem annos.*

172 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt deſtruere perpetuitatem legati relicti pro celebratione Miſſarum ; & putant Authores iſtius propoſitionis , legatum annuum, etiam poſita clauſula *in perpetuum : vel in ſingulis annis* : ſolùm durare per decem annos. Quapropter præſumunt Authores iſti , hæredes alicujus le-

gantis ad pias cauſas , tantùm per decem annos teneri ad ſatisfaciendum pro legato facto à Teſtatore. Quod temerarium eſt , ut oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

173 LEgatum, quod eſt quædam diſpoſitio ultimò à Teſtatore facta, & ab hæredibus ex bonis ipſius Teſtatoris adimplenda, eſt quandoque factum ad pias cauſas ; ut ad Eccleſiæ augmentum, pro anima ipſius Teſtatoris, vel aliarum animarum in Purgatorio commorantium; ad pupillos,& pauperes ſublevandos; vel ad alias conſimiles cauſas. Vt dum Teſtator dicit, ex prædicta mea hæreditate volo,quòd pro ſingulis annis celebrentur tot Miſſæ: quòd pro ornamento talis Altaris pro quolibet anno detur tanta pecuniæ ſumma : pro pauperibus , & pupillis tot aurei , &c. Hujuſmodi diſpoſitio ad pias cauſas eſt legatum . Et quia in formula conſueta, quæ à notariis ſervatur,exprimitur mens, & voluntas Teſtatoris, ut ſi velit legatum illud valiturum per quinque annos, per decem, vel in perpetuum ; ideo legatum ipſum tandiu durat,quandiu mens Teſtatoris voluit eſſe duraturũ. Unde hoc ſtante,

174 Impugno ſic ſupradictam propoſitionem. Annuum legatum durare debet per tot annos, quot Teſtator voluit fore duraturum: Ergo, ſi voluit duraturum in perpetuum , nequit contra voluntatem Teſtatoris ad tempus determinatum durare. Quando in Teſtamento apponit Teſtator particulam indefinitam , quæ natura ſua non habet determinatum tempus ſignificare, nequit quis aliter mentem Teſtatoris interpretare, in notabile ipſius Teſtatoris præjudicium. Vnde quoties legatum eſt factum indefinitè, nullum determinatum tempus ſignificans, ſi hæredes Teſtatoris legatum ipſum, pro anima relictum, tantùm ad decennium ſoluunt, tenentur ad reſtitutionem pro ſingulis annis poſt decennium; quia uſurpatores bonorum aliorum cenſentur: ac inſuper malæ fidei poſſeſſores. Quapropter legatum , ſi eſt indefinitè factum : ideſt hac formula: *Volo,ut ex mea hæreditate pro ſingulis annis celebrentur tot Miſſæ*, nequit iſta formula interpretari , quòd obliget tantùm per decennium.

ARTICULUS XLIV.

Exponitur ſenſus quadrageſimæquartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimaquarta damnata Propoſitio. *Quò ad forum conſcientiæ, Reo correcto,ejuſque contumacia ceſſante,ceſſant cenſuræ.*

175 Sen-

175 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, non requiri abſolutionem, præſtandam in forma Eccleſiæ ab excommunicatione, quando excommunicatus correctus eſt, & ejus contumacia ceſſavit: unde putant Authores iſtius propoſitionis, quòd ceſſante contumacia in excommunicato, & correcto de errore, ratione cujus fuit excommunicatus, non remaneat in foro conſcientiæ excommunicatus. Quod omninò erroneum eſt, & contra praxim Eccleſiæ.

Oppugnatio Propoſitionis.

176 SVppono ex materia de cenſuris, cenſuram *eſſe pœnam ſpiritualem, inflictam ab habente Eccleſiaſticam poteſtatem, qua privatur homo baptizatus uſu aliquorum bonorum ſpiritualium, donec à contumacia recedat, vel inflictam ad ejus correctionem*. Cenſura, alia eſt excommunicatio, & *eſt illa, per quam homo baptizatus ſeparatur à communione fidelium, ſeu Eccleſiæ.* Alia eſt ſuſpenſio, & *eſt illa, qua perſonæ Eccleſiaſticæ prohibetur ordinis, vel Eccleſiaſtici officii exercitium, vel in totum, vel in partem, ob culpam, vel contumaciam.* Alia tandem eſt Interdictum, eſtque *cenſura Eccleſiaſtica in locum, vel perſonam lata, prohibens uſum quorundam Sacramentorum*: ſi Interdictum eſt locale prohibet loco, ne officia, vel Sacramenta perſolvantur, vel adminiſtrentur: ſi verò eſt perſonale, prohibet perſonæ uſus Sacramentorum, tum in recipiendo, tum in adminiſtrando. His notatis,

177 Quantùm ſpectat ad impugnandam damnatam propoſitionem, arguo ſic. Cenſura eſt pœna ſpiritualis, qua quis privatur uſu bonorum ſpiritualium, donec à contumacia recedat: Ergo, qui manet ſub cenſura, excommunicationis V. G. quamvis ſit correctus & à contumacia recedat, non eſt liber cenſura, quò ad forum conſcientiæ, niſi ſit abſolutus. Quod ſic oſtendo: ut dicatur in foro interno liber à pœna ſpirituali inflicta, debet abſolvi ab eo, qui juriſdictionem habet à tali pœna abſolvendi; nam finis, ob quem cenſura infligitur, eſt corripere, & reddere peccantem emendatum; ipſumque reſtitutum in integrum ad Sacramenta Eccleſiæ, vel ad uſum ipſorum, quibus per cenſuram erat privatus. Sed niſi ſit à cenſura abſolutus, nequit in integrum reſtitui ad uſum bonorum ſpiritualium, quibus erat privatus: & quidem in foro conſcientiæ: per formam namque abſolutionis à cenſura excommunicatus reſtituitur Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni fideliũ, &c. Ergo quò ad forum conſcientiæ non ceſſant cenſuræ, etiam Reo correcto, niſi ab ipſa cenſura ſit abſolutus. Quapropter ſi quis putat, ſe ampliùs non eſſe ſub cenſura; ac per conſequens poſſe habere uſum

Sacramentorum,quibus fuerat privatus per cenſuram, ex eo,quòd à contumacia ceſſavit, & ſe corripuit à peccato, propter quod fuit excommunicatus; falſum præſumit. Sicut qui putat in foro conſcientiæ eſſe ſine peccato, qui de illis dolet, & ſe corripit à peccato cum propoſito ampliùs non peccandi, falſum præſumit, niſi de illo per Sacramentalem confeſſionem ſit à Sacerdote juriſdictionem habente abſolutus. Oppoſitum hujus damnatæ propoſitionis eſt determinatum in *cap.de ſent.excom.in 6.*ubi habetur,cenſuram eſſe pœnam medicinalem, quæ ut ſit perfectè purgata expoſcit abſolutionem. Quare concludendum eſt, propoſitionem ipſam, ut ſcandaloſam, præſumptuoſam, & temerariam fuiſſe damnatam.

ARTICULUS XLV. ET ULTIMUS.

Exponitur ſenſus quadrageſimæquintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimaquinta, & ultima damnata Propoſitio. *Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, dum adhibita diligentia corrigantur.*

178 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt,quemlibet poſſe retinere libros prohibitos, donec iſti expurgentur ab erroribus, ratione quorum ſunt prohibiti: & hoc præſertim quando adhibetur diligentia ad eos corrigendos.

Oppugnatio Propoſitionis.

179 ADvertendum eſt, libros prohibitos alios eſſe tales in primo capite; & ſunt omnes libri hæreticorum de Religione tractantes, vel hæreſes contra Catholicam fidem continentes:& alios eſſe tales in ſecundo capite, qui nimirum continent materiam falſam, ſuſpectam, ſcandaloſam,& contra bonos mores, & honeſtatem; & ſunt libri Authorum Catholicorum. Quare omnes illi libri, ſive impreſſi, ſive imprimendi, qui habent hæreticos Authores, vel continent materiam contra aliquos Articulos fidei; vel contra ſtatum Eccleſiæ, Authoritatem Pontificis, cultum Beatæ Virginis, & Sanctorum; vel contra Religiones, Religioſos, & alia ſpectantia ad Religionem Catholicam, ſunt in primo capite prohibiti: ſive Author ipſorum ſit,ut hæreticus damnatus, ſive ſit damnandus, & non adhuc damnatus. Hac prohibitione prohibetur etiam Alchoranus Mahumetis, qui eſtò non ſit liber Authoris hæretici, tamen conti-

net falſa dogmata contra fidem, & Religionem Catholicam.

180 Hoc notato, nunc impugno damnatam propoſitionem. Libri prohibiti, vel ſunt primæ claſſis, ſeu in primo capite prohibiti: vel ſunt ſecundæ claſſis, & in ſecundo capite prohibiti. Si ſunt libri in primo capite prohibiti, non poſſunt ſub ullo prætextu retineri. Ratio eſt, quia in primo Canone Bullæ Cœnæ prohibentur lectura, & retentio librorum hæreticorum, vel hæreſes continentes, aut quidpiam contra Religionem tractantes: & aliter facientes ſunt excommunicati excõmunicatione in Bulla Cœnæ, ſolo Summo Pontifici reſervata. Et hoc ipſum eſt prohibitum in decima regula Indicis librorum prohibitorum, quæ incipit: *In librorum, aliarumve ſcripturarum impreſſione.* At id, quod in Bulla Cœnæ prohibitum eſt ſub excommunicatione Papæ reſervata, retineri non poteſt, neque ſub prætextu expurgationis, aut correctionis; quia id prohibetur abſolutè abſque clauſula, *donec expurgentur*: Ergo libri prohibiti in primo capite, tractantes ſcilicet de hæreſi, vel contra Religionẽ, vel qui ſint Authoris hæretici, nullo pacto retineri poſſunt.

181 Si verò ſint prohibiti in ſecundo capite, etiam cum clauſula *donec expurgentur*, abſque expreſſa licentia Sacræ Inquiſitionis, & ob juſtam cauſam, retineri non poſſunt, nec legi. Quod patet expreſsè ex Bulla Pii IV. quæ incipit. *Dominici Gregis Cuſtodiæ, Domino diſponente &c.* ubi circa medium hæc habentur verba: *Nos ſaluti animarum conſulere, eamque ob cauſam providere cupientes, ne libri, & ſcripta cujuſcunque generis, quæ in eo improbantur, ſive ut hæretica, ſive de hæretica pravitate ſuſpecta, ſive ut pietati, ac morum honeſtati inutilia, aut aliqua correctione ſaltem indigentia, poſthac à Chriſti fidelibus legantur, ipſum Indicem poſthac, una cum Regulis ei præpoſitis, authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus &c. Inhibentes omnibus, & ſingulis tam Eccleſiaſticis perſonis, Secularibus, & Regularibus cuiuſcunque gradus, ordinis, & dignitatis ſint, quàm Laicis, quocunque honore, ac dignitate præditis, ne quis contra earum Regularum præſcriptum, aut ipſius prohibitionem Indicis, libros ullos legere, habereve audeat.* Hæc habentur in præfata Bulla Pii IV. quantùm ad prohibitionem retinendi, & legendi libros, tum in primo, tum in ſecundo capite prohibitos.

182 In eadem Bulla idem Pontifex pœnam exprimit contra tranſgreſſores, & inobedientes, his verbis: *Si quis autem adverſus eas Regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujuſvis Authoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita, legerit, habueritve, ipſo jure excommunicationis pœnam incurrat, eamque ob cauſam in eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum, inquiri, & procedi liceat, præter alias pœ-*

nas

nas ſuper hoc, ab Apoſtolica Sede, Sacriſque Canonibus conſtitutas. Qui autem libros alia de cauſa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, Epiſcoporum arbitrio, ſeverè ſe noverit puniendum. Non obſtantibus &c. Ex his verbis apparet, ſupradictam propoſitionem ut ſcandaloſam, & temerariam, & huic Bullæ oppoſitam, fuiſſe damnatam.

Tenor ſententiæ damnationis 17 propoſitionum, ſecundo loco ab Alexandro VII. damnatarum.

QUibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, ut minimùm, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicunque illas, aut conjunctive, aut diviſivè docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privativè tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, etiam quacunque dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii, prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Hoc Decretum fuit publicatum 13. *Martii* 1666.

TRA-

TRACTATVS II.

In ſexagintaquinque Articulos diviſus.

De ſexagintaquinque Propoſitionibus ab Innocentio Vndecimo damnatis.

DEcretum præfati Pontificis: *Feria quinta die 2. Martii 1679. In Generali Cong. Sanctæ Romanæ, & Univerſ. Inquiſ. habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram SS. D. N. Innocentio divina Providentia Papa XI. &c.*

Sanctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis, à fel. record. Alexandro VII. prædeceſſore ſuo inchoatum, proſequi volens, plurimas propoſitiones, partim ex diverſis, vel libris, vel theſibus, ſue ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubiecit. Quibus propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſæpius diſcuſſis, eorundem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis, per Sanctitatem ſuam auditis: Idem Sanctiſſimus D. N. re poſtea maturè conſiderata, ſtatuit, & decrevit, pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquanque ipſarum, ſicut jacent, ut minimùm, tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc Decretum alias propoſitiones, in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Exponitur ſenſus primæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Prima damnata Propoſitio. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili, tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis.*

1 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd poſſit quis uti opinione probabili, & minus tuta in conferendis, & adminiſtrandis Sacramentis, relicta opinione tutiore: & hoc valet, quando à lege non eſt vetitum, & prohibitum, nec eſt periculum gravis damni incurrendi. Authores hujus opinionis excipiunt collationem Baptiſmatis, & Ordinis tum Sacerdotalis, tum Epiſcopalis, in quorum Sacramentorum collatione, aſſerunt, ſequendam eſſe opinionem tutiorem.

Oppugnatio Propoſitionis.

2 PRo majori claritate adverto, in ſupradicta propoſitione tria contineri. Primum, quòd quando lex vetat aliquid fieri in Sacramentorum collatione, & adminiſtratione, & ſit periculum gravis damni incurrendi; tunc illicitum eſt ſequi opinionem probabilem, & minus tutam, relicta probabiliore, & tutiore. In hoc, eſt indubitatum apud omnes Theologos, quòd quando lex vetit, non eſſe utendum opinione minus tuta; tunc hac nemo uti poteſt; aliàs ſequens hanc opinionem, contra legem prohibentem ageret, & opinionem damnatam, & prohibitam ſequeretur, & in praxim reduceret, quòd nemo facere debet. Ut ſi quis contra Legem, & Decreta Summorum Pontificum vellet ſequi propoſitionem aliquam ex expreſsè damnatis, quamvis ante damnationem ſequebatur eam, ut, probabilem; tunc ageret contra Legem prohibentem. Etiam certum eſt, quòd ſi ſit conventio inter eum, cui Sacramentum confertur, & Sacerdotem illud conferentem, ut Sacerdos conferat Sacramentum juxta opinionem magis tutam; tunc talis conventio, aut pactum obligat Sacerdotem ad non utendum opinione minus tuta: cùm talis conventio ſit titulus, ratione cujus imponitur debitum in Sacerdote ad utendum magis tuta opinione. Tandem etiam certum

tum eſt, quòd, ſi ex electione opinionis minùs tutæ adſit periculum gravis damni incurrendi, non debet Sacerdos minùs tutam opinionem ſequi, relicta tutiore: nam ſemper tenemur evitare damnum, & periculum, ſive proprium, ſive proximi.

3 Secundum, quod continetur in illa propoſitione, eſt, quod in collatione Baptiſmatis, & Ordinis, tum Sacerdotalis, tum Epiſcopalis ſequi debet quiſque opinionem magis tutam, & non opinionem minùs tutam, & quidem circa Sacramenti valorem: quia ſi poſſemus ſequi minus tutam in collatione horum Sacramẽtorum, evenirent magna incommoda: in collatione Baptiſmatis poſſet evenire periculum æternæ ſalutis in Baptizato: & in collatione Ordinis eveniret periculum nullitatis Ordinum, quos Epiſcopus confert: in Sacerdotibus eveniret periculum nullitatis Conſecrationis, abſolutionis, & eorum omnium, quæ ab ipſo Sacerdote exercẽtur.

4 Tertium, quod continetur in illa propoſitione, eſt, quòd, exceptis his caſibus, ideſt collatione Baptiſmi, & Ordinis; & quando lex non vetat, nec adſit conventio, vel evidens periculum, poſſit quis licitè ſequi opinionem minùs tutam, relicta tutiore, circa valorem Sacramenti. Duo priora, quæ continentur in illa propoſitione, ſunt certa, & damnationi non ſubiiciuntur; imò evidentiora, & in praxi ſemper habenda. Tertium verò, quòd circa valorem Sacramentorum poſſit quis ſequi opinionem minus tutam, eſt falſum, & huic damnationi ſubiacet.

5 Ante hujus puncti impugnationem, noto primò, illam eſſe opinionem minùs tutam, circa valorem Sacramenti, quæ affirmans Sacramentum ſic, vel ſic collatum, eſſe validum, exponit ipſum periculo nullitatis: illam verò eſſe tutiorem, quæ affirmans, Sacramentum ſic, vel ſic collatum non eſſe validum, non exponit ipſum periculo nullitatis. Sit exemplum à pluribus Doctoribus adductũ. Eſt opinio inter Doctores, an valeat Sacramentũ Baptiſmi collati in lixivio? Opinio, qua affirmatur, eſſe validum, eſt minùs tuta; quia, qui abſque caſu extremæ neceſſitatis, ſic Baptizat, exponit ipſum Baptiſmum periculo nullitatis: opinio verò, qua affirmatur non eſſe validum, eſt magis tuta; quia non exponit ipſum Baptiſmum periculo nullitatis. Quare inter iſtas duas opiniones circa Sacramenti valorem, extra caſum neceſſitatis, ſemper tutior opinio ſequenda eſt, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

6 Suppono inſuper, nullã eſſe opinionẽ minùs tutam, quæ ſit practicè probabilis, circa valorẽ Sacramẽti: ſed ſi eſt probabilis eſt tãtũ probabilis ſpeculativè. Ratio hujus eſt, quia ad propoſitionem practicè probabilẽ requiritur, quòd illa propoſitio ſit licita in praxi; & quia nulla propoſitio minùs tuta, circa valorem Sacramenti, poteſt

eſſe licita in praxi, ideò nulla propoſitio, quæ minùs tuta eſt, cenſenda eſt practicè probabilis. Quare, eſtò ſit probabilis ſpeculativè iſta propoſitio: *Eſt validus Baptiſmus in lixivio*; tamen propoſitio practica, quæ pendet ab iſta ſpeculativa, non eſt probabilis: *ut licitum eſt Baptizare in lixivio.* Ratio eſt, quia iſta ſecunda, cum exponat Sacramentum periculo nullitatis, habet rationem improbabilitatis; nam extra caſum neceſſitatis, improbabile eſt, quòd liceat Baptizare in lixivio.

7 Suppono tandem, non eſſe idem, opinionem eſſe probabilem, & eſſe tutam; magis probabilem, & magis tutam; nam multoties opinio eſt magis probabilis; quia evidentiori fulcitur ratione, & plurium habet Doctorum ſequelam; ſed revera in praxi non eſt magis tuta: & quandoque eſt minùs probabilis, quia non tam efficaci fulcitur ratione, nec claſſicorum Doctorum habet ſequelam, & tamen in praxi eſt magis tuta. In hac damnata propoſitione non tangitur circa Sacramenti valorem opinio probabilis, relicta probabiliori: ſed tantùm tangitur opinio minùs tuta, relicta tutiore. Vnde

8 Impugno ſupradictam damnatam Propoſitionem generaliter. Circa valorem Sacramenti illud licitè fieri poteſt, quod practicè non exponit Sacramentum periculo nullitatis; ſed ſi quis utatur opinione minùs tuta, relicta tutiore, circa valorem Sacramenti, illud exponeret periculo nullitatis: Ergo nequit licitè ſequi opinio minùs tuta circa valorem Sacramenti, relicta opinione tutiore. Major eſt indubitata; quia ſicut eſt illicitum, quod in praxi exponit Sacramentum periculo nullitatis, ita illud in praxi ex licitum circa Sacramenti valorem, quod non exponit Sacramentum ipſum periculo nullitatis. Minor nunc oſtenditur; primò de omnibus Sacramentis, quò ad eorum valorem. Validum eſt Sacramentum, quando perfectum eſt ex materia, forma, & intentione Miniſtri: una ex his tribus, ſi deficeret, jam Sacramentum redderetur invalidum: Ergo quoties in adminiſtratione Sacramentorū adhiberetur materia aliqua, vel forma, vel intentio dubiè valida, relictis requiſitis certò validis; toties exponeretur Sacramentum periculo nullitatis. Sed ita ſe habet, qui in Sacramentorū adminiſtratione ſequitur opinionem minùs tutam circa eorum valorem, relicta tutiore: Ergo jam per uſum opinionis minùs tutæ, relicta tutiore, exponeret Sacramentum periculo nullitatis.

9 Deinde hoc ipſum probatur per ſingula Sacramenta. Si quis in baptiſmate uteretur (extra caſum neceſſitatis) pro materia ipſius Sacramenti, lixivio, vel liquore herbarum, relicta aqua naturali; tunc eſtò quidam velint, liquorem herbarum, & lixivium

eſſe

eſſe poſſe materiam Sacramenti baptiſmi; quia tamen oppoſita opinio eſt magis tuta, quòd ſcilicet, non ſit materia apta ad baptiſmũ, jam qui opinionem illam minùs tutã deduceret in praxi, baptizando ſcilicet in lixivio, vel liquore herbarum, extra caſum neceſſitatis, exponeret Sacramentum baptiſmi periculo nullitatis. Sic pariter dicendum de forma ejuſdem Sacramenti. Eſt aliquorum opinio, quod ſit valida hæc forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & geniti, & procedentis ab utroque*: oppoſita opinio eſt magis tuta: ſi quis ergo illa forma uteretur, exponeret Sacramentum baptiſmi periculo nullitatis.

10 Circa Sacramentum Confirmationis, adeſt aliquorum opinio, balſamum non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad conficiendam hujus Sacramenti materiam: alii magis tutè affirmant (extra caſum neceſſitatis, quod balſamum non reperiatur) eſſe ſimpliciter neceſſarium. Si ergo conficeret Epiſcopus materiam hujus Sacramenti ex communi Oleo, abſque balſamo; eaque materia uteretur in adminiſtratione Confirmationis; exponeret hoc Sacramentum periculo nullitatis.

11 Circa Sacramentum Euchariſtiæ ſunt quædam opiniones probabiles, ſed minùs tutæ: ut circa materiam hujus Sacramenti, quòd liceat conſecrare panem de avena; vinum congelatum, & ſimiles opiniones; quarum oppoſitæ in praxi ſunt magis tutæ, ſcilicet, non eſſe licitum conſecrare panem de avena, & vinum congelatum. Qui minùs tutam ex his opinionibus deduceret in praxi, jam exponeret Sacramentum ipſum periculo nullitatis.

12 Circa Sacramentum Pœnitentiæ ſunt aliquæ opiniones probabiles; nimirum, quod ad formã hujus Sacramenti ſufficiat *Abſolvo*, relicto *Te*, & ſimiles in hac materia extãt probabiles opiniones, quæ directè, & immediatè ordinantur ad valorem Sacramenti. Et quia opiniones oppoſitæ ſunt magis tutæ; ideo ſi minùs tutis quis uteretur, relictis tutioribus, exponeret hoc Sacramẽtũ periculo nullitatis.

13 Circa Sacramentum Extremæ Unctionis, adeſt quædam opinio, valdè controverſa in partibus Hiſpaniarum inter Theologos (ut refert Pater Cardenas), an Oleo Benedicto addi poſſit Oleum non Benedictum, ſive pro una vice, ſive ſingulis vicibus, quod tandem ſuperet Oleum primitùs Benedictum? Aliqui magis probabiliter tenent, hoc fieri poſſe, & opinio hæc ſpeculativè eſt magis probabilis, ſed in praxi minùs tuta. Oppoſita verò, quamvis ſpeculativè ſit minùs probabilis, in praxi tamen eſt magis tuta. Quare, ſi quis adderet Oleo Benedicto, ſive pro una vice, ſive pro pluribus vicibus, Oleum non Benedictum in majori quantitate, exponeret hoc Sacramentum Extremæ Vnctionis

periculo nullitatis ; quia talis opinio minùs tuta eſt circa valorem Sacramenti.

14 Circa Sacramentum Ordinis adſunt aliæ opiniones. Aliqui volunt ad valorem Sacramenti Ordinis ſufficere contactum moralem materiæ exhibitæ ab Epiſcopo, & non eſſe neceſſarium contactum phyſicum. Alii verò è contra volunt, non ſufficere moralem contactum, ſed neceſſarium eſſe contactum phyſicum. Prima opinio eſt minùs tuta: ſecunda verò eſt magis tuta. Qui prima opinione uteretur, relicta ſecunda tutiore, exponeret Sacramentum periculo invaliditatis.

15 Tandem circa Sacramentum Matrimonii ſunt quædam opiniones probabiles, quarum duas referam. Sit prima: aliqui volunt, quód quando Sacramentum Matrimonii factum, eſt invalidum, propter impedimentum dirimens, dum revalidatur ratione ſcientiæ impedimenti, non debet certior fieri alter conjux, qui talem impedimentum non novit. Alii verò volunt, quod alter conjux debeat fieri certior de illa nullitate. Prima opinio, quamvis probabilis à multis Doctoribus exiſtimetur, eſt tamen minùs tuta (extra tamen caſum extremæ neceſſitatis): at ſecunda eſt magis tuta, quòd ſcilicet de tali nullitate matrimonii debeat certior fieri alter conjux. Sit ſecunda: adeſt aliquorum opinio, quòd, in caſu extremæ neceſſitatis, poſſit Epiſcopus diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium, præſertim habita copula inter affines, vel conſanguineos; & hæc opinio eſt magis probabilis. Alii negant, hoc fieri poſſe ab Epiſcopo; & quamvis ſit opinio minùs probabilis, eſt tamen magis tuta, ſpectans ad valorem Sacramenti. Si prima quis uteretur, relicta ſecunda tutiore, exponeret Sacramentum periculo invaliditatis, & nullitatis.

His omnibus, pro ſingulis Sacramentis, benè conſideratis, & attenta illa potiſſima ratione, quod circa valorem Sacramenti, nemo debet exponere ipſum Sacramentum periculo nullitatis, & invaliditatis, colligitur evidentiſſimè, quòd circa valorem Sacramenti eſt illicitum ſequi opinionem minùs tutam, relicta tutiore. Et iccircò ſupradicta propoſitio, ut ſcandaloſa, & erronea damnata fuit.

ARTICVLVS II.

Exponitur ſenſus ſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Secunda damnata Propoſitio. *Probabiliter exiſtimo, Iudicem poſſe judicare, juxta opinionem minùs probabilem.*

16 Sen-

16 Senſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, eſſe probabile, quòd Judex in ferenda ſententia poſſit judicare ſecundùm opinionem minùs probabilem. Vndè putant Authores iſtius propoſitionis tanquam probabile, non tanquam certum, poſſe Judicem judicare ſecundùm minùs probabilem. Quare eſt damnata, tam quò ad id, quod putant, hoc eſſe probabile, quàm quò ad judicium ferendum, juxta minùs probabilem opinionem, ut mox oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

17 Suppono ex iis, quæ dixi in 5.diſp.de Juſtitia, & Jure, impugnando hanc eamdem damnatam propoſitionem, ſpeciali quæſtione: an Judex poſſit judicare ſecundùm opinionem minùs probabilem; dupliciter ſumi poſſe opinionem probabilem: nimirum ab intrinſeco, & ab extrinſeco. Tunc eſt ab intrinſeco probabilis, quando rationibus fulcitur, ſive naturalibus, ſive Theologicis, ſive in Jure fundatis. Tunc eſt ab extrinſeco probabilis, quando nititur authoritate virorum ſapientum. Vnde fit, quòd opinio probabilior ab intrinſeco ſit illa, quæ urgentioribus fulcitur rationibus: & probabilior ab extrinſeco ſit illa, quæ multorum nititur authoritate Doctorum.

18 Inſuper ſuppono, Judicium ferendum à Judice, aliud eſſe in cauſis civilibus; ut in contractibus, poſſeſſionibus rerum, ſive in facto, ſive in jure: & aliud eſſe in cauſis criminalibus circa Reitatem, ut homicidium, furtum, &c. Quibus ſuppoſitis, pro certo aſſerendum eſt, juxta Decretum Innocentii XI. eſſe omninò improbabile, poſſe Judicem ferre ſententiam, tam in cauſis civilibus, quàm in cauſis criminalibus, juxta opinionem minùs probabilem. Et inſuper eſt omninò falſum, & in præjudicium juſtitiæ, ac temerarium aſſerere, poſſe Judicem judicare ſecundùm opinionem minùs probabilem.

19 Primæ partis aſſertio fundatur ſupra citatum Innocentii Decretum, damnans probabilitatem aſſerendi, poſſe Judicem, juxta minùs probabilem opinionem, judicare. Et etiam ex hoc, quòd nihil eſſe poteſt probabile, quod caret fundamento probabilitatis, vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco, ad hoc, ut quis ſuſtinere poſſit, Judicem ferre poſſe ſententiam, juxta opinionem minùs probabilem, debet habere judicium prudens, quo judicet, oppoſitam ſententiam, vel eſſe æquè probabilem, vel improbabilem. At tale judicium prudens nequit habere; quia ſcire deberet, quòd rationes, vel Doctores, id ſentientes, aſſerant aliquid, quod eſt in præjudicium humanæ juſtitiæ: Ergo omni probabilitate caret aſſertum,

quo

quo affirmetur, eſſe probabile, poſſe Judicem judicare, juxta opinionem minùs probabilem. Deinde, ut hoc ſit probabile, requiruntur rationes, pro hac parte convincentes, vel Doctorum Authoritates; ſed quæcunque ratio, quæ aſſignaretur, non faceret opinionem probabilem; quando oppoſitum eſt certum, & per Decretum Summi Pontificis determinatum: Ergo opinio illa, qua aſſeritur, Judicem poſſe judicare, juxta minùs probabilem, non eſt probabilis; imò jam eſt omninò improbabilis.

20 Nunc impugno directè, non poſſe Judicem judicare, juxta opinionem minùs probabilem, & quidem in concurſu probabilioris. Nam ſi Judici non eſſet nota opinio magis probabilis, & prudenter judicaret, hanc opinionem eſſe ſimpliciter probabilem, & quidem utraque probabilitate, intrinſeca ſcilicet, & extrinſeca; tunc poſſet ferre ſententiam, juxta hanc opinionem, quam judicat, eſſe meliorem in judicando; & ei altera magis probabilis non adverſetur. Nunc ſic; nequit Judex, in ferenda ſententia, injuriam inferre alteri parti ex litigantibus. Sed ſi judicaret ſecundùm opinionem minùs probabilem, inferret injuriam alteri parti ex litigantibus: Ergo nequit, juxta minùs probabilem judicare, relicta probabiliori opinione. Minor hujus argumenti evidenter demonſtratur; nam dum Judex fert ſententiam pro Petro, qui ius probabile haberet ad rem aliquam repetendam à Paulo: & Paulus haberet ius magis probabile; tunc Judex iniuriam faceret Paulo, & quidem iniuſtè: quia hoc ius magis probabile, quod Paulus haberet, redderet Paulum ipſum in iure potiorem, ad rem illam poſſidendam: Ergo quoties ſententia fertur pro eo, qui minus ius habet, toties alteri parti inferretur iniuria. Addo quòd qui habet minus ius, minoris valoris ſunt rationes, & deciſiones pro ipſo, quàm pro eo, qui maius ius habet: ſed minores rationes, & deciſiones, ſi maioribus prævalent ex decreto, Judicis, reddunt decretum iniuſtum: Ergo nequit Judex decernere iuxta minores rationes, & deciſiones, quas in Iure reperit; ſed iuxta maiores, & validiores. At maiores, & validiores ſunt pro opinione magis probabili: Ergo ſecundùm hanc opinionem debet ſententiam ferre. Tandem Iudex, in iudicando, debet attendere utilitati Reipublicæ in adminiſtranda Iuſtitia: huic utilitati non attendit, dum iudicat ſecundùm opinionem minùs probabilem; quia tunc faceret, quòd res unius, quæ potiori Iure ei competit, fiat alterius: Ergo nunquam iudicare debet ſecundùm opinionem minùs probabilem, ſed ſecundùm probabiliorem ferre debet ſententiam. Hoc ipſum oſtendi poteſt in cauſis criminalibus reitatis, propter eandem rationem ſupra relatam.

ARTICULUS III.

Exponitur ſenſus tertiæ Propoſitionis , & ejus falſitas demonſtratur .

Tertia damnata Propoſitio . *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.*

21 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis,eſt,quòd illi, qui confiſi alicui opinioni probabili,etiam tenui, aliquid agunt,prudenter agunt . Et hoc aſſerunt Authores iſtius propoſitionis , quaſi probabilitatis opinionis , ſive intrinſeca , ſive extrinſeca , etiam tenuis,ſit ſufficiens ad prudenter operandum; & quidem generaliter.

Oppugnatio Propoſitionis.

22 EX præterito articulo conſtat quid ſit probabilitas intrinſeca, & quid extrinſeca . Advertendum eſt , opinionem tenuiter probabilem illam eſſe , quæ eſtò probabilitatem habeat apparentem , de ejus probabilitate tamen prudenter dubitatur. Vnde ad formandum hoc prudens judicium , neceſſe eſt , quòd cognoſcantur rationes pro ipſa opinione, tenuiter probabili , non eſſe convincentes ; quòd argumentis adverſariorum non ſatisfiat; & ut cognoſcat , quòd in praxi ſit minùs tùta . Et quamvis cum aliquibus aſſeramus, propoſitionem tenuiter probabilem, non exire à finibus probabilitatis: nec ly *tenuiter* opponi cum probabilitate,pro ut dicit Pater Cardenas ; tamen eſt terminus diminuens probabilitatem ; ita ut reddat ipſam opinionem , etſi non improbabilem ſimpliciter , reddit tamen ipſam improbabilem relativè ad opinionem probabilem ſimpliciter , abſque ullo addito diminuente , aut diſtrahente ; quæ ſcilicet ſuis fulcitur rationibus, & ſapientum Authoritatibus . De hac propoſitione , aut opinione tenuiter probabili, idem judicium efformo , ac ſummuliſtæ faciunt de termino diminuente, & diſtrahente : ut ſi dicatur Ethiops eſt albus ſecundùm dentes , licèt ſimpliciter , de Ethiope non verificetur , quòd ſit albus , verificatur tamen ſecundùm aliquam partem , ſcilicet ſecundùm dentes. Ita pariter , licèt ly *tenuiter* diminuet opinionem probabilem à linea abſolutæ probabilitatis , tamen ſecundùm aliquam rationem , vel authoritatem , remanet in aliqua parte probabilis.

Aliter

Aliter dixi in libro de Juſt., & Jure diſp. 5. exponendo hanc damnatam propoſitionem; quia, practicè loquendo, non eſt probabilis opinio tenuiter probabilis, utpotè inepta fundare judicium prudens; tametſi metaphyſicè, & logicè ly *tenuiter probabile*, non deſtruat, quò ad totum eſſe, opinionem probabilem. Hoc itaque notato,

23 Impugno nunc damnatam Propoſitionem. Qui operatur, juxta opinionem tenuiter probabilem, cognoſcit, rationes pro illa opinione non eſſe validas; & aliunde cognoſcit oppoſitam opinionem habere validiſſimas rationes, & Doctorum authoritatibus eſſe ornatam: ſed dum quis ductus, & confiſus illa opinione, pro qua cognoſcit rationes non eſſe validas, non agit prudenter, ſed imprudenter: Ergo qui confiſus opinione tenuiter probabili, aliquid operatur, imprudenter operatur. Agere nanque imprudenter nil aliud eſt, quàm in praxi ponere id, quod levi, imò leviſſima ratione fulcitur, & relinquit id, quod maximis, & urgentioribus fulcitur rationibus, & Doctorum authoritatibus: hoc modo ageret, qui confiſus opinione tenuiter probabili operatur: Ergo ageret imprudenter. Eò vel maximè, quia, agere, ductus opinione tenuiter probabili, eſt agere juxta opinionem non tutam: ſed agere iuxta hanc opinionem; quia ſe exponit periculo peccandi, agit imprudenter: Ergo iſte talis, qui confiſus opinione tenuiter probabili, ageret, imprudenter ageret. Tandem: judicium prudens fundatur in cognitione veritatis rei, ſecundùm quam quis operari debet: ſed qui operatur, ductus opinione tenuiter probabili, fundat ſuum iudicium, non in veritate rei, quia vera opinio eſt illa, quæ eſt probabilis, non illa, quæ eſt tenuiter probabilis: Ergo ductus opinione tenuiter probabili, non operatur prudenter. Quapropter meritò, ut ſcandaloſa damnata fuit ſupradicta propoſitio.

ARTICULUS IV.

Exponitur ſenſus quartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quarta damnata Propoſitio. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili.*

24 Senſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ſi infidelis habeat probabilitatem, ſaltem apparentem, circa veritatem ſuæ falſæ ſectæ; unde moveatur ad non credendum Myſteriis fidei Catholicæ, excuſabitur à peccato Infidelitatis. Hoc aſſerunt Authores hujus propoſitionis, quia putant, quòd ſicut in aliis præceptis

homo

homo excuſatur à peccato, ſi opinionem minùs probabilem ſequatur, quòd ſcilicet non peccet; ita in præcepto fidei excuſabitur infidelis ductus ad credendum, opinione minùs probabili, ſuæ falſæ ſectæ; & ad non credendum Myſteriis fidei Catholicæ. Quod erroneum, & à veritate alienum eſſe, oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

25 SUppono in primis tanquam certum apud omnes Theologos, in infideli non poſſe dari veram probabilitatem de ſua falſâ ſecta; nam cùm non ſit vera, contra veritatem nequit dari probabilitas. Unde Authores hujus Propoſitionis damnatæ falſum ſupponunt, dum aſſerunt, Infideles moveri poſſe ad non credendum Myſteriis noſtræ fidei, ductos ab opinione minùs probabili. Quod ſic oſtendo. Veritas Myſteriorum noſtræ fidei eſt certa, & evidenter credibilis; ita ut oppoſitum Myſteriis noſtræ fidei ſit certò prudenter incredibile. Ad propoſitionem certò incredibilem nulla poteſt dari probabilitas; quia vera probabilitas non ſtat cum certa evidentia prudentis incredibilitatis. Eò vel maximè: aſſenſus hic probabilis, quo infidelis moveretur ad non credendum myſteriis noſtræ fidei, eſt omninò incertus, vel ſaltem non certus, aut certò falſus; quia aſſenſus oppoſitus, ſcilicet credendi huiuſmodi myſteriis, eſt certò verus, & certus. Sed aſſenſus incertus, vel non certus, aut certò falſus, nullam habere poteſt veram probabilitatem, ſed tantùm apparentem: Ergo in infideli non poteſt dari vera probabilitas ad non credendum myſteriis noſtræ fidei.

26 Ultraquamquòd (& eſt impugnatio propoſitionis). Myſteria noſtræ fidei ſunt certò, & evidenter credibilia: Ergo ſunt certò, & evidenter vera: Ergo propoſitiones, oppoſitæ myſteriis noſtræ fidei, ſunt evidenter falſæ; ſed non excuſatur ab infidelitate, qui movetur ad non credendum myſteriis certò, & evidenter veris, ut ex aliqua apparenti probabilitate moveatur ad credendum propoſitionibus certò, & evidenter falſis: Ergo infidelis, ductus opinione minùs probabili ad non credendum myſteriis noſtræ fidei, non excuſabitur ab infidelitate. Deinde: opinio illa probabilis eſt fundata ſupra certam falſitatem propoſitionis; ſed qui movetur ad credendam certam falſitatem; quia præſtat aſſenſum ipſi falſitati certæ, & evidenti, non excuſatur ab infidelitate; cùm credat, quod credere non debet: imò ex cognita falſitate, debet potiùs diſſentiri, quàm aſſentiri: Ergo ex nullo capite excuſari poſſet ab infidelitate.

27 Nunc impugno hanc damnatam Propoſitionem, deſtruendo fundamentum, quo Authores ipſius eam propugnarunt. Putabant

bant Authores, quòd ſicuti in aliis materiis moralibus, à peccato contra virtutem excuſatur, qui agit,ductus opinione minùs probabili (exceptis iis, quæ ſpectant ad valorem Sacramenti, & ad iuſtitiam exercendam), ita etiam in materia fidei excuſatur infidelis, ductus opinione minùs probabili, ad non credendum contra fidei virtutem; ſed diſpar eſt ratio in aliis materiis moralibus,& in materia fidei: Ergo illa ratio non ſubſiſtit. Probatur iſta minor: in materiis moralibus poteſt dari ignorantia invincibilis,quæ à peccato excuſat: nam ductus ad operandum ex illa opinione verè probabili, putat, non eſſe opinionem maioris certitudinis (facta tamen omni diligentia ad cognoſcendum, ſi ſit opinio magis tuta, & magis probabilis) qua diligentia facta,dum movetur ab illa probabili opinione ad operandum, à peccato excuſatur; ſed infidelis non habet ignorantiam invincibilem ad non credendum myſteriis noſtræ fidei, ſed omninò vincibilem; quia ex illa apparenti probabilitate, quam infidelis habet ad non præſtandum aſſenſum myſteriis noſtræ fidei, oritur dubitatio, & formido circa præceptum; ratione cuius formidinis,& dubitationis, debet maiorem præſtare diligentiam, ut ad veram myſteriorum certitudinem perveniat:qua adhibita,cognoſceret falsò, & improbabiliter, ac imprudenter ſe moveri ad non credendum myſteriis noſtræ fidei. Nemo autem ex ignorantia vincibili excuſatur à peccato: quia ex hac ignorantia vincibili,cùm oriatur dubitatio, & formido, ſemper quis tenetur maiorem adhibere diligentiam,ad omnem dubitationem, & formidinem tollendam. Et quia opinio illa minùs probabilis in infideli ſtat cum dubitatione,& formidine,an ſit vera,vel non ſua ſecta,debet ipſe infidelis ad dubitationem removendam, inquirere de certitudine, & veritate fidei: & ſi hoc non faceret, & ignoranter moveretur ad non credendum myſteriis noſtræ fidei, tunc, quia talis ignorantia eſt vincibilis, non excuſabitur infidelis à peccato infidelitatis.Hoc argumentum eſt ſic à Rigoriſtis efformatum.

Nunc iuxta Probabiliſtas ſic arguo.In materiis moralibus,verſãtibus circa honeſtatẽ actus,datur vera opinio probabilis,etiam ſuppoſita cognitione alterius opinionis magis probabilis (dũmodo minus probabilis ſit tuta) ſed in materia veræ fidei, nulla dari poteſt opinio probabilis circa ea, quæ myſteriis noſtræ fidei adverſantur: Ergo etſi in aliquibus materiis moralibus poteſt quis ſequi opinionẽ minus probabilẽ,hoc tamen licitè fieri non poteſt in materia Fidei. Totum hoc patet, quia in illis materiis moralibus poteſt dari iudicium prudens, quo quis judicat, opinionem illam eſſe ponendam in praxi, propter eius probabilitatem,quod prudens indicium haberi non poteſt in materia fidei, ut ſupra dictum eſt. Et conſequen-

quenter non excuſabitur infidelis ab infidelitatem, non credens, ductus opinione minus probabili.

ARTICVLVS V.

Exponitur ſenſus quintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinta damnata Propoſitio. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condẽnare non audemus.*

28 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, aſſerere, quòd non peccet mortaliter, qui tantùm ſemel in vita elicit actum dilectionis Dei. Vnde Authores iſtius propoſitionis putant, non eſſe peccati mortalis condemnandos eos, qui tantùm ſemel in vita elicerent actum dilectionis Dei.

Oppugnatio Propoſitionis.

29 NOtandum eſt, præceptum de diligendo Deum, expreſſum eſſe in primo Decalogi præcepto; ſcilicet *unum cole Deum*, ita ut nemo à Dei dilectione, & quidam ſuper omnia, excuſari poſſit; cùm de Deo invincibilis ignorantia dari non poſſit. Inſuper noto, hoc præceptum dilectionis Dei, eſſe finem obſervantiæ ceterorum præceptorum; quia cùm cetera præcepta ordinentur ad Deum, qui omnium creatarum rerum eſt finis ultimus; hinc fit, quòd cetera præcepta ſint media ad conſequendam charitatem erga Deum, ſeu ad habendam perfectam amicitiam cum Deo. Hinc Apoſt. 1. ad Timoth. 1. ait: *Finis præcepti charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Quibus notatis,

30 Impugno nunc damnatam Propoſitionem. Quilibet obligatus eſt ad obſervantiam præceptorum, præſertim quãdo præceptum urget, vel quando ponitur impedimentum ad illorum obſervantiam: Ergo ad obſervandum præceptum dilectionis Dei, debet illud obſervari tempore, quo tale præceptum urget: vel quando ponitur impedimentum ad illius obſervantiam. Sed non tantùm ſemel in vita, ſed ſæpè ſæpius urget hoc præceptum dilectionis Dei: & ponitur impedimentum ad illius obſervantiam: Ergo falſum eſt, quòd ſemel in vita tantùm elici debeat actus dilectionis Dei. Hoc manifeſtè oſtenditur: quotidie Deus ſuam elargitur providentiam: unde ex gratitudine tenemur ei per dilectionem correſpondere. Quotidie nobis occurrunt tentationes contra hoc

 præ-

præceptum Dilectionis Dei; præſertim dum tentati ſumus ad peccandum, & conſtituendum ultimum finem in creatura: vel urgent tentationes ad Deum odio habendum, ex actibus iracundiæ, vel impatientiæ. Et quia tenemur tentationes ſuperare, quoties iſtæ urgent; iccircò pro illo tunc, quo urgent hujuſmodi tentationes, tenemur Deum diligere. Unde non tantùm ſemel in vita, ſed ſæpè ſæpius, ex præcepto diligendi Deum, tenemur illum diligere. Ac per conſequens damnandus eſt, qui dixerit, non peccare mortaliter, qui tantùm ſemel in vita eliceret actum dilectionis Dei.

31 Præceptum itaque diligendi Deum, ad frequens exercitium dilectionis obligat. Et quanquam ſint variæ Doctorum opiniones in aſſignando tempore, quo obligat; Doctor noſter ſubtilis tamen vult, hoc præceptum obligare ſingulis diebus feſtivis, qui dies divino cultui dicati ſunt; & majori conatu debet homo ſe Deo per charitatem unire. Ita habet in 3.d.27. qu.un. §. *Quantùm ad ſecundum.* Licèt hoc ex congruentia potiùs, quàm ex vi præcepti deducatur.

32 Alio medio nunc impugno propoſitionem damnatam. Et in primis ſuppono, hominem per impletionem aliorum præceptorum, quæ tanquam media ordinantur ad præceptum dilectionis Dei, quod eſt finis ceterorum, implere etiam præceptum dilectionis Dei: ſi quis enim, urgente tentatione contra caſtitatem, ſuperat talem tentationem, utrumque adimplet præceptum, caſtitatis ſcilicet, & dilectionis Dei. Nunc ſic arguo. Si à peccato mortali excuſatur, qui ſemel in vita eliceret actum dilectionis Dei, excuſaretur à peccato, ſi urgente quocunque præcepto, illud non adimpleret: & ſic, ſi urgeret præceptum obſervandi caſtitatem, vel audiendi ſacrum; ſi non audiretur ſacrum, vel caſtitas non obſervaretur, poſſet tunc à peccato excuſari, qui iſta præcepta non obſervaret: quod abſurdũ, & temererarium eſt aſſerere: Ergo à peccato mortali nõ excuſatur, qui actum dilectionis Dei tantùm ſemel in vita eliceret. Probatur aſſumptum: cum quolibet præcepto obſervando ſtat obſervantia præcepti dilectionis Dei; imò omnia præcepta obſervanda ordinantur tanquam media ad præceptum dilectionis Dei: Ergo ſi obſervantia hujus præcepti dilectionis Dei obligaret tantùm ſemel in vita, ita ut pro aliis temporibus, in quibus urget tale præceptum, non peccaret, qui non eliceret actum dilectionis Dei; neque peccaret, qui non obſervaret alia præcepta, ad hoc ordinata. Quapropter evidenter conſtat falſitas illius damnatæ propoſitionis.

33 Quod autem tale præceptum ſæpè ſæpiùs urgeat, duas hic ex Sacra Scriptura adduco authoritates, quibus clariſſimè hoc oſtenditur. Prima Ioan.15. ubi habetur illud Chriſti Domini: *Ma-*

nete

Digitized by Google

nete in dilectione mea. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione: ſicut ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Hæc verba exprimunt continuum Dei amorem erga nos, & continuum amorem noſtrum erga Deum. Qui, ſi ob humanam fragilitatem, continuò haberi non poteſt, ſaltem obligat pro illis temporibus, quibus homo poteſt. Sed ſæpè poteſt, & non tantùm ſemel in vita: præſertim, quia hoc jugum de tali præcepto ſervando, ſuave eſt, & leve; ut ipſe Dominus dixit: Ergo non ſemel in vita, ſed ſæpè elici debet actus dilectionis Dei. Secunda authoritas deſumitur ex 1. Petri 4. *Mutuam in Vobis metipſis continuam charitatem habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Hæc enim charitas vera Dei dilectio eſt, quia vim habet operiendi multitudinem peccatorum. Quare continuò deberemus Deum diligere, juxta hoc Divi Petri dictum. Et ſi hoc facere non poſſumus, tenemur ſaltem id adimplere, dum poſſumus. Adeoque damnandus eſt mortalis peccati, qui tantùm ſemel in vita actum dilectionis Dei eliceret.

ARTICULUS VI.

Exponitur ſenſus ſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexta damnata Propoſitio. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.*

34 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd Authores ipſius putant, eſſe probabile, quòd præceptum charitatis erga Deum, ſeu dilectionis Dei, per ſe obligare rigoroſè in ſingulis tantùm quinquenniis. Unde volunt, quòd quandoque hoc præceptum poteſt obligare in aliis tēporibus, ratione alterioris præcepti, & nō ratione ipſiuſmet præcepti diligendi Deum. Vt, ſi urgente præcepto miſericordiæ faciendi eleemoſynam, quis moveretur ad illam faciendam propter amorem erga Deum, tunc duplici præcepto ſatisfaceret; nimirum miſericordiæ per ſe, & præcepto dilectionis Dei per accidens, quatenus præceptum miſericordiæ, ad præceptum dilectionis Dei ordinatur. Hoc ſecundum, ex ſupra dictis, eſt verum; cùm omnia præcepta, tanquam media, ad præceptum dilectionis Dei ordinentur. At primum, quod Authores Propoſitionis aſſerunt, eſt falſum, & per decretum Innocentii damnatum, quòd ſcilicet præceptum charitatis erga Deum, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obliget.

Oppu-

Digitized by Google

Oppugnatio Propoſitionis.

35 QVòd tempus determinatum, in quo homo ſatisfacere debet obligationi, provenienti ex præcepto diligendi Deũ ſit ſolum rigoroſum quinquennium, non eſt determinatè certum; imò eſt determinatè incertum, & falſum: Ergo non poteſt eſſe probabile, imò abſolutè eſt improbabile, quòd præceptum dilectionis Dei obliget ad ſolum quinquennium. Quòd nõ ſit determinatè certum, patet, quia, in hoc nulla videtur, nec apparet determinatio Eccleſiæ, nec Scripturæ, & Patrum authoritas: nec ulla ratio convincens, ad hoc probandum, dari poteſt; & quæcunq; ratio ab Authoribus hujus propoſitionis aſſignetur, nullius eſt roboris. Quòd autem ſit determinatè incertum, & falſum, ſic oſtendo. Eſt determinatè incertum, & falſum, tempus ſolius quinquennii, ut homo ſatisfaciat obligationi, provenienti ex præcepto diligendi Deum, quando conſtat ex rationibus Theologicis, ex ſcriptura, & Sanctis Patribus, hoc præceptum diligendi Deum, obligare pro aliis temporibus, infra quinquennium; imò ſingulis menſibus, & hebdomadis; ſed conſtat ex rationibus Theologicis, ex ſcriptura, & Patribus obligatio hujus præcepti, infra quinquennium, imò ſæpiùs obligationem inducere: Ergo jam illud tempus ſolius quinquennii eſt determinatè incertum, & falſum.

36 Primò hoc infero, ratione Theologica. Eſt determinatè certum, quòd quando quis ſcit ſe eſſe in actuali inimicitia Dei, ratione cujus dignus eſt pœna æterna, tenetur conſtituere ſe Dei amicum; & ſuam debet procurare æternam ſalutem: aliàs proteruus, & temerarius eſſet, ſi vellet in ſua oſtinatione perſiſtere; ſed per actum dilectionis Dei, ortum ex præcepto diligendi Deum, quis ſe Dei amicum conſtituit, & procurat æternam ſuam ſalutem: Ergo eſt determinatè certum, quòd quis tenetur elicere actum dilectionis Dei, dum cognoſcit ſe eſſe dignum pœna æterna. Sed hoc non in ſolis quinquenniis homo cognoſcit, ſed dum cognoſcit ſe eſſe in peccato mortali; quæ cognitio in viris perfectis, & timoratis accidit in dies: in aliis verò, accidit in diebus feſtivis, cultui Dei dicatis; aut dum occurrunt menti peccata deteſtanda: Ergo iam conſtat, quòd ſæpè, infra quinquennium præceptum dilectionis Dei obligat.

Secundò ex Scriptura. Apoſt. 1 Ad Timoth. 1. ait: *Finis præcepti charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Ex Deuteron. cap. 6. habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque*

que verba hæc,quæ ego præcipio tibi bodie,in corde tuo. Vbi per priora verba denotatur præceptum dilectionis Dei: per poſteriora verba, denotatur frequentia eliciendi actus dilectionis Dei;& quidem frequentia,orta ex obligatione præcepti.

Tertiò D.Anſelmus ſuper verba Apoſtoli: *Finis præcepti, &c.* ait: *Omnis itaque præcepti finis eſt charitas, ideſt ad charitatem refertur omne præceptum.* Ex quibus Anſelmi verbis,ſic arguo: ſi omne præceptum ad charitatem refertur: Ergo quando quodcunque præceptum obligat, etiam præceptum charitatis obligat; & quidem per ſe; nam quando præceptum *non occidendi*, V. G. obligat, hæc obligatio per ſe ordinatur ad Deum non offendendum; cùm ex tranſgreſſione præcepti, offendatur Deus. Sed quando obligatio per ſe ordinatur ad Deum non offendendum, per ſe dicitur ordinata ad Deum diligendum: Ergo quando cetera præcepta obligant, etiam præceptum diligendi Deum obligat. Quare, ultra improbabilitatem illius propoſitionis, apparet evidenter eius falſitas, rationibus Theologicis, & Scripturæ, ac Patribus omninò contraria. Vnde meritò, ut ſcandaloſa, & temeraria damnata fuit.

ARTICVLVS VII.

Exponitur ſenſus ſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Septima damnata Propoſitio: *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non babemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.*

37 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd tunc ſolùm tenemur elicere actum dilectionis Dei; & quidem ex obligatione adimplendi præceptum, quando tenemur procurare gratiam ſanctificantem, quæ per Sacramentum pœnitentiæ recipitur: & aliunde non habetur aliud medium recipiendi gratiam ſanctificantem, niſi per actum dilectionis Dei. Quare per hanc ſecundam partem,putant Authores iſtius propoſitionis, quòd, ſi homo poſſet habere aliud medium recipiendi gratiam ſanctificantem, non recurrendo ad actum dilectionis Dei, neque tunc, quando tenemur juſtificari, obligaret hoc præceptum.

Oppugnatio Propoſitionis.

38 QUò ad primam partem iſta damnata Propoſitio eſt evidenter falſa. Quod ſic oſtendo:vel Authores iſtius propoſitionis

ſitionis ſupponunt, hominem teneri ſtatim, ac peccavit, procurare juſtificationem; vel per Sacramentum pœnitentiæ; vel per actum contritionis,charitate perfectæ. Vel aſſerunt, cum aliis, non teneri ſtatim,ac peccavit, procurare juſtificationem. Si primum,tunc propoſitio eſt falſa, ex hoc, quod infertur ex tali aſſertione; quòd ſcilicet obſervantia præcepti dilectionis Dei dependeret ab obſervantia aliorum præceptorum: unde deduceretur, quòd nullo determinato tempore per ſe obligaret; ſed tantùm obligaret per accidens, quando ſcilicet alia præcepta obligant; ſed hoc eſt falſum, & ſupra eſt impugnatum, & impugnabitur in 3. tractatu: Ergo affirmando cum antiquis Theologis, quòd quis poſtquam peccavit, teneatur ſtatim procurare juſtificationem, non rectè affirmatur, tunc ſolùm obligare præceptum dilectionis Dei, obligatione rigoroſa, & per ſe. Nam ſi iuxta hanc ſententiam procedatur,juſtificatio haberi poteſt per ſolam attritionem ſupernaturalem, quæ diſpoſitio eſt ad ipſam juſtificationem: ut conſtat ex Conc.Trid.ſeſſ.14.cap.4. Et tamen in tali juſtificationis diſpoſitione voluntas per ſe non tendit ad Deum, ut ſummum bonum diligendum. Si verò aſſerunt cum aliis, & quidem probabiliter, ut ego eorum doctrinam ſequor,deſumptam tamen ex Doctore noſtro Scoto in 4.diſt. 20. & alibi; quòd ſcilicet non teneatur ſtatim, ac peccavit, procurare juſtificationem (quia hoc præceptum de procuranda juſtificatione,eſt poſitiuum,& ideo non habet obligare ſemper, & pro ſemper, licèt debeat peccator habere propoſitum confitendi quamprimùm); tunc dilatio pœnitentiæ, & juſtificationis officeret præcepto dilectionis Dei. Quod ſic probo; poſito,quòd quis non teneatur ſtatim, ac peccavit, elicere actum juſtificationis; ſed vellet illum elicere quamprimùm,dum poteſt commodè, & ante mortis articulum; vel ſemel in anno, ut Eccleſia poſitivè præcipit; jam dum ante hanc juſtificationem urgeret præceptum dilectionis Dei, poſſet homo licitè tale præceptum omittere. Sed hoc non eſt dicendum:nam,urgente præcepto, ponitur obligatio, illud ſervandi: ut patet de præcepto audiendi ſacrum in die feſto, quod pro tali die urget, & obligat ad Miſſam audiendam. Ergo in hac ſententia, quòd quis non teneatur ſtatim, ac peccavit, elicere actum iuſtificationis, non debet negligere obſervantiam præcepti dilectionis Dei, ſi ante tempus iuſtificationis urgeret.

39 Probo nunc, quod ante tempus iuſtificationis urgeat. Præceptum iuſtificationis, & pœnitentiæ ſuſcipiendæ, ut habeatur de peccatis perfecta remiſſio, eſt poſitiuum: Præceptum verò de non peccando eſt negatiuum; quia obligat ad ſemper, & pro ſemper ad non peccandum. Hoc ſuppoſito nunc ſic arguo. Quando præceptum

ptum de non peccando obligat ; tunc obligat præceptum de non exponenda anima ſua periculo æternæ damnationis , cui periculo exponitur per peccatum ; ſed quando obligat præceptum de non exponenda anima periculo æternæ damnationis , obligat etiam præceptum dilectionis Dei: Ergo præceptum dilectionis Dei tunc obligat, quando obligat præceptum, de non peccando . Sed hoc præceptum, de non peccando, non ſolùm obligat , quando quis tenetur procurare ſuam iuſtificationem;ſed etiam obligat,ante talem iuſtificationem:Ergo præceptum dilectionis Dei obligat,antequam quis procurare tenetur ſuam iuſtificationem. Minor,in qua ſtat tota difficultas, probatur: nam ſicuti peccatum ponit inter Deum, & hominem, inimicitiam, ita charitas ponit inter utrumque, amicitiã: Ergo quando ſunt duo præcepta , unum obligans ad non ponendam inimicitiam, & aliud obligans ad ponendam amicitiam,urgente uno, etiam alterum urget. Sed urgente præcepto, de non ponenda inimicitia, per hoc obligatus eſt homo ad non exponendam animam ſuam periculo æternæ damnationis : Ergo tunc urget præceptum dilectionis Dei , præciſa omni obligatione juſtificationis.

40 Ultraquamquòd : amor erga Deum , quando noſtram procuramus juſtificationem , non eſt amor præceptus , quo nos tenemur amare Deum; ſed eſt amor, quo Deus, ſuam erga nos exhibet dilectionem,quia de peccatis pœnitentiam agimus, & amorem Dei ad nos trahimur ; ſed nos, ex peculiari præcepto, tenemur Deum amare : Ergo tenemur illum amare , etiam quando ipſe non amat nos: Ergo in ſtatu peccati , præſertim ſi in hoc urgent tentationes, vel ſi incidant dies,cultui divino dicati,tenemur eligere erga Deum actum charitatis.

41 Deinde: ſupponamus , quòd quis velit ſuam differre juſtificationem in ultimo ſuæ vitæ, in hoc caſu eſt evidenter falſum,quòd pro tali tempore tantùm obliget præceptum dilectionis Dei. Quod ſic probo: ſicuti,qui juſtificationem differt pro ultimo ſuæ vitæ,exponit ſe evidenti periculo ſuæ damnationis , ita, qui differt amare Deum pro illo ſtatu, reddit incertam ſuam ſalutem : hoc expreſsè colligitur ex Sacris literis : nam Eccleſiaſt. 5. habetur : *Non tardes converti ad Dominum, & non differas de die in diem.* Matt.24. *Vigilate ergo,quia neſcitis, qua hora dominus veſter venturus ſit.* Et cap. 9. ejuſdem habetur: *Ideo,& vos eſtote parati; quia qua neſcitis hora, filius hominis venturus eſt.* Supra hæc verba, ait D. Ambroſius.*Vigilare nos voluit , per omnia ſpectantes momenta Domini Salvatoris adventum.* D. Anſelmus Epiſt. 1. ait: *Qui differt in futuram, & forſitan non futuram ætatem, ſuam vitam corrigere , certum bonum dimittit pro dubio.* Et tandem D. Hierony. ait : *Iubetur nobis, ut præ-*

O *parati*

parati ſimus ambulare cum Domino Deo noſtro: nulla hora dormire; nullo tempore ſecuri eſſe debemus, ſed ſemper expectare. Ex quibus doctrinis deducitur, quòd ſi quis pœnitentiam, & iuſtificationem differret, jam ſuam animam exponeret periculo damnationis; cui periculo eam exponeret, ſi pro tali tempore differret actum dilectionis Dei.

42 Secunda pars huius damnatæ Propoſitionis falſum, ac hæreſim evidentem infert. Nam, dum Authores ipſius dicunt, quòd tunc ſolùm tenemur elicere actum dilectionis Dei, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus, idem eſſet dicere, quòd ſi habemus aliam viam; qua juſtificari poſſimus, non tenemur tunc Deum diligere: Ergo ſuppoſito, quòd alia via poſſimus juſtificari, jam hoc præceptum nullum eſſet; ſed de facto conſtat ex citato Concilio ſeſſ. 14. dari attritionem ſupernaturalem, qua poſſimus in Sacramento pœnitentiæ juſtificari, & hæc non reſpicit per ſe, & directè dilectionem Dei: Ergo jam, per hanc ſententiam, non tenemur elicere actum dilectionis Dei, & quidem ullo tempore, cùm abſque tali dilectione poſſimus juſtificari. Quod etiam damnatum eſt, ut hæreticum ab Alex. VIII. ut ſuo loco videbimus, num. 1. Quare concludimus, quintam, ſextam, & ſeptimam propoſitiones fuiſſe meritò damnatas, ut ſcandaloſas; quia per eas præſumebant, earum Authores, deſtruere præceptum dilectionis Dei, per ſe obligans ad Deum amandum, independenter à quocunque alio præcepto; & quidem certis temporibus, quibus nos tenemur ſurgere à peccato, & ponere animam noſtram in tuto, ne incidat in æternam damnationem: eumque ut ſummum bonum amare, ut Creatorem, Proviſorem, Redemptorem, & Benefactorem.

ARTICVLVS VIII.

Exponitur ſenſus octavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Octava damnata Propoſitio. *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini; quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.*

43 Senſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, affirmare, non eſſe peccatum comedere, & bibere uſque ad ſatietatem: quòd neque ſit peccatum comedere, & bibere, ob ſolam voluptatem. Et pro ratione utriuſque partis, aſſignant Authores huius propoſitionis: qu ia licitè poteſt appetitus naturalis frui actibus ſuis.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

44 IN hac propoſitione, optimè notat Pater Cardenas, motiuum intrinſecum illam damnandi, triplex eſſe, ortum ex prædicatis conſtituentibus ipſam propoſitionem. Primum, quia dicit non eſſe peccatum bibere, & comedere uſque ad ſatietatem. Secundum, quia dicit, non eſſe peccatum bibere, & comedere, ob ſolam voluptatem. Tertium, quia dicit, eſſe licitum appetitui naturali frui actibus ſuis. Singulas tres partes iſtius propoſitionis, quæ manent ſub hac damnatione, impugno.

45 Et ante impugnationem adverto, finem quaſi ultimum, ad quem reduci debet actus comedendi, & bibendi, eſſe vitæ ſuſtentationem. Unde delectatio illa comedendi, & bibendi, ut ſit honeſta, & licita, ad vitæ ſuſtentationem ordinari debet, tanquam ad finem, quaſi ultimum. Et ſuſtentatio vitæ inſuper ad Deum ſuper omnia diligendum ordinari debet, ut quandiù homo vivit, Deo ſerviat, ipſumque, ut ſummum bonum diligat. Quare, dum quis edit, & bibit, præfigendo ultimum finem in ſola voluptate, & non in vitæ ſuſtentatione, jam non comederet neceſſarium ad vitæ ſuſtentationẽ, ſed ſuperfluum, quod valetudini nocere poſſet: & ſic ageret contra finem ultimum; quia conſtitueret finem ultimum in ſola voluptate.

46 Quantùm ad primam partem damnatæ propoſitionis; quòd ſcilicet non ſit peccatum comedere, & bibere, uſque ad ſatietatem, ſic arguo. Non excuſatur à peccato, qui peccat peccato gulæ; cùm ſit unum ex ſeptem capitalibus peccatis; ſed qui edit, & bibit, uſq; ad ſatietatem, peccat peccato gulæ; nam peccat hoc peccato, qui immoderatè cibum ſumit, ultra neceſſitatem, requiſitam ad vitæ ſuſtentationem: Ergo non excuſatur à peccato, qui uſque ad ſatietatem comedit, & bibit. Probatur minor, in qua ſtat tota difficultas. Primò ex D. Auguſtino tom. 10. ſerm. 4. in die anim. ubi ait: *Quoties aliquis in cibo, & potu plus accipit, quàm neceſſe eſt, ad minuta peccata pertinere noverit.* Secundò ex D. Greg. lib. 30. mor. cap. 17. *Quinque modis nos vitium gulæ tentat, &c. Aliquando in ipſa quantitate ſumendi menſuram refectionis.* Ex his infert D. Thomas Aquinas: *Gulam eſſe inordinatam concupiſcentiam edendi*. Quibus conſideratis, ſic denuò inſurgo: ſicuti eſt peccatum exceſſus in comedendo, & bibendo; cùm ſit inordinata concupiſcentia, ita peccatum eſt edere, & bibere uſque ad ſatietatem.

47 Quantùm ad ſecundam partem damnatæ propoſitionis; quòd ſcilicet non ſit peccatum edere, & bibere, ob ſolam voluptatem, ſic contra arguo. Quoties quis, ob ſolam voluptatem comedit,

& bibit uſque ad ſatietatem, non comedit, & bibit, finem ultimum, & honeſtum intendendo. Sed non excuſatur à peccato, qui edit, & bibit, non intendendo finem ultimum honeſtum ipſius actus comeſtionis: Ergo à peccato non excuſatur, qui edit, & bibit uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem. Major ſic oſtenditur: quia finis ultimus, cùm ſit ſuſtentatio vitæ, hic non intenderetur, dum quis ederet, & biberet, tam quò ad ſatietatem; quia ſuperfluum cibi, & potus, ut ſupra dictum eſt, videtur eſſe contra vitæ ſuſtentationem, & peccatum gulæ inducit; quàm quò ad ſolam voluptatem; quia hæc pro ultimo fine intenderetur: Ergo in tali ſuperfluitate non intenderetur finis ultimus honeſtus: ſed potiùs ipſa inhoneſta delectatio eſſet finis ultimus. Minor ſic oſtenditur: omnis actus, qui fit ob ſolam voluptatem temporalem, non habet, unde poſſit induere honeſtatem actus; præſertim quia voluptas ipſa eſſet potiùs finis inhoneſtus, tribuens inhoneſtatem actui: Ergo ut actus ſit honeſtus, & excuſatur à peccato, debet voluntas operans intendere ultimum finem honeſtum. Ergo, ut quis excuſetur à peccato in edendo, & bibendo, debet actus illos elicere, non ob ſolam voluptatem, excludentem finem honeſtum, ſcilicet vitæ ſuſtentationem, ſed illos elicere debet, propter vitæ ſuſtentationem. Vbi noto, quod ſi interveniat voluptas in comedendo, & bibendo; & aliunde non eſſet ſuperfluitas cibi, & panis, & hæc voluptas non eſſet finis ultimis, ſed tantùm medium ordinatum ad finem ultimum honeſtum, ſcilicet ad vitæ ſuſtentationem; tunc voluptas ipſa non redderet actum peccaminoſum; nam eſt actus peccaminoſus, quando in ipſa ſola voluptate ſiſtit intentio operantis.

48 Quantùm ad tertiam partem, in qua Authores damnatæ propoſitionis inferunt pro ratione ipſius propoſitionis; quòd ſcilicet licitè poſſit appetitus naturalis actibus ſuis frui, ſic contra ipſam arguo. Quando una particularis propoſitio eſt falſa, non poteſt univerſalis eſſe abſolutè vera: ut ſi eſt falſum, *Petrum eſſe album*, non poteſt eſſe vera, hæc univerſalis: *Omnis homo eſt albus.* Sicuti ex regulis Dialecticæ, veritas unius particularis, non infert veritatem propoſitionis univerſalis; cùm veritas univerſalis à nulla particulari adæquatè dependeat, ſed à veritate omnium, & ſingularum; atque hinc fit, ut ex falſitate propoſitionis particularis poſſit inferri falſitas propoſitionis univerſalis. Sed in caſu illa propoſitio, *eſt licitum bibere, & comedere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem*, eſt particularis, & eſt falſa, ut ſupra oſtenſum, & demonſtratum eſt contra primam, & ſecundam partem damnatæ propoſitionis: Ergo etiam iſta univerſalis debet eſſe falſa, ſcilicet, *licitum eſt appetui naturali frui actibus ſuis*. Ab hac univerſali ſupponebant Authores

damna-

damnatæ propoſitionis inferre veritatem propoſitionis particularis. Nunc directè oſtendo falſitatem hujus univerſalis. Non eſt licitum gaudere de eo, quod in ſe honeſtum non eſt; ſed voluptas non ordinata ad finem honeſtum, in ſe honeſta non eſt, vel ſi expreſsè non eſt inhoneſta; tamen eſt inhoneſta, ſi in ea ponatur ratio ultimi finis: Ergo quoties quis in voluptate ponit rationem ultimi finis, quò fruatur, non licitè operatur, ſed illicitè. Et quamvis poſſit quis licitè uti voluptate ad fruendum ultimo fine honeſto, nequit tamen ipſa voluptate frui licitè. Vt ſi quis uteretur muſica ad Deum amãdum, uſus muſicæ non eſſet illicitus, at ſi illa frueretur, ut fine ultimo, quatenus ipſa muſica ſit finis ultimus, non reducendo voluptatem illam ad Deum, tunc talis fruitio muſicæ eſſet actus peccaminoſus; & quidem, quia voluptatem illam reſpiceret, ut ultimum finem. Quare conſtat, non poſſe licitè appetitum naturalem frui actibus ſuis; aliàs omnibus actibus naturalibus ſenſualitatis, cadentibus ſub naturalem appetitum, poſſet homo licitè frui. Vnde concludendum eſt, omninò ſcandaloſam, erroneam, & temerariam eſſe propoſitionem illam ſupra expreſſam, & in num.8, ab Inn. XI. damnatam.

ARTICVLVS IX.

Exponitur ſenſus nonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Nona damnata Propoſitio *Opus conjugii, ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

49 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd conjuges, quando copulam conjugalem exercent, ob ſolam voluptatem, nullam culpam committant, nec mortalem, nec venialem. Hoc eſt contra Sanctos Patres, & contra evidentem Theologorum doctrinam, ut oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

50 EX ſuperiori articulo conſtat, hanc propoſitionem univerſalem eſſe falſam, quòd ſcilicet licitè poſſit appetitus naturalis frui ſuis actibus: ex cujus propoſitionis univerſalis falſitate, infertur quælibet particularis falſa, ſi ob aliquam circumſtantiam honeſtatis, non reddatur vera. Hoc notato, ſuppono tanquam certum apud omnes Theologos, finem primarium copulæ conjugalis,

eſſe

eſſe generationem prolis ſuſcipiendæ, non pro bono, & commodo conjugum, ſed quatenus ordinetur ad Deum glorificandum: ita ut ſi conjuges ſeſe copulantes intenderent tantùm bonum proprium, & non intenderent Dei glorificationem, à Prole ſuſcipienda, ſaltem intentione virtuali, peccarent conjuges venialiter. Plures verò aſſignantur fines ſecundarii, inter quos enumerantur extinctio libidinis, vitatio fornicationis, voluntas per actum illum carnalem, & ſenſualem, & quidam alii extranei. Suppono inſuper, quòd, qui operatur propter finem extrinſecum, ut primariò intentum, non intendendo de primario finem intrinſecum, in materia honeſtatis actus, non facit actum, omni culpa carentem; cùm ſic operans, ſaltem venialiter peccet. His ſuppoſitis,

51 Nunc directè impugno damnatam propoſitionem. Primò evidenti ratione Theologica. Quod eſt evidenter diſſonum rationi, non caret quacunque culpa, ſaltem veniali: ſed eſt evidenter diſſonum rationi, quòd opus conjugii, ſeu copula habeatur, ob ſolam voluptatem: Ergo opus conjugii, ſeu copula habita inter conjuges, ob ſolam voluptatem, eſt ſaltem veniale peccatum. Probatur minor; nam opus conjugii, ob ſolam voluptatem exercitum, invertit ordinem naturæ, & obſtat fini intrinſeco coniugii; nam finis intrinſecus coniugii, & ordo naturæ expoſcit, ut exerceatur opus coniugii, ſeu copula ad prolem ſuſcipiendam: Ergo quoties ipſa copula exerceatur, ob voluptatem, jam hic finis extrinſecus præferreretur fini intrinſeco, contra naturæ ordinem; quòd eſt evidenter diſſonum rationi. Vltraquamquòd: omnis humana actio, ut careat omni culpa, neceſſe eſt, ut non præfigatur ultimus finis in eo, quod eſt medium: ſed voluptas illa in copula inter coniuges, eſt medium, de ſua natura, ordinatum ad ſuſcipiendam prolem: Ergo quoties actus ille intendat voluptatem pro ultimo fine, & non pro medio, non poteſt, ſaltem culpa veniali carere.

52 Secundò idem oſtendo ex Sanctis Patribus, contra quos iſta damnata Propoſitio militat. Diuus Auguſtinus exponens illa verba Apoſtoli 1. ad Theſſal. 4. dicentis: *Ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere*: ait Sanctus Doctor lib. 1. contra Julian. cap. 7. *Egimus ex Apoſtoli teſtimonio, ut ſciat unuſquiſque ſuum vas, ideſt, ſuam conjugem poſſidere, non in morbo deſiderii, ſicut gentes, quæ ignorāt Deum: quod exponens dixi, non conjugalem, hoc eſt, licitum, honeſtumque concubitum fuiſſe prohibitum: ſed ut operis ejus cauſa ſit voluntas propaginis, non carnis Voluptas: & quod ſine libidine fieri non poteſt, ſic tamen fiat, ut propter libidinem non fiat*. Ubi expreſsè Sanctus Doctor vult, copulam conjugalem fieri non debere propter libidinem, & carnis voluptatem. Et quamquàm dixerit, non poſſe fieri

ſine

Digitized by Google

ſine libidine, aut carnis voluptate, vult tamen, quod non fiat propter ipſam libidinem. Hoc ipſum exprimit D. Gregorius *in cap.Vir cum propria*: de hac materia tractando; ubi ait: *Voluptas ipſa ſine culpa eſſe non poteſt.* Et explicans hoc, ſubdit. *Cùm enim non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges, etiam de commixtione ſua, quod defleant.* D. Anſelmus idem confirmat in cap. 7. Epiſt. 1. ad Corinth. his verbis: *Tunc enim ſolùm conjuges ſine culpa ſunt in admixtione, cùm non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur.* Ex his Patrum doctrinis expreſsè conſtat falſitas damnatæ propoſitionis, qua aſſerebatur, opus conjugii, ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitus carere culpa, ac defectu veniali. Quare meritò hæc propoſitio, ut ſcandaloſa, & temeraria, ac Sanctorum Patrum doctrinis oppoſita, fuit damnata ab Inn. XI.

ARTICVLVS X.

Exponitur ſenſus decimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decima damnata Propoſitio. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.*

53 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis ſupponit, eſſe præceptum diligendi proximum: ſed Authores ipſius volunt, hoc præceptum non obligare ad proximum diligendum, actu interno, & formali; ſcilicet ipſum amando.

Oppugnatio Propoſitionis.

54 ET in primis ſuppono, præceptum diligendi proximum, obligationem inducere; ut expreſsè conſtat ex illo Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & proximum tuum, ſicut teipſum.* Ubi etiam Evangeliſta habet, hæc duo eſſe mandata in Lege; ideſt diligere Deum ſuper omnia; & proximum ſicut ſeipſum. Suppono inſuper, dupliciter poſſe ſumi amorem erga proximum. Primo modo per actum ipſum formalem, & internum dilectionis, oppoſitum odio, quo eum diligimus; & ex cujus actu dilectionis odii actum deponimus. Secundò modo per actum externum, & virtualem, quo ſcilicet proximus in ſua urgenti neceſſitate adiuvatur. Primus actus internus, qui dicitur amor erga proximum, ut ſit verus, & realis actus voluntatis amantis, debet eſſe volitio,

litio,qua voluntas vult bonum proximo. Et hoc bonum,quod velle debemus proximo per actum internum,& formalem,eſt triplicis generis,pro ut cōſideravit Doctor noſter Scotus *in 3.d.30.q.un.§.ſed loquendo*,& D.Thomas 2.2 q.26.Bonum primi generis eſt bonum ſpirituale, ſcilicet gratia, virtutes,& gloria,bonum ſecundi generis:eſt bonum corporale;ut vita, ſanitas corporis,&c. bonum tandem tertii generis, eſt bonum externum; ut fama, divitiæ,&c. Quare,velle iſta bona proximo, eſt actus internus, & formalis amoris.

55 Suppono inſuper, ultra præceptum dilectionis proximi, eſſe quoque nobis impoſitum præceptum de diligendis inimicis, juxta illud Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos*. Et inſuper hoc præceptum exprimitur ibidem, dum Chriſtus Dominus dixerit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*: quæ verba magnam vim faciunt, dum anthoritativè Chriſtus locutus fuit. Hoc erat antiquum præceptū à datum Hæbreis in Levit. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo:non quæras ultionem: nec memor eris injuriæ*. At Chriſtus Dominus majorem vim facit in hujuſmodi præcepto; quia vult, non ſolùm non eſſe odio habendum inimicum;quòd nimirum de eo nemo quærat ultionē,nec ſit memor injuriæ: ſed expreſsè præcipit dilectionem, qui eſt actus poſitiuus amandi, ſupra negationem odii. Exprimit inſuper,ut ſuper eo, non quæratur ultio,& habeatur voluntas benefaciendi inimicis. Tanti penderis eſt in Lege Chriſti præceptum dilectionis inimici, ut non ſolùm per id Chriſtus Dominus præcipit, non eſſe odio habendum inimicum, ſed eſſe actu,tum interno, tum externo diligendum. Circa hoc præceptum non eſt ſermo in præſenti, ſed duntaxat de præcepto diligendi proximum, quod in damnata propoſitione non excluditur: ſed tamen ipſius Authores præſumunt, ad obſervantiam illius non requiri actum internum, & formalem voluntatis, ut præceptum ipſum obſervetur.

56 Vnde contra ipſam damnatam Propoſitionem ſic arguo: Præceptum dilectionis proximi eſt tale,ut non ſolùm per ipſum homo fugere debeat tentationes ad odium, ſed ut procuret proximo omne bonum, quod pro ſeipſo quilibet procurare tenetur; ſed ad fugiendas tentationes ad odium contra proximum, & ad ipſi proximo procurandum omne bonum, neceſſarius eſt actus internus, & formalis dilectionis:Ergo ad obſervantiam hujus præcepti,diligendi proximum, neceſſarius eſt actus internus, & formalis dilectionis. Tentationes nanque ad odium contra proximum,fugantur per poſitiuum actum amoris, quo ipſum proximum amamus: & inſuper dum videmus proximum incidere per perditionis viam, tenemur illi gratiam, peccatorum remiſſionem procurare; ac vitam æternam.

nam. Sic etiam dicendum de efficaci volitione, qua velle debemus bonum corporis, & quodcunque bonum externum ipſi proximo. Adeoque abſque actu interno, & formali dilectionis non adimpleretur præceptum diligendi proximum.

57 Vltraquamquòd hæc damnata Propoſitio immediatè pugnat contra Scripturæ doctrinam. Nam Lucæ 10. habetur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Videamus nunc formam præcepti. Quomodo tu teipſum diligis, eo prorſus modo teneris proximum diligere; ſed teipſum diligis actu formali, & interno, tibi omne bonum procurando: Ergo eodem modo teneris proximum diligere; eique ſcilicet omne bonum procurando. Inſuper ex Jo: 4 habetur: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat, & fratrem ſuum*. Sed actu interno tenemur diligere Deum, qui ſit amor erga Deum. Ergo eodem actu tenemur proximum diligere. Vbi noto, quod ly *Diligas*, expreſſum in ſuperiori præcepto, denotat actum formalem amoris exercendum. Vt ſi dicatur *Fac hoc*, tunc actus faciendi eſſet internus voluntatis. Quare, ſi Deus præcipit, ut proximus diligatur, nequit præcepto ſatisfieri, niſi per actum formalem amoris, qui formalis actus cadit ſub præceptum.

ARTICVLVS XI.

Exponitur ſenſus undecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vndecima damnata Propoſitio. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

58 Senſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd, ut quis ſatisfaciat præcepto diligendi proximum, ſufficiat, ut proximum adjuvet in ſua urgenti neceſſitate; quòd eſt ipſum amare amore externo, ſeu per exercitium actus externi. Verùm falſitas hujus Propoſitionis dependet à falſitate antecedentis propoſitionis, poſitæ in præcedenti articulo. Nam ſuppoſito, quòd ſit falſa iſta propoſitio (ut demonſtratum eſt) quòd, *non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*. Eſt etiam falſa iſta, quòd *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos*. Et ideo utraque propoſitio damnata fuit.

Oppugnatio Propoſitionis.

59 ACtus externi dilectionis proximi, ſunt omnia, quæ in favorem proximi externè exercentur:ut ſi proximus videatur in neceſſitate conſtitutus,& à tali neceſſitate, & indigentia ſublevetur, ſive hæc neceſſitas ſit in bonis animæ; ſive in bonis corporis, ſive in bonis fortunæ. In bonis animæ, quando manens in periculo mortis,petat confeſſionem; tunc ſi confeſſarius eſt, excipiendo confeſſionem illius, exercet actum externum charitatis: vel ſi non eſt confeſſarius, procurat Sacerdotem, ut ipſi moribundo aſſiſtat. In bonis corporis, ſi eſt mutilatus, vel infirmus,ei procurat ſanitatem. Et in bonis fortunæ, ſi manet in victus, vel veſtitus neceſſitate, ei eleemoſynam confert. Vbi ſuppono, quòd hujuſmodi actus externi quandoque proveniunt ab actu interno, & formali voluntatis, quo voluntas efficac.ter vult iſta bona proximo; quæ ſub præceptũ diligendi proximum cadunt. Et quandoque ſunt, abſque tali actu interno, & efficaci voluntate proximum diligendi. Quando ſupponunt actum internum, & efficacem voluntatis; tunc per eos actus ſatisfit præcepto diligendi proximum; ſed non pro ut actus externi ſunt,ſed quatenus,dum illi exercentur, intervenit actus internus, & formalis dilectionis. At quando talem actum internum,& formalem non ſupponunt, non ſatisfit præcepto proximum diligendi.

60 Quod ſic oſtendo, & ſimul impugno damnatam propoſitionem. Tunc actus externi ponunt in nobis obligationem adjuvandi proximum, quando hìc eſt in neceſſitate conſtitutus; ita ut in tali conſtitutus neceſſitate tenemur nos periculo, etiam mortis, exponere ad illum ſublevandum; ut, ſi quis ex proximis eſſet morbo pæſtifero infectus, & indigeat Sacramẽtis,ea adminiſtrare tenemur, etiam cum noſtræ vitæ periculo. Sed præceptum de dilectione proximi, non ſolùm obligat, quando proximus eſt poſitus in extrema neceſſitate; ſed etiam in aliis temporibus, ut quando urgent tentationes ad illum odio habendum; nam dum imminet periculum odii tenemur ad actum oppoſitum odio; qui actus eſt amor formalis, & internus: Ergo præcepto de dilectione proximi non ſatisfit per ſolos actus externos; aliàs hæc obligatio eſſet tantùm urgente neceſſita in proximo. Præceptum nanque de proximo diligendo,obligat ad proximum amandum: ut conſtat ex forma præcepti in ſuperiori articulo expreſſa: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*. Sed teipſum non amas, ſolùm tibi procurando neceſſaria, quando urget neceſſitas; ſed pro quocunque tempore removendo impedimenta ad odium, &c. Ergo etiam teneris hoc amore ſatisfacere præcepto

de

de proximo diligendo. Ac per conſequens per ſolos actus externos nequit ſatisfieri præcepto de proximo diligendo. Et iccircò, ut ſcandaloſa, & Sacræ Scripturæ contraria, utraque propoſitio decima, & undecima damnata fuit.

ARTICVLVS XII.

Exponitur ſenſus duodecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Duodecima damnata Propoſitio. ***Vix in ſecularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.***

61 SEnſus hujus Propoſitionis eſt, quòd Authores ipſius prætendunt excuſare homines ſeculares, etiam Reges à præcepto faciendi eleemoſynam, ex rebus illis, quæ ſuperfluunt ſtatui cujuſcunque perſonæ. Et ideo dicunt, quòd vix reperitur hoc ſuperfluum ſtatui in ſecularibus, etiam ſi ſint Reges, & magni Principes. Quod ut oſtendemus, temerarium eſt, & ſcandaloſum.

Oppugnatio Propoſitionis.

62 SVppono eſſe præceptum obligans quoſcunque ſeculares, dominii capaces, ad eleemoſynam pauperibus elargiendam: quod ex Scripturis, & Patribus clarè deducitur. Primò ex Eccl.4. *Eleemoſynam Pauperis, ne defraudes.* Secundò ex illo Matth. 25. ubi pœnam Chriſtus Dominus fulminat contra negantes eleemoſynam: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*. Tertiò ex Luca 21. *Veruntamen, quod ſupereſt date eleemoſynam.* Quartò D. Nazianzenus in orat. de amor. Pauperum, ait: *Nos mandato divino, atque exemplo ad eleemoſynam excitari*. Quintò, D. Ambroſius de Nabute, &c loquens, dixit: *Debitum reddis, non largiris indebitum; ideoque dicit Scriptura, inclina Pauperi aurem tuam, & reddere debitum tuum*. Quibus doctrinis benè conſideratis, apertiſſimè conſtat, extare præceptum de eleemoſyna facienda; ita ut, ſi quis hanc non faceret, dum urget præceptum de illa elargienda, peccaret mortaliter contra hoc præceptum.

63 Vt cognoſcatur, quando urget tale præceptum adverto, triplicem eſſe neceſſitatem ex parte indigentis, extremam ſcilicet, gravem, & communem. Prima habetur, dum quis manet quaſi in

periculo vitæ, ob indigentiam, ita ut non habeat unde vivere, niſi ei ſubvenitur. Neceſſitas gravis eſt, quando quis habet vix unde vivat; ſed non habet unde ad ſui ſtatus commodè vivat. Neceſſitas tandem communis eſt, quando quis habet unde pro ſuo ſtatu vivat, ſed moleſtiam patitur in vivendo, tam quò ad neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, quàm quò ad ſtatum. Hæc ultima neceſſitas reperitur in iis, qui oſtiatim eleemoſynam petunt, pro vitæ, & ſtatus ſuſtentatione. Hoc notato inſuper adverto, ex parte divitis oriri obligationem, indigentibus ſubvenire, & præſertim extremè indigenti, quando ſcilicet hic non habeat unde vivere. Solùm in aliquibus caſibus excuſatur quis ab obligatione hujus præcepti: ut ſi non habet, unde poſſit eleemoſynam facere; ad impoſſibile nanque nemo tenetur: vel ſi quis habet, ſed ignorat proximi neceſſitatem; ignorantia nanque excuſat ab obligatione hujus præcepti: vel ſi certò cognoſcit proximi neceſſitatem, & aliunde ſcit, hunc ab alio in ſua ſubveniri neceſſitate: vel tandem quando quis, alteri ſubveniendo, prudenter judicat caſurus in eandem neceſſitatem. His caſibus exceptis, ſemper quis obligatus eſt ad eleemoſynam faciendam. Quæ obligatio ex duplici capite indiviſivè oritur, nimirum ex neceſſitate indigentis, & ex habentis facultate. Dixi (indiviſivè) quia ſi ex parte unius ſtaret neceſſitas, & ex parte alterius non ſtaret facultas, tunc præceptum non obligaret. Vel ſi ex parte unius ſtaret facultas, & ex parte alterius non ſtaret indigentia, neque tunc obligaret præceptum.

64 Quantùm nunc ſpectat ad damnatam propoſitionem, qua Authores ipſius prætendebant auferre obligationem à divitibus faciendi eleemoſynam; quia vix in iis reperitur ſuperfluum ſtatui, ſic contra illam propoſitionem inſurgo. Quando urget præceptum de eleemoſyna facienda, præſertim quādo quis poſitus eſt in extrema neceſſitate, quodcunque, citra detrimentum vitæ, & ſtatus divitis, eſt ſuperfluum ipſi diviti. Sed de hoc ſuperfluo ſubveniri debet extremè indigenti: Ergo dum tenetur quis ex ſuperfluo ſui ſtatus ſubvenire Pauperibus, jam reperitur id, quod ſuperfluum eſt. Vbi videtur, quòd Authores iſti, excuſando divites à non habendo ſuperflua ſtatui, præſumunt deſtruere præceptum de facienda eleemoſyna ex ſuperfluo. Quod evidenter conſtat, eſſe contra illud Lucæ de Epulone damnato, quia negabat Lazaro mendico de micis, quæ cadebant de menſa divitis. Vnde D. Baſilius *conc. de epul.* dixit: *Divitem illum non cogitaſſe de ſuperfluo pauperibus erogando; nullamque præcepti divini habuiſſe rationem.*

65 Probatur nunc evidentiſſimè falſitas aſſerti in propoſitione illa, quod ſcilicet vix ſit ſuperfluum ſtatui. Vel vix eſt ſuper-

ſuperfluum ſtatui, quia licet inaniter expendere facultates: vel quia quodcunque, quod expenditur, & habet dives, eſt intra limites ſtatus ſui honorifici. At utrumque eſt falſum, & auribus piorum diſſonum: Ergo cuicunque ſtatui ſuperfluum habetur. Si itaque quod expenditur in inanes uſus, non eſſet ſuperfluum ſtatui, jam hujuſmodi expenſæ quandoque licitæ forent; & ſic, ſi quis expenderet, vel in libidinibus exercendis, in ludis, &c. hujuſmodi expenſæ licitæ forent, quod non eſt dicendum. Audiant Authores hujus damnatæ propoſitionis D. Chriſoſtomum, dicentem: *Non ad hoc accepiſti, ut in delicias aſſumeres, ſed ut in eleemoſynam erogares.* Audiant tandem, præ aliis Doctoribus, & Theologis D. Auguſtinum dicentem: *Domini pauperes clamant, noſtrum eſt, quod effunditur: nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditur.* Ecce quomodo jam reperitur ſtatui cujuſcunque perſonæ, ſuperfluum; de quo Sancti Patres volunt, ex Chriſti Domini præcepto, eleemoſynam indigentibus eſſe faciendam. Ac per conſequens, quando urget præceptum de facienda eleemoſyna ex ſuperfluo ſtatui, ſupponi debet, quòd detur hoc ſuperfluum ſtatui.

ARTICVLVS XIII.

Exponitur ſenſus tertiædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Tertiadecima damnata Propoſitio. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam ineſſicaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

66 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ſit licitum, & non imputabile ad peccatum, ob aliquod temporale emolumentum, quod alicui evenire poteſt, triſtari (& quidem moderatè) de vita alicujus, & de illius morte naturali gaudere: & inſuper illam poteſt quis ineſſicaciter petere, & deſiderare. Sit caſus pro claritate: ſciat Titius, quòd poſt mortem Caii, ei obvenerit magna hæreditas, putant Authores hujus propoſitionis, quòd poſſit Titius, abſque peccato, affectu ineſſicaci petere, & deſiderare mortem Caii: & inſuper de vita Caii triſtari, & de eius morte gaudere; & hoc, ob emolumentum, quod ei obveneret.

Oppu-

Digitized by Google

Oppugnatio huius Propoſitionis.

67 SVppono, amorem circa aliquod objectum, alium eſſe efficacem, & effectiuum; alium inefficacem, & tantùm affectiuum. Primus amor eſt, qui in re ponit effectum ab amore dependentem, tanquam à cauſa; vel omnia adhibet media, ut effectus ille ſortiatur: vel tollit omnia impedimenta, quæ effectum retardare poſſent. Vt ſi ego efficaciter amarem gloriam Dei (ut illam amare teneor), debeo omnia media ſumere, ad effectum talis amoris efficacis, & effectivi conſequendum: vel debeo tollere omnia impedimenta, quæ hunc effectum, qui eſt gloriæ conſecutio, retardare, & impedire poſſent. Secundus eſt amor inefficax, & purè affectiuus, qui nec ponit, nec ponere intendit effectum in re; quia nec adhibentur media pro effectus conſecutione; nec impedimenta, effectum retardantia, removentur. Vt ſi quis vellet gloriam Dei, ſed nec pœnitentiam aſſumit, quæ eſt unum ex mediis ad illam conſequendam: nec impedit peccata, & occaſiones peccandi, illam impedientes.

68 Hoc ſuppoſito, damnata Propoſitio non loquitur de deſiderio, & volitione efficaci; triſtitia; efficaci gaudio &c. nam tunc majus, & evidentius abſurdum eſſet, ſi Authores propoſitionis id affirmaſſent; cùm de fide ſit, occiſionem proximi, ob quodcunque temporale emolumentum, eſſe lethale peccatum; & quidem occiſio prohibita eſt omni Jure, & expreſsè in Decalogi præceptis: *Non occides*. In caſu per volitionem, deſiderium, & gaudium efficax, & effectiuum, procuraretur mors illius, à qua obveniret temporale emolumentum ei, qui talem mortem deſideraret. De amore inefficaci, & tantùm affectivo loquuntur Authores propoſitionis. Et in hac locutione propoſitio etiam falſa eſt, & temeraria.

69 Quod ſic oſtendo. Non eſt licitum, etiam inefficaciter deſiderare mortem alicujus, & de illius triſtari, ob temporale emoluntum. Ergo nemo poteſt, abſque peccato mortali, de vita alicujus triſtari, & de illius naturali morte gaudere, ob emulumentum temporale. Antecedens ſic probatur; non eſt licitum, poſtponere bonum ſuperioris ordinis, etiam per deſiderium inefficax, bono inferioris ordinis: neque licitum eſt deſiderare, etiam efficaciter, temporale emolumentum, quod eſt levioris momenti, illudque anteponere vita proximi; & præſertim quia finis talis deſiderii eſſet ipſum temporale emolumentum. Et inſuper propter commodum proprium deſideraretur malum alteri. Ergo ſemper eſt illicitum hujuſmodi inefficax deſiderium, ſpecificatum à fine levioris momenti. Quare concludo, quod in omni caſu, in quo quis ſperare poteſt emolu-

emolumẽtum,vel commodum aliquod temporale, ex morte alicujus,nequit propter tale emolumentum,licitè, & abſque peccato,de illius morte gaudere, & vita ipſius triſtari; neque petere,neque deſiderare poteſt mortem illius. Vnde fit, quòd ſi vita alicuius eſſet faſtidii, & incommodi alterius,hic non poſſet,abſque peccato mortali, triſtari de vita illius, & de eius morte gaudere; propter rationem ſupra aſſignatam, quia emolumentum illud eſt levioris momenti comparativè ad proximi vitam.

ARTICVLVS XIV.

Exponitur ſenſus quartædecimæ Propoſitionis,& ejus falſitas demonſtratur.

Quartadecima damnata Propoſitio. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris,non quidem,ut malum Patris,ſed ut bonum cupientis; quia, nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.*

70 Senſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, licitum eſſe deſiderare mortem Patris, & quidem deſiderio abſoluto; at non pro ut eſt malum Patris, ſed pro ut illa mors ſit bonum cupientis; quatenus per mortem Patris ipſe filius in paternam ſuccedit hæreditatem.

Oppugnatio bujus Propoſitionis.

Quarto Decalogi præcepto filii tenentur honorare parentes: & quidem ad talem præſtandum honorem inclinantur virtute Pietatis. Vnde majori conatu videtur exhibendus honor Parentibus, quàm cuicunque alteri ex noſtris proximis. Hoc breviter notato.

71 Nunc impugno damnatam propoſitionem. Deſiderium abſolutum, quo quis vult mortem alicui, eſt tale, ut independenter à quacunque circumſtantia, & conditione, terminetur ad objectum abſolutè volitum. Hoc præmiſſo arguo ſic:ſi filius deſiderio abſoluto poſſet mortem Patris deſiderare, abſolutè vellet ſecuturam mortem Patris.Sed illicitum eſt filio,abſolutè velle ſecuturam mortem Patris, ut bonum ipſi filio; etiamſi non deſideraretur, ut malum Patris: Ergo non eſt licitum filio mortem Patris abſoluto deſiderio cupere. Minor argumenti probatur: nam eſt contra omnem rationem, imò contra Pietatem, deſiderare abſoluto deſiderio ſecuturam mortem Patris, propter commodum temporale filii; præſertim, quando ipſe filius certus ſit, quòd ad mortem Patris, ei paterna

terna hæreditas obvenerit. Quare ſicuti contra præceptum Decalogi eſt non honorare Parentes, ita deſiderare mortem Patris, deſiderio abſoluto, eſt contra hoc præceptum: quia tale deſiderium eſt in dedecus Patris: & in filio oriretur actus impietatis eradicati in tali abſoluto deſiderio, quo mors Patris deſideraretur, ut bonum ipſi filio. Ille nanque actus eſt impius, qui directè militat contra virtutem Pietatis. At tale deſiderium, quo filius haberet, ut Pater moreretur, directè militat contra virtutem Pietatis; quæ habet inclinare ad honorem Patri præſtandum, eique bonum deſiderandum: Ergo impium eſſet filii deſiderium, ſi mortem Patris cuperet, ut bonum cupientis, eſtò illam non deſideraret, ut malum Patris.

Non ergo eſt impium deſiderium illud filii, quaſi quòd ſe extendat ad procurandam Patris mortem, propter ſuum commodum; vel ad præcisè volendum malum ipſi: ſed impium eſt tale deſiderium, ex hoc, quod filius plus æſtimaret commodum temporalè ſuum, quàm vitam Patris: magis æſtimaret bona temporalia, quàm vitam Patris. Si hoc in aliis eſt rationi diſſonum, proximi mortem deſiderare, ut bonum cupientis, quantò magis rationi diſſonum videtur, ſi filius ob temporale emolumentum, Patris mortem cuperet? Ex hac impietate, & rationis diſſonantia, zelo timoris Dei, & Spiritu Sancto dictante, motus fuit Innoc. XI. ad hanc theſim damnandam, ut ſcandaloſam, & temerariam.

ARTICULUS XV.

Exponitur ſenſus quintædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quintadecima damnata Propoſitio. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis, à ſe in ebrietate perpatrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.*

72 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd, dum filius in actu ebrietatis occiderit Patrem, poſſet licitè, elapſa ebrietate, gaudere de perpatrato Parricidio, eo quia ex tali ſecuto Parricidio ipſe filius conſecutus eſt ingentes divitias ex paterna hæreditate. Supponunt in hac propoſitione Authores ipſius, quòd gaudium, propter commodum temporale, excuſet filium à peccato; quia non gauderet de morte data Patri in actu ebrietatis, ut malum Patris; ſed ut commodum ipſius.

Oppn-

Oppugnatio Propoſitionis.

73 INdubitatum eſt apud omnes Doctores, quòd ſi quis in ebrietate alium occideret, dando cauſam ebrietati; & inſuper prævidẽdo futurum damnum, infallibiliter ex tali ebrietate ſecuturum, mortaliter peccat, & homicida cenſetur: nam, etſi non ſit formaliter liber, dum actu occidit, tamen fuit liber ad ponendam cauſam, ex qua infallibiliter ſecuturus eſſet effectus, & quidem prævifus: & hoc præſertim valet, ſi dederit cauſam ebrietati, ut homicidium ſequeretur. Puto, Authores hujus damnatæ propoſitionis, non in hoc ſenſu eam accepiſſe, quòd filius occaſionem dederit ſuæ ebrietati, ut ex ea Patrem occideret; quia tunc impiè ageret, & de Parricidio imputaretur; cùm cauſam dederit ebrietati, ad effectum committendi Parricidium. Ab hoc ſenſu præſcindit propoſitio, & ſolùm ponit tanquam licitum gaudium filii de Parricidio Patris in tali ebrietate, ab ipſo filio perpatrato, ob finem acquiſitarum divitiarum. Et hæc propoſitio eſt in hoc numero damnata.

74 Contra quam propoſitionem ſic argumentor. Senſus iſtius propoſitionis facit gaudium, quod eſt actus voluntatis, licitum, pro ut ad mortem Patris terminatur: & inſuper facit idem gaudium licitum, propter commodum divitiarum acquiſitarum. Sed utrumq; ſcandaloſum, & impium eſt: Ergo non eſt licitum gaudere de Parricidio Patris, à ſe in ebrietate perpatrato, propter divitias, ex hæreditate conſecutas. Probatur minor, quò ad utramque partem. Primò quò ad primam: nam gaudium de Parricidio perpatrato, eſtò in ebrietate, eſſet terminatum ad mortem Patris immediatè, ſecutam ex ejus ebrietate: imò poſſet dici, quòd tunc filius gauderet de malo à ſe commiſſo, quod iniquum eſt. Secundò probo ſecundam partem illius minoris: eſt omninò illicitum amare plus divitias temporales, quàm vitam Patris; cùm vita cujuſcunque prævalere debeat temporali commodo: Ergo eſtò formaliter, & immediatè gaudium filii non terminetur ad calamitatem Patris, ſed immediatè ad divitias à filio ex hæreditate conſecutas, tamen peccatum læthale eſt, plus divitias amare, quàm vitam Patris.

Iſtæ tres propoſitiones, ſcilicet tertiadecima, quartadecima, & quintadecima fundatæ ſunt in eodem principio, quo Authores ipſarum præſumunt, commodum ſcilicet proprium temporale, præferendum eſſe vitæ proximi. At quia hoc eſt rationi diſſonum, & omninò impium, ideo Sanctiſſimus Pontifex Innocentius, ut ſcandaloſas eas, hoc decreto, damnavit.

ARTICULUS XVI.

Exponitur ſenſus decimæſextæ Propoſitionis , & ejus falſitas demonſtratur.

Sextadecima damnata Propoſitio . *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe .*

75 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt , præceptum fidei non obligare ratione ſui, & per ſe, ſed tantùm obligare, ratione aliarum virtutum , quæ ab ipſa fide diriguntur . Quare Authores ipſius non negant abſolutè hoc fidei præceptum , ſed ſolùm dicunt, quòd virtus fidei non cadat ſub ſpeciale præceptum , & ſecundùm ſe .

Oppugnatio Propoſitionis.

76 INdubitatum eſt apud omnes Doctores , dari præcepta virtutum Theologicarum, ſcilicet Fidei , Spei , & Charitatis; & in hoc opere , quamdam brevem tradidimus notitiã in initio primi tractatus art. I. contra primam damnatam propoſitionem ab Alex.VII. Quod etiam conſtat expreſsè de Fidei præcepto , ex ſacris literis . Primò ex Jo: 3. *Hoc eſt mandatum ejus , ut credamus in nomine Filii ejus* . Secundò ex Matth. ultimò : *Qui non crediderit condemnabitur* . Tertiò ex Apoſt. ad Heb. 10. *Juſtus ex fide vivit, quod ſi ſubtraxerit ſe non placebit animæ meæ* . Ex quibus locis ſcripturæ, ſicut etiã ex aliis,deducitur, adeſſe præceptum Fidei Theologicæ. Equidem hoc Fidei præceptum eſt rigoroſum,obligans ſub reatu pœnæ æternæ : ut conſtat ex loco relato Matthæi.

77 Hoc autem præceptum , juxta omnium Theologorum ſenſum, aliud eſt negatiuum, & eſt tale , ut dogmatibus erroneis, divinæ veritati contrariis, non præſtemus aſſenſum; & hoc habet obligare ſemper, & pro ſemper ; cùm in nullo caſu intellectus , debeat aſſentiri propoſitionibus fidei divinæ,ac catholicæ veritati contrariis . Aliud eſt affirmatiuum , & eſt tale , ut omnia , quæ ſunt à Deo revelata , & ab Eccleſia propoſita , credamus . Quibus ſuppoſitis, & notatis,

78 Aſſumo impugnandam damnatam propoſitionem . Vel præceptum Fidei eſt negatiuum, vel poſitiuum. Sed ſive ſit poſitiuum, ſive negatiuum habet per ſe, & ratione ſui obligare; & non tantùm ratione aliarum virtutum, quæ ab ipſa diriguntur : Ergo hoc præ-

ceptum

ceptum fidei per ſe, & ratione ſui obligat: & conſequenter fides cadit ſub ſpeciale præceptum. Probatur minor: ſi hoc præceptum ſumatur, pro ut poſitiuum eſt, per illud credere debemus ea omnia, quæ ſunt à Deo revelata, & ab Eccleſia propoſita, independenter à quocunque præcepto aliarum virtutum; nam nullo altero urgente præcepto aliarum virtutum, ſi quis de fide catholica, vel de fidei articulis interrogetur, tunc teneretur fidem ipſam profiteri, veritatem ejus explanare, & actum internum circa fidem elicere. Sed tunc urget præceptum fidei per ſe, & ſecundùm ſe, nullo habito reſpectu ad alias virtutes: Ergo ſumpto præcepto fidei, ſecundùm quod poſitiuũ, & affirmatiuũ eſt, habet obligare ſecundùm ſe, & per ſe, independenter à præceptis aliarum virtutum. Si verò fidei præceptum eſt negatiuum; tunc à fortiori, independenter ab aliarum virtutum præceptis, habet obligare. Quod ſic oſtendo: dum proponuntur intellectui noſtro falſa dogmata, & quicunque errores contra fidem, & catholicam veritatem, à Deo revelatam, & ab Eccleſia propoſitam, tunc tenemur illis falſis dogmatibus poſitivè diſſentiri: ſed hic poſitiuus diſſenſus oritur immediatè, & directè à præcepto fidei, per ſe obligante ad diſſentiendum, independenter à quocunque aliarum virtutum præcepto: Ergo præceptum fidei, in eo, quod negatiuum eſt, obligat per ſe independenter à præceptis aliarum virtutum.

Hanc propoſitionem damnavit Innoc.XI. ut cohærentem primæ propoſitioni damnatæ ab Alex.VII. Quare, ſicut ibi diximus, meritò, ut ſcandaloſam fuiſſe damnatam illam, ita pari ratione, ut ſcandaloſam fuiſſe damnatam hanc.

79 Addo tamen pro majori efficacia impugnationis. Quando per ſe hoc præceptum non obligaret, non poſſent aſſignari rationes probantes, peccata aliqua eſſe per ſe peccata infidelitatis. Peccatum eſt tale, quia contra virtutem, & contra præceptum, ex tali virtute obligans: Ergo tunc peccatum dicitur infidelitatis, quando directè militat contra virtutem, & præceptum fidei. Sed dato per Authores damnatæ propoſitionis, quòd hoc præceptum fidei per ſe non obligaret, non poſſet dari peccatum per ſe infidelitatis: ſubindeque, in hac opinione hæreſes non eſſent peccata infidelitatis: Ergo ſignum eſt, quòd fides per ſe obligat. Eò vel maximè: quodlibet peccatum ſpecificatur à vitio, oppoſito illi virtuti, & præcepto per ſe obliganti: unde fornicatio eſt talis à vitio impudicitiæ contra præceptum, & virtutem caſtitatis: Ergo quoties non per ſe obligaret fidei præceptum, nullum peccatum dici poſſet per ſe hæreſis; cui tali præcepto non pugnaret per ſe infidelitas, ſed ratione aliarum virtutem. Hoc enim in Eccleſia Dei eſt maximum inconveniens, &

piis auribus Theologorum diſſonum: Ergo dicendum eſt, hoc fidei præceptum per ſe obligare, & non ſolùm quando ceteræ virtutes obligant.

ARTICVLVS XVII.

Exponitur ſenſus decimæſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decimaſeptima damnata Propoſitio. *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.*

80 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd putant eius Authores, nos teneri ſemel in vita elicere actum fidei ad ſatisfaciendum præcepto obliganti ad elicitionem talis actus. Ubi ſupponunt Authores iſtius propoſitionis, quòd, ſive ex vi præcepti fidei per ſe obligantis, ſive ex vi aliorum præceptorum, quæ à fide diriguntur, ſolùm tenemur ſemel in vita actum fidei elicere. Quæ opinio valdè temeraria, & ſcandaloſa eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

81 CErtiſſimum eſt ex ſuperiori doctrina tradita in præcedenti articulo, & in primo contra damnatas Propoſitiones ab Alex. VII. adeſſe præceptum fidei, per ſe obligans ad eius obſervantiam: quod ſi eſt negatiuum, obligans ad non credendum falſis, & erroneis propoſitionibus, obligat ſemper, & pro ſemper; quia nunquam debemus conſenſum præbere propoſitionibus, quæ ſunt contra veritatem à Deo revelatam, & ab Eccleſia propoſitam. At ſi eſt poſitiuum, tenemur eius obligationi ſatiſfacere in tribus caſibus ſpecialibus(ut optimè notat Pater Maſtrius). Primus caſus eſt, quando proponuntur myſteria fidei credenda: unde pueri tenentur ſtatim, ac perveniunt ad uſum rationis credere, noſtram fidem veram eſſe. Secundus caſus eſt, quando quis tenetur externè fidem fateri; ut ſi quis, ſive juridicè, ſive extra judicialiter de fidei myſteriis interrogetur, tunc tenetur fidem exterius confiteri; quæ externa confeſſio ſupponere debet actum internum elicitionis fidei. Tertius caſus eſt, quando quis tenetur exercere actum aliquem virtutis, qui ſine fide exerceri non poteſt: ut ſi teneremur confiteri, eliciendo actum pœnitentiæ, credere deberemus, pœnitentiæ Sacramentum eſſe peccati remiſſiuum, & quòd per ipſum Sacramentum Deus peccata remittit. Sic quoque diſcurrendum eſt de elicitione actus cujuſcunque virtutis. In his caſibus præceptum fidei per ſe

obligat:

obligat: eſtque quaſi lucerna lucens, ne fideles viam aberrent veritatis. Quod conſtat ex illo Lucæ 12. *Sint lumbi veſtri præcinti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*; & Apoſt. ad Corin. 1. cap. 16. ait: *Vigilate, ſtate in fide*: Quaſi dicat, fidem eſſe omnium virtutum fundamentum, & regulam. His notatis,

82 Nunc contra damnatam Propoſitionem inſurgo. Primò falſitas ipſius oſtenditur, ſi ſenſus ejus ſit, quòd ſufficiat elicere actum fidei ſemel in vita, etiam dum obligant præcepta aliarum virtutum: ſic. Si ſemel in vita ſufficeret elicere actum fidei in hoc ſenſu, ſequeretur, quòd quis quoties ex virtute Religionis moveretur ad exercendum Sacramentum pœnitentiæ, non teneretur tunc credere, Sacramentum pœnitentiæ eſſe peccatorum remiſſiuum, & quòd Deus virtute ipſius peccata dimittat. Sed hoc eſt abſurdum, imò contra Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 3. & alibi: Ergo non tantùm ſemel in vita, ſed frequenter præceptum fidei obligat, dum præcepta aliarum virtutum obligant. Major hujus argumenti probatur (ultra regulas connexionis præceptorum ad invicem, quæ talis eſt, ut quando unum obligat per ſe, aliud ſaltem per accidens obligat): ſic nunc probatur: quando per ſe obligat Sacramentum pœnitentiæ, obligat ut adimpleatur, juxta Eccleſiæ, & Chriſti inſtitutionem. Chriſtus Dominus, & per ipſum Eccleſia, inſtituit, quòd hoc Sacramentum ſit peccati remiſſiuum, & quòd Deus per actus pœnitentis remittit peccata: Ergo pœnitens in ſuſceptione hujus Sacramenti totum hoc credere tenetur: aliàs Sacramentum ſuſciperetur, abſque eo, quod quis ſciret, ad quid hoc Sacramentum inſerviret. Si hoc aſſereretur in hac propoſitione ab ejus Authoribus, valdè temeraria eſſet, rationi diſſona, & hæretica; imò magis imputabilis ad notam temeritatis, quàm illa prima ab Alex. VII. damnata.

83 Secundò falſitas ipſius oſtenditur, etiamſi Authores putent, ex vi præcepti fidei obligari duntaxat ſemel in vita ad actum fidei eliciendum: nam præceptum fidei, ſi ſumatur, ut negatiuum, ſemper, ac intellectus tentetur ad aſſentiendum falſis doctrinis cōtra fidem catholicam; & contra veritatem revelatam, & ab Eccleſia propoſitam, tenetur fidelis falſis illis doctrinis diſſentiri: qui diſſenſus eſt actus, à fideli elicitus, ex præcepto fidei: & hoc præceptum ad diſſentiendum falſis doctrinis, cùm ſit præceptum negatiuum, obligat ſemper, ac pro ſemper urgent tentationes. Si verò præceptum fidei ſumatur, ut poſitiuum, & affirmatiuum, quatenus dicit elicitionem actus credendi myſteriis revelatis, hic actus frequenter, ex vi ſolius præcepti fidei, elici debet. Quando autem hoc præceptum per ſe obligat, non eſt determinatum tempus apud Theologos. At, ut rectiùs in hac re procedatur, dico ſemper obligare in illis prioribus

caſibus,

caſibus, num 81. relatis: ac inſuper ſemper, ac quis animam ſuam ſpiritualibus actibus nutrire tenetur: & tandem (non recedendo à Doctrina Scoti) in quolibet die feſtivo, divino cultui dicato: nam ſicut primo præcepto Decalogi, homo obligatus eſt ad Deum amādum, ſic ſemper, ac urget hoc præceptum; & præſertim urget in diebus feſtivis, etiam in his diebus urget præceptum fidei: quia; *Accedentem ad Deum oportet credere, quòd ſit*; ut ait Apoſt. *ad Hebr.* 11.

Ex his infero, propoſitionem illam ex utroque capite eſſe damnatam, ſive ſi aſſerat, nos teneri ſemel in vita elicere actum fidei, pro ut hoc præceptum obligat, quando obligant præcepta aliarum virtutum: ſive aſſerat, nos tantùm ad hoc teneri, vi ſolius præcepti fidei. Cetera, ad hunc articulum ſpectantia, videnda ſunt tractata in præcedenti art. & in primo primi tractatus.

ARTICVLVS XVIII.

Exponitur ſenſus decimæoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decimaoctava damnata Propoſitio. *Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.*

84 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd quando quis à publica poteſtate interrogatur de fide catholica, ut fidem catholicam ingenuè confiteatur, si tunc interrogatus taceat, non peccat. V. G. ſit Petrus à Tyranno interrogatus de confeſſione fidei catholicæ; quia Petrus tenetur illam confiteri, ut det gloriam Deo, & fidei; ſi illam tunc Petrus non vult confiteri, poteſt licitè tacere: & per hanc taciturnitatem, putant Authores propoſitionis, quòd Petrus non faceret actionem illicitam, & peccaminoſum. At hoc eſt ſcandaloſum, & temerè aſſertum, ut in ejus impugnatione oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

85 TAnquam certum ſuppono cum omnibus Theologis, in nullo caſu licitum eſſe, negare expreſsè fidem catholicam, quando fidelis à publica poteſtate, à Judice, vel à Rege Tyranno de ea interrogetur, etiamsi minis eſſet ei comminata mors; cùm teneamur fidem, nedum actu interno, ſed etiam externo confiteri, poſito quocunque mortis periculo: nam ad mortem vitandam non eſt

eſt licitum peccare, præſertim peccato infidelitatis , quo, in caſu, peccaret fidelis, de fide interrogatus,si illam negaret.Hoc expreſsè deducitur ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. Primò ex illo Matth. 10. *Qui me negaverit coram hominibus , negabo ego , & eum coram Patre meo*. Secundò Apoſt. 2. ad Tim. 12. *Si negaverimus eum , & ipſe negabit nos.* Tertiò,idem Apoſt. ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam,ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Hoc eſt ita certum apud Theologos, ut ſit ab Eccleſia determinatum tanquam dogma fidei ſub Sancto Cornelio Papa, fidem ſcilicet catholicam non eſſe externè negandam, etiamsi periculum vitæ immineret. Unde fit, neceſſariam eſſe fideli externam fidei confeſſionem; præſertim, quando hæc tendit ad Dei honorem, & proximi utilitatem: quod eveniret, si quis eſſet à Tyranno interrogatus circa fidem , tunc tenetur fidelis illam expreſsè confiteri ; quia tunc iſta confeſſio eſſet in honorem Dei,& proximi utilitatem.

86 Suppoſito itaque, nunquam eſſe licitum fidem catholicam negare, ſed teneri illam expreſsè confiteri,nunc ad hanc damnatam propoſitionem impugnandam , adverto , dari poſſe fidei negationem tacitam , per signa ſcilicet exteriora , quæ negationi æquivaleant : ut si Tyrannus oſtenderet fideli idòlum aliquod adorandum,& fidelis, tacendo, idòlum ipſum non ſperneret , tunc fidem tacitè negaret:& multò magis fidem negaret,si idòlum illud adoraret. Hic nanque actus redundat in Dei injuriam, & ſcandalum fidelium: & hoc modo tacendo, fidem negaret, & propter Dei injuriam, & propter fidelium ſcandalum. Vel si à Tyranno interrogetur,& ipſe non reſponderet, ſed quædam signa oſtenderet æquivalentia negationi fidei, ex quibus etiam fieret Deo injuria,& ſcandalum eſſet fidelibus; tunc taciturnitas ipſa eſſet negatio fidei.

87 Quibus admiſſis, ut certis apud omnes , & principaliores Theologos, nunc impugno damnatam propoſitionem.In nullo caſu eſt licitum fidem negare,neque expreſſa,neque tacita negatione, & per ſigna negationi æquivalentia. Sed, ſi poſſet quis tacere, abſque ullo peccato, dum à publica authoritate eſt interrogatus de fidei profeſſione, poſſet licitè fidem negare, ſaltem per ſigna æquivalentia negationi : Ergo non eſt licitum tacere , quando quis de fidei profeſſione eſt ab authoritate publica interrogatus.Major eſt indubitata apud omnes Theologos ; & patet ex authoritatibus ſupra adductis num. 85., & ex 1. Conc. Romano ſub cit.Cornelio Papa. Probatur minor: nam tacere, dum eſt de fide interrogatus à publica poteſtate, à Judice V.G. vel à Rege, quando tenetur fidem confiteri, idem eſſet , ac ſi fidem abſolutè negaret: quia quando quis non facit,quod facere tenetur, omittendo, facit actum contrarium

ſuæ

ſuæ obligationi. Sed dum fidelis à Judice, vel Rege eſt interrogatus de fidei confeſſione, & ipſe tacet, tacendo, non confitetur expreſsè fidem, quam confiteri tenetur: ut conſtat ex ſuperiori authoritate Apoſt. ad Rom. *Ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Et inſuper ex Matt. 10. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.* Ergo tunc fidelis tacendo, fidem negaret, ſaltem per ſigna æquivalentia negationi.

88 Ultraquamquòd, ſi licitè poſſet tacere, dum confiteri tenetur fidem catholicam, poſſet licitè Deum injuriare, & proximum damnificare: nam ex tali taciturnitate poſſent fideles dubitare de veritate noſtræ fidei; & ſic ab illa ſe alienare, cum magno animarum detrimento, & Dei dedecore. Et hoc magis urget, & ſcandalum majus affert, ſi interrogatus, ſit Prælatus, vel Theologus, & Vir magnæ authoritatis in Eccleſia catholica, à cuius firmitate in fide, pendet tota fidelium ſtabilitas. Unde ſi Prælatus eſſet à Tyranno interrogatus, debet potiùs mori, quàm tacere, & expreſsè fidem ipſam confiteri: ut conſtat ex illo Joan. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Ex quibus infero, quòd, cùm ex taciturnitate præſtita à fideli coram publica poteſtate, oriri poſſit ſcandalum fidelibus, & injuria Deo, ſive per tacitam negationem, quæ ſupponitur in eo, qui tacet coram Judice interrogante; ſive oſtendendo ſigna æquivalentia negationi, ut timorem mortis, &c. Quapropter contra aliquos Theologos damnata fuit illa propoſitio, ut ſcandaloſa, & temeraria, quia ponit licitum tacere, dum quis de fide interrogetus ſit à publica poteſtate.

Quid autem erit dicendum, ſi quis de profeſſione fidei interrogatur à privata perſona, & taceat, non eſt expreſsè in hoc Innocentii decreto damnatum. At eodem modo puto, eſſe illicitum tacere, ſi tacendo dederit ſigna æquivalentia negationi; vel per talem taciturnitatem injuria fieret Deo, & ſcandalum fidelibus eveniret.

ARTICVLVS XIX.

Exponitur ſenſus decimænonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decimanona damnata Propoſitio. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.*

89 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, negare, quòd voluntas poſſit efficere, quòd aſſenſus fidei ſit magis firmus, & magis

magis certus,certitudine, quam pondus rationum impellentium ad aſſenſum mereatur . Vnde ſupponunt Authores iſtius propoſitionis,quòd fidei aſſenſus habeat in ſe certitudinem,ſed ſolùm negant, poſſe voluntatem reddere ipſum aſſenſum magis firmum , & certum. Si nanque ſupponerent, quòd aſſenſus fidei in ſeipſo non eſſet certus,& firmus,tunc propoſitio non ſolũ huic damnationi ſubjaceret,ſed etiam eſſet hæretica;cùm hæreſis ſit,aſſerere,aſſenſum fidei non habere omnimodam firmitatem, & certitudinem.

Oppugnatio Propoſitionis.

90 SVppoſito,in communi ſenſu Theologorum,quòd aſſenſus fidei habeat ſuam firmitatem, & certitudinem ; nunc oſtendo ex pluribus capitibus,voluntatem poſſe efficere,ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus , quàm eſſe poſſit ex rationibus moventibus intellectum ad talem aſſenſum . Primò ex inconvenientibus , quæ ſequerentur ex oppoſita ſententia: ſequeretur primò, quòd non eſſet liberum homini credere,& non credere myſteria revelata: nam in oppoſita ſententia,dum voluntas non poteſt facere aſſenſum magis firmum , quàm ſit ex rationibus impellentibus intellectum ad ipſum aſſenſum,ſupponitur, aſſenſum ipſum eſſe neceſſariò certum ex propriis rationibus moventibus intellectum ad aſſentiendum myſteriis: qua poſita neceſſitate ad aſſenſum,non eſſet liberum homini credere, & non credere myſteria ipſa revelata. At eſt erroneũ aſſerere non eſſe liberum homini credere , & non credere myſteria revelata: Ergo voluntas poteſt efficere, quòd aſſenſus fidei ſit magis firmus, quàm ſit ex rationibus impellẽtibus ad ipſum aſſenſum.

91 Quod autem ſit erroneum aſſerere,non eſſe liberum homini credere , & non credere myſteria revelata patet, tum ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap.6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia , & adiuti ,fidem ex auditu concipientes , liberè moventur in Deum credentes* . Vbi per Concilium , liberum eſt homini credere: Ergo contra Concilium affirmaretur , non eſſe liberum homini credere, & non credere. Tum etiam patet , ex illo ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo , & reputatum eſt ei adjuſtitiam.* Tandem ex illo Marci cap. ultimo : *Qui crediderit , & baptizatus fuerit ſalvus erit ; qui verò non crediderit condemnabitur* . Ex quibus verbis conſtat , liberum eſſe homini credere , & non credere. Atqui talis libertas oritur à voluntate : Ergo voluntas poteſt facere, quòd aſſenſus fidei ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum impellentium intellectum ad ipſum aſſenſum . Eò vel maximè,quia aſſenſus ipſe fidei circa myſteria revelata,eſt meritorius.

Sed nequit eſſe meritorius ex ſola firmitate, quam habet ex rationibus impellentibus intellectum ad aſſentiendum: Ergo requiritur pia affectio voluntatis ad faciendum talem aſſenſum meritorium: Et ſic voluntas poteſt efficere aſſenſum illum magis firmum.

92 Sequeretur ſecundò ex oppoſita ſententia, quòd aſſenſus fidei non haberet omnimodam firmitatem, ſi majorem habere non poſſet à voluntate; nam à ſolis rationibus impellentibus intellectũ ad aſſenſum, non habet omnimodam certitudinem, excludentem omnem formidinem: quare ſi voluntas non poſſet dare majorem firmitatem, jam aſſenſus fidei careret firmitate. Totum hoc oſtenditur, dum rationes impellunt intellectum ad aſſenſum, non poſſunt ipſum intellectum determinare ad aſſenſum veri, & ad veri evidentiam; quia per illas rationes ſolùm cognoſcimus myſteria revelata, & ab Eccleſia propoſita. Ergo, ut intellectus habeat omnimodam certitudinem, neceſſaria eſt pia voluntatis affectio.

93 Impugno iterum directè falſitatem damnatæ propoſitionis, ratione efficaci, qua utitur Pater Cardenas. Tota firmitas, quam habet fides ex pondere rationum impellentium ad aſſenſum, independenter à pia voluntatis affectione, eſt tantùm moralis evidentia, qua morali evidentiâ poſita, nullus prudens poteſt negare aſſenſum myſterio revelato. At independenter à voluntate aſſenſus fidei non eſt evidens evidentia metaphyſica, qua ſcilicet, non ſolùm prudens negare non poteſt aſſenſum myſterio revelato, ſed implicet contradictionem, ut poſſit aliter evenire. Sed ad firmitatem aſſenſus fidei requiritur evidentia metaphyſica, qua non poſſit intellectus non ponere aſſenſum, ita ut implicet contradictiuum ponere diſſenſum: Ergo ſi talem firmitatem habet fides à voluntate, poteſt voluntas efficere aſſenſum fidei magis firmum, quàm ſit ex rationibus moventibus, & impellentibus intellectum ad ipſum. Hæc ratio videtur mihi potiſſima ad oſtendendam falſitatem ſupradictæ damnatæ propoſitionis; cùm certiſſimum ſit apud omnes Theologos, myſteria noſtræ fidei eſſe evidenter credibilia; & quidem non ſolùm evidentia morali, & prudentiali, ſed etiam metaphyſica, hæc evidentia metaphyſica in objecto revelato habetur per piam voluntatis affectionem: adeoque voluntas efficere poteſt, ut aſſenſus fidei ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum, ad aſſenſum impellentium.

ARTI-

ARTICVLVS XX.

Exponitur ſenſus vigeſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſima damnata Propoſito. *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quam habebat ſupernaturalem.*

94 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, meo videri (ut quidam etiam putant) quòd dum alicui infideli ſunt propoſita myſteria noſtræ fidei, ut credibilia, ipſe, donec perveniat ad majorem certitudinem, ſuſpendat aſſenſum myſteriis propoſitis; quo modo repudiaret aſſenſum ſupernaturalem, requisitum ad credendum. Si alio modo hæc propoſitio explicetur, cum faciat ſenſum propoſitionis conſequentis, videtur, nō eſſe benè deductam ex antecedenti damnata propoſitione; nam decimanona damnata propoſitio, eſtò neget, voluntatem poſſe efficere aſſenſum magis firmum, quàm ſit ex pondere rationum ad aſſenſum impellentium; tamem abſolutè non negat firmitatem ipsius aſſenſus, aliàs non ſolùm, ut temeraria, & ſcandaloſa eſset damnata, ſed etiam, ut hæretica. Quare non apparet in hac vigesima propoſitione damnata ly *Hinc* quodnam antecedens ſupponat: unde ad ipſam impugnandam (ut dicit Pater Cardenas) ſufficeret decretum de ipſius damnatione.

Oppugnatio Propoſitionis.

95 POsito ſenſu expoſito num. 94. Suppono, fidelem fide ſupernaturali credere myſteriis revelatis. & ab Eccleſia propoſitis: & quoties aliquod myſterium ei proponeretur credendum, & ipſe aſſenſum ſuſpenderet, vel repudiaret, ut deveniret ad majorem certitudinem, tunc ut infidelis exiſtimandus eſſet; nam fidelis ea, quæ proponuntur ab Eccleſia credenda, ut certò, & evidenter credibilia credere debet, eiſque omnem ſupernaturalem aſſenſum præſtare tenetur. Unde ex nullo capite poteſt aſſenſum ſuſpendere, vel repudiare, quin de imprudentia, & hæresi imputetur.

96 Hoc ſuppoſito, nunc impugno damnatam propoſitionem. Poſſe prudenter repudiare aſſenſum fidei, idem eſt, ac prudenter dubitare, an myſteria noſtræ fidei sint certa, & evidenter credibilia. Sed neque infidelis poteſt prudenter dubitare, an noſtræ fidei myſteria sint certa, & evidenter credibilia: Ergo neque infidelis poteſt prudenter repudiare, vel ſuſpendere aſſenſum ſupernaturalem. Minor,

nor, in qua ſtat tota difficultas probatur: quando infidelis dubitat, an myſteria noſtræ fidei sint credibilia, præpõderat rationes eũ impellentes ad credendum propoſitionibus ſuæ falſæ ſectæ. Sed præponderando hujuſmodi rationes, non agit prudenter, ſed imprudenter: Ergo neque infidelis prudenter ageret, dubitando, an noſtræ fidei myſteria ſint certa, & evidenter credibilia?

Eò vel magis, quia, non datur actus prudens ad ſuſpendendum aſſenſum, vel illum repudiandum circa aliquod objectum, niſi evidenter conſtet, oppoſitum talis objecti eſſe, ſaltem probabiliter, credendum. Sed dogmata falſa infidelium, quæ opponuntur myſteriis noſtræ fidei, nullam probabilitatem credibilitatis habent; cùm ſint omninò falſa: Ergo nequit infidelis prudenter ſuſpendere, vel repudiare aſſenſum ſupernaturalem, quem habebat ex dicto alicujus Catholici docentis veritatem noſtræ fidei. Minor eſt certiſſima. Major patet à pari: in opinionibus moralibus, quæ verſantur circa honeſtatem actus: Vt, *ego poſſum licitè infamare meipſum; ego non poſſum licitè infamare meipſum*. Si ex his opinionibus, alicui una oſtenderetur ſequenda, poſſet iſte talis prudenter ſuſpendere conſenſum ad unam, donec præponderet rationes ad aliam opinionem: quia utraque opinio probabilitatem habet. At quando una caret omnimoda probabilitate, ut eſt in caſu de falſis dogmatibus hæreticorum, non poteſt quis prudenter ſuſpendere aſſenſum myſteriis noſtræ fidei, illumque repudiare, donec perveniat ad majorem certitudinem: Ergo nequit quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habet circa myſteria noſtræ fidei.

ARTICVLVS XXI.

Exponitur ſenſus vigeſimæprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaprima damnata Propoſitio. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, an non ſit locutus Deus.*

97 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem non neceſſariò exigat notitiam certam objecti revelati, ſed tantùm ſufficit notitia probabilis; immò cum formidine ad oppoſitum, qua quis formidet, an Deus ſit locutus. Hæc propoſitio duas habet partes, quarum utraque eſt hoc decreto Innocentii damnata; quia negat neceſſitatem notitiæ certæ requiſitæ ad ſupernaturalitatẽ actus, & utilitatem ad ſalutem.

Oppu-

Digitized by Google

Oppugnatio Propoſitionis.

98 OBjectum fidei, circa quod fides divina verſatur eſt myſterium revelatum à Deo, & ab Eccleſia propoſitum; & hoc aliud eſt univerſale: & ſic omnia ſingularia objecta comprehendit, & aſſenſus circa ea omnia, ut in unum collecta verſatur. Et aliud eſt particulare, circa quod aſſenſus ſpecialiter verſatur. Si nanque intellectui proponantur credenda ſimul omnia objecta, revelata à Deo, & ab Eccleſia propoſita, tunc intellectus omnibus diceretur aſſentiri, tanquam univerſali objecto: ſi verò tantùm unum proponatur credendum, tunc uni intellectus aſſentitur, tanquam particulari objecto. Sit pro claritate hic ſyllogiſmus: *Quidquid eſt à Deo revelatum, & ab Eccleſia propoſitum, eſt credibile; ſed myſterium Incarnationis eſt à Deo revelatum, & ab Eccleſia propoſitum: Ergo myſterium Incarnationis eſt credibile*. In hoc ſyllogiſmo aſſenſus intellectus circa majorem propoſitionem eſt aſſenſus circa objectum univerſale: aſſenſus verò minori propoſitioni eſt aſſenſus circa objectum particulare. Hac præmiſſâ doctrina,

99 Nunc impugno primam damnatæ propoſitionis partem. Supponamus, quòd hæc notitia de Verbi divini Incarnatione, ſit tantùm probabilis; tunc ſic arguo. Qui aſſentitur huic myſterio Incarnationis ex notitia tantùm probabili, quam habet de tali myſterio, non credit fide divina, ſupernaturali, & utili ad ſalutem: Ergo aſſenſus ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem non ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis. Probatur antecedens primò; quia qui myſterio Incarnationis aſſentitur, quia ſolam probabilem notitiam habet revelationis, non credit, hoc myſterium eſſe evidenter certum, neque credit eſſe certò revelatum. Sed utroque modo non credit fide divina, ſupernaturali, & utili ad ſalutem: non primo modo, quia non credere, hoc myſterium Incarnationis eſſe evidenter certum; vel credere non eſſe evidenter certum, eſt ponere impedimentum ad firmiter credendum, ſicut oportet credere myſteriis revelatis; quod impedimentum deſtruit ſupernaturalitatem actus credendi, & utilitatem ad ſalutem. Neque ſecundo modo; quia non credere, hoc myſterium eſſe certò revelatum, eſt dubitare de revelatione: ſed aſſenſus, cum dubio de revelatione, nequit eſſe ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem: nam qui aſſentitur aſſenſu ſupernaturali debet eſſe certus de myſterii revelatione: Ergo poſita tantùm probabili notitia revelationis, non poteſt aſſenſus circa myſterium aliquod fidei eſſe ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem.

100 Probatur ſecundò principale antecedens: nam poſita noti-

tia

tia tantùm probabili de exiſtentia myſterii Incarnationis,quòd ſcilicet ſit tantùm probabiliter revelatum, qui credit tali myſterio, ut probabiliter tantùm revelato, non credit cum dubitatione, an ſit revelatum, vel non; quia non eſt certus de revelatione. Sed poſita dubitatione, an ſit revelatum, vel non aliquod myſterium, ſi illi aſſentitur cum tali dubitatione, aſſenſus non eſt ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem: Ergo credens ex notitia ſolùm probabili circa revelationem, non credit fide divina, ſupernaturali, & utili ad ſalutē.

Eò vel maximè: quoties aliquod myſterium ſtat cum ſola probabili notitia revelationis, non eſt certus, qui illi myſterio aſſentitur, quòd Deus dixit, & tale myſterium revelavit. Sed qui alicui myſterio aſſentitur, & non eſt certus, quòd Deus dixit, & myſterium illud revelavit,non credit, nec illi myſterio aſſentitur fide divina: quia non aſſentitur ex motivo,quòd Deus dixit; & nullus eſſe poteſt aſſenſus ſupernaturalis, niſi ſit ex motivo, quòd Deus certò dixit,& revelavit: Ergo &c.

101 Impugno ſecundam partem damnatæ Propoſitionis. Poſita formidine,an Deus ſit locutus, vel non,non habetur certitudo,& evidentia,quòd Deus dixit. Sed nequit eſſe aſſenſus ſupernaturalis,& utilis ad ſalutem, quando non habetur certitudo, & evidentia, quòd Deus dixit; cùm fides divina hoc habeat,quod ejus aſſenſus ſit ex motivo,quòd Deus dixit,& certò revelavit: Ergo poſita formidine,qua intellectus formidet,an Deus fuerit locutus, jam aſſenſus nequit dici ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem.

Eò vel maximè: aſſenſus ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem debet eſſe de objecto certè revelato,cum quo connectitur certò,& abſque ulla dubitatione,& hæſitatione. Sed poſito,quòd intellectus formidet, an Deus locutus ſit, jam aſſenſus circa myſterium, de quo intellectus formidat, non connectitur cum objecto certè revelato; & de eo, an ſit revelatum,dubitat,& hæſitat: Ergo aſſenſus ille non eſt cenſendus ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem. Concludendum igitur eſt ex his, & aliis rationibus theologicis, quas brevitatis gratia, omitto,aſſenſum fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem,non poſſe ſtare cum ſola probabili notitia revelationis; neque cum formidine, an Deus fuerit locutus.

ARTICVLVS XXII.

Exponitur ſenſus vigeſimæſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſecunda damnata Propoſitio. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

102 Sen-

102 Senſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, non eſſe neceſſariam neceſſitate medii fidem explicitam Dei remuneratoris, ad ſalutem æternam habendam. Quod eſt contra Scripturam, & Concilia.

Oppugnatio Propoſitionis.

103 Alia eſt neceſſitas medii, & alia præcepti. Neceſſitas medii eſt illa, ſine qua finis nullo modo haberi poteſt: & hanc neceſſitatem habent baptiſmus, & pœnitentia, ad habendam æternam ſalutem. Neceſſitas verò præcepti, eſt illa, quæ tantùm vim habet ad finem conſequendũ, quia præceptum urget: at ſine ipſa finis abſolutè haberi poteſt: & hanc neceſſitatem habent cetera Sacramenta ad obtinendam vitam æternam, quæ etiam abſolutè ſine ipſis haberi poteſt. Noto inſuper, fidem aliam eſſe implicitam, & aliam explicitam Fides implicita eſt illa, qua creditur myſteriis revelatis ſub univerſali conceptu: ut ſi quis crederet ſub univerſali conceptu, quod credit Eccleſia, ſeu quod ab Eccleſia proponitur, & à Deo eſt revelatum, nullum exprimendo particularem articulum; tunc crederet fide implicita. Fides verò explicita eſt illa, qua quis credit alicui articulo, aut myſterio, ſub particulari conceptu: ut ſi quis in particulari crederet myſterio Incarnationis, à Deo revelato, & ab Eccleſia propoſito. His notatis,

104 Impugno nunc damnatam Propoſitionem ex præmiſſa doctrina. Primò ex Concilii Trid. determinatione ſeſſ. ſexta cap. 7. ubi habet: *Hanc fidem ante Baptiſmi Sacramentum ex Apoſtolorum traditione Cathecumeni ab Eccleſia petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præſtantem: quam ſine ſpe, & charitate fides præſtare non poteſt*. Ex quibus verbis colligitur, fidem præſtare vitam æternam; ſed hæc vita æterna habetur à Deo remuneratore: Ergo fidelis fide explicita credere debet, Deum eſſe remuneratorem vitæ æternæ. Secundò ex Apoſt. ad Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remuneretor eſt*. Ergo fide explicita credere debemus, Deum eſſe remuneratorem. Tertiò idem Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. exponens illa verba Apoſt. ad Rom. 3. *Juſtificari hominem per fidem*, ait ipſum Conc. *Cùm verò Apoſtolus dicit juſtificari hominem per fidem, & gratis, ea verba ſunt intelligenda, quem perpetuus Eccleſiæ catbolicæ conſenſus tenuit, & expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, ſundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum conſortium pervenire, &c.* Hæc autem fides, ſine qua Deo placere non poſſumus, nec ad filiorum conſortium pervenire poſſimus, eſt fides Dei remunera-

rato-

Digitized by Google

ratoris: iccircò dicendum eſt, neceſſariam eſſe ad ſalutem, à Deo conferendam in meritorum remunerationem, fidem explicitam Dei remuneratoris. Hæc Apoſtoli, & Concilii doctrina ſufficit pro quacunque ratione, quæ adduci poſſet ad hanc damnatam propoſitionem impugnandam. Quare concludendum eſt, neceſſitate medii neceſſariam eſſe fidem explicitam Dei remuneratoris.

ARTICVLVS XXIII.

Exponitur ſenſus vigeſimatertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimatertia dnmnata Propoſitio. *Fides, latè dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilivè motivo, ad juſtificationem ſufficit.*

105 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, ſufficere ad juſtificationem credere, non ex motivo Dei revelantis, ſed ex motivo Creaturarum, vel alio ſimili motivo naturali, quo cognoſcitur Deus. Hujuſmodi autem cognitio, volunt Authores damnatæ Propoſitionis, quòd ſit fides latè ſumpta; pro ut eſt cognitio inevidens. At multùm in hac aſſertione à via veritatis Authoris iſti aberrant.

Oppugnatio Propoſitionis.

106 IMpugno primò, authoritatibus damnatam Propoſitionem ex Apoſt. ad Rom. 3. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo: Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* Secundò ex Trid. Concil. cit. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi habetur: *Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitùs revelata, & promiſſa ſunt.* Et in cap. 8. dicit: *Fides eſt humanæ ſalutis initium; fundamentum, & radix juſtificationis.* Tertiò ex D. Auguſtino in lib. 1. ad Simplicianum qu. 2 cap. 9. *Ut ſcilicet non ſe quis arbitretur, ideo percepiſſe gratiam, quia benè operatus eſt, ſed benè operari non poſſe, niſi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem.* Quartò ex D. Leone ſerm. 7. *Quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit.* Idipſum confirmant plures Sancti Patres, & Concilia, & præſertim Arauſ. can. 5. in quo determinatum fuit, neceſſariam eſſe fidem ad hominis juſtificationem, his verbis: *Si quis, ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum, quò in eum credimus, qui juſtificat*

Digitized by Google

ſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis pervenimus, non per gratiæ donum, &c. Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur. Et in fine hujus Canonis, quantùm ad rem noſtram attinet, Concilium concludit: *Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos, qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe definiunt*.

107 Nunc ratione ſupradictam damnatam Propoſitionem impugno. Fides late ſumpta, quatenus eſt innixa teſtimonio creaturarum, vel alio ſimili motivo, eſt cognitio, quam homo habet de Deo, ut ipſum diligat tanquam ſummum bonum. Sed hæc cognitio non eſt ſufficiens ad juſtificationem: Ergo illa fides, latè ſumpta, non eſt ſufficiens ad juſtificationem. Probatur minor: illa cognitio eſt ſufficiens ad juſtificationem, quæ terminatur ad Deum ſummè diligendum ex radicali principio benè, & meritoriè operandi: Ergo ipſa ſola cognitio abſque tali principio radicali non eſt ſufficiens ad juſtificationem. Sed hoc radicale principium meritoriè operandi eſt fides divina, ſeu rigoroſè accepta: ut conſtat ex verbis Apoſtoli ad Hebr. 12. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Et per cit. Conc. Trid. ponitur fides ut fundamentum, & radix placendi Deo: Ergo illa cognitio habita ex teſtimonio creaturarum, quæ eſt fides latè ſumpta, non ſufficit ad juſtificationem. Deinde: ſi illa cognitio eſſet ſufficiens ad juſtificarionem, poſſet homo juſtificari ex ſolis operibus legis; quia tunc juſtificaretur ex motivo legis, quo præcipitur, Deum eſſe diligendum. Sed hoc eſt contra D. Paulum dicentem ad Rom. 3. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro,* Ergo ex fide latè ſumpta nequit quis juſtificari; ſed requiritur ad juſtificationem fides rigoroſè accepta, quæ radix, & fundamentum eſt noſtræ juſtificationis.

ARTICULUS XXIV.

Exponitur ſenſus vigeſimæquartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaquarta damnata Propoſitio. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

108 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, juramentum falſum de materia levi, quod ſit leve mendacium, non eſſe peccatum mortale, & pœna æterna dignum. Nam putant Authores iſtius propoſitionis, hoc juramentum cum mendacio non importa-

re tantam Deo irreverentiam, propter quam Deus velit, aut poſſit damnare hominem.

Oppugnatio Propoſitionis.

109 NOtandum eſt cum Doctore noſtro Scoto in 3. diſt. 39. q. un. litt. A. *Iuramentum eſſe aſſertionem dicti humani, quod ipſum ſit verum*; vnde ſi quis iurat de eo, quod verum eſt, iuramentum eſt verum, quia de re vera iurat: ſi de eo, quod eſt falſum iurat, iuramentum dicitur falſum. Unde iurare dicitur, qui Deum aſſumit in Teſtem; & si Deum aſſumit in teſtem mendacii, iurans periurus eſt. Fuit ad bonum finem iuramentum inſtitutum, ſcilicet ad magis veritatem habendam, quam quis iuſtè exigere poteſt; & iccircò Judices ab iis, qui tenentur in iudicio deponere, iuramentum exigunt; quia maiorem certitudinem ex hoc habere poſſunt de veritate facti, de qua inquirunt. Quare iuramentum connumeratur inter actus Religionis, non alia ratione, niſi quia quocunque modo expreſsum ſit, aſsumit Deum in teſtem, ſive expreſsè, iurando *per Deum*, ſive implicitè, iurando per creaturas, quæ ad Deum ordinantur. Verum iuramentum tres habere debet conditiones, nimirum veritatem, iuſtitiam, & iudicium. Tunc habet veritatem, quando id, de quo iurat, eſt verum. Tunc habet iuſtitiam, quando iurat de re licita, & honeſta. Tunc tandem habet iudicium, quando non ſit, niſi ex gravi, & urgenti cauſa. His deficientibus conditionibus, iuramentum non eſt actus virtutis, ſed potiùs vitium virtuti oppoſitum, & iurans ad culpam imputatur.

110 Inſuper adverto cum eodem Scoto loc. cit. art. 3. iuramentum aliud eſse aſsertorium, & aliud promiſsorium. Aſsertorium eſt de rebus præſentibus, & præteritis: ut ſi quis iuret ſe feciſſe aliquid, hoc iuramentum eſset aſsertorium, quia iuraret aſserendo illud feciſse: quod ſi factum eſt, dicitur iuramentum, aſsertorium verum; ſi non eſt factum, dicitur iuramentum aſsertorium falſum. Promiſsorium iuramentum eſt de rebus faciendis, ſeu futuris; quòd ſi res faciendæ veræ ſint, iuramentum promiſsorium eſt verum; ſi verò ſint falſæ, iuramentum eſt falſum. Vtrumque iuramentum ponit obligationem, cum hoc diſcrimine, quòd aſsertorium ponit obligationem oſtendendi veritatem rei factæ; promiſsorium rei faciendæ. Vnde ſi quis iuraret, ſe aliquid facturum, quod non faciet, iam falſum eſset iuramentum promiſsorium; cùm eo ipſo, quòd quis iuret, ſe aliquid facturum, obligatus eſt ad illud faciendum; aliàs falsò iuraret, & eſset periurus. His exactè notatis,

111 Impugno nunc damnatam Propoſitionem. Eſtò mendacium iocoſum, & leve, in ſe inſpectum non ſit materia gravis; & etiam

etiam ſi ſit officioſum, dictum pro proximi utilitate, abſque alterius pernicie; tamen, dum ad tale mendacium teſtandum, vocatur Deus in teſtem illius mendacii, magna Deo infertur iniuria: Ergo vocando Deum in teſtem mendacii levis, exhibetur tanta Deo irreverentia, ut propter ipſam velit, & poſſit hominem damnare. Probatur aſsumptum antecedentis. Mendacium iocoſum, & etiam officioſum in ſe inſpectum, abſque ulla gravi circumſtantia, in tantùm poteſt eſse materia levis, & tantùm ad venialem culpam imputabile, in quantùm non repugnat nec charitati, nec iuſtitiæ; cùm nullum alteri præiudicium afferat; & quod virtuti non repugnat poteſt tantùm ad culpam levem imputari. Sed quando ad huiuſmodi mendacium, eſtò leve, vocatur Deus in teſtem; tunc vi iuramenti læditur Iuſtitia Deo tribuenda; imò iurans peccat contra Religionem, quia à Deo, propter mendacium, aufert rationem primæ veritatis; quod fieri non poſset, ſine iniuria, & imperfectione Dei: Ergo ratione huius iuramenti, mendacium, quod in ſe leve eſset, diceretur culpa mortalis, & magnam Deo inferret iniuriam, & irreverentiam.

112 Deinde: Vel dum quis vocat Deum in teſtem mendacii levis, iurat iuramento aſſertorio: vel iuramento promiſſorio. Sed iurando utrovis iuramento, vocando Deum in teſtem mendacii levis, lethaliter peccat: Ergo dum vocat quis Deum in teſtem mendacii levis, mortaliter peccat. Probatur minor primò de iuramento aſſertorio: ſiquis jocosè diceret aliquam ſalſitatem de re præſenti, vel præterita, & ut credatur, vocat Deum in teſtem, dicendo, *Deus ſcit. ſi Ego mentior*; quia de facto mentitur; cùm ſalſitatem dixerit, & aliunde propoſitionem illam falſam non poteſt reddere veram; niſi diſſolvendo ſe à iuramento, iam lethaliter iſte talis peccaret, vocando Deum in teſtem, per iuramentum aſſertorium. Eadem minor oſtenditur quò ad iuramentum promiſſorium: iuramentum promiſſorium, cùm inducat obligationem, ſaltem ex fidelitate, ſervandi promiſſum, quoties quis vocat Deum in teſtem mendacii circa rem futuram, toties res illa falſa, oſtenſa ut vera, tenetur iurans illam ut veram oſtendere. Sed quia falſa eſt; non poteſt ut vera demonſtrari: Ergo quamvis mendacium ſit leve, & ex ioco, ratione iuramenti promiſſorii, mortaliter peccat, qui vocat Deum in teſtem.

113 Tandem vocare Deum in teſtem mendacii, eſt vocare Deum in teſtem falſi; Sed vocare Deum in teſtem falſi, eſt à Deo auferre, per iniuriam, attributum ſummæ veritatis; quod fieri nequit abſque gravi peccato mortali: Ergo vocare Deum in teſtem mendacii levis eſt peccatum mortale. Probatur minor: quia dum

quis circa mendacium iocoſum dicit: *Sit Deus teſtis hujus meæ aſſertionis*: idem eſſet, ac velle, Deum affirmare talem aſſertionem. At cùm illa aſſertio ſit falſa, vellet, qui vocat Deum in teſtem, Deum affirmare aſſertionem falſam; Sed abſurdum eſt, immò temerarium, & præſumptuoſum, velle, ut Deus ſuam affirmet aſſertionem falſam: Ergo magna inſerretur Deo iniuria, contra ſummæ veritatis attributum. Quapropter vocare Deum in teſtem mendacii, etiam levis, magna eſſet irreverentia, & mortaliter peccaret, qui ſic Deum vocaret in teſtem.

ARTICULUS XXV.

Exponitur ſenſus vigeſimæquintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaquinta damnata Propoſitio. *Cum cauſa licitum eſt iurare, ſine animo iurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.*

114 Senſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ſit licitum iurare, ſine animo iurandi, & hoc tam in materia levi, quàm gravi; ita ut non videatur prohibitum iuramentum factum, ſine animo iurandi. Vt ſi quis externè iuraret, ſe aliquid facturum, quod revera non intendit facere, ſed potiùs intendit facere oppoſitum; tunc licitè (dicunt Authores huius propoſitionis) quòd poſſit iurare ſine animo iurandi.

Oppugnatio Propoſitionis.

115 Suppono in primis, ſenſum huius propoſitionis non eſſe alienum ab hac expoſitione: nam ſi Authores præſumerent, quòd in omni caſu, etiam ubi intervenit mendacium, ſit licitum iurare, ſine intentione iurandi; tunc maioris notæ, & imputabilitatis foret iſta propoſitio ab illa ſupra impugnata; quia poſſent aſſerere, licitum eſſe, vocare Deum in teſtem mendacii gravis. Quare ſuppoſito, quòd ſenſus ſit de expreſſo iuramento aliquid faciendi, quod revera quis facere non intendit, quandam Scoti doctrinam hic noto pro majori intelligentia, quam adducit in 3. diſt. 39. q. un. litt. K. ubi loquens de iuramento doloſo, inquit: quòd quando iurans aliquid eſſe facturum, in ipſo actu iurandi intendit oppoſitum, & non intendit ſe obligare ad illud, quod iurat, talis in ipſo actu iurandi peccat mortaliter, quia Deum adducit tanquam teſtem ſui propoſiti de aliquo implendo, cùm tamen intendat oppoſitum. Ex hac

Scoti

Scoti doctrina deduci poteſt, propoſitionem illam, non ſolùm eſſe damnatam, quia ponit ut licitum juramentum, ſine animo jurandi, ſed etiam quia peccatum mortale ſit iurare,ſine animo iurandi.Hoc ſecundum à quibuſdam contenditur, & volunt non eſſe peccatum mortale jurare ſine animo iurandi, ſed tantùm veniale: & ad damnatam propoſitionem dicunt, quòd propoſitio, cùm præſcindat à mortali, vel veniali peccato,eſt ſolùm damnata,quia ponit tale iuramentum licitum, quando ſaltem eſt veniale peccatum.

116 Adverto inſuper, in damnata propoſitione appoſitam eſſe illam particulam: *Cum cauſa*; quæ particula exprimit caſum,in quo qui iurat ſit coactus ad iurandum, ut promittat, ſe aliquid facturum. Vt ſi Caius incideret in ſylva in manus latronum, & iſti, pro libertate Caii petunt ab eo iuramentum, daturum ipſis latronibus centum nummos aureos; tunc cauſa recuperandæ libertatis Caius iuraret,ſine animo iurandi;ideſt non adimplendi promiſſum factum per externum iuramentum; hoc iuramentum eſset factum cum cauſa.

117 Nunc ſic, ex præmiſſis doctrinis,impugno damnatam propoſitionem. Jurare ſine animo iurandi, eſt vocare Deum in teſtem, cum voluntate non adimplendi promiſsum, per externum iuramentum; Sed illicitum eſt,vocare Deum in teſtem, cum voluntate non adimplendi promiſsum: Ergo cum cauſa iurandi illicitum eſt iurare,ſine animo iurandi.Minor oſtenditur ſic:dum quis iurat,cum animo non iurandi,iurat cum propoſito non adimplendi,quod actu per iuramentum promittit; & vocat Deum in teſtem falſitatis, vel non adimpletionis promiſſi: Si nanque Titius hodie promittit cum iuramento,ſe cras daturum centum Caio, & actu interno non habet animum iurandi, aut non adimplendi promiſsum; cras quia non dat centum Caio, ratione interni propoſiti, de non iurando, & adimplendo promiſso, iam Deus eſset vocatus in teſtem huius mendacii Titii; vel falſitatis eius, oppoſitæ externæ promiſſioni, ratione cuius vocavit Deum in teſtem: Ergo ſemper illicitum eſt iurare,etiam ſine animo iurandi, ſive iuramentum ſit in materia levi, ſive gravi.

Hoc ipſum confirmari poteſt doctrina noſtri Doctoris Scoti in 3. diſt. 39. q.un. litt. K. ubi ait: *Quando iurans aliquid eſſe facturum, in ipſo actu iurandi intendit oppoſitum, & non intendit ſe obligare ad illud, quod iurat, talis in ipſo actu iurandi peccat mortaliter; quia Deum adducit tanquam teſtem ſui propoſiti de aliquo implendo,cùm tamen intendat oppoſitum.*

ARTI-

ARTICVLVS XXVI.

Exponitur ſenſus vigeſimæſextæ Propoſitionis,& ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſexta damnata Propoſitio.*Si quis,vel ſolus,vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte ,ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine,juret ,ſe non feciſſe aliquid , quod revera fecit , intelligendo intra ſe aliquid aliud , quod non fecit , vel aliam viam, ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur , nec eſt periurus.*

118 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis, hoc exemplo exponitur. Si Caius homicidium commiſiſset in perſonam Titii , interrogetur Cajus , vel ſolus , vel coram aliis de tali homicidio, quod revera commiſerit die Martis ; & quæratur ab eo iuramentum de veritate dicenda;tunc ſi Caius diceret :*non commiſi homicidium*, intendendo intra ſe , *die Iovis V. G.* putant Authores huius damnatæ propoſitionis , quòd per talem reſtrictionem mentalem, quæ vera eſt, ut translata ad aliam diem, Caius excuſetur , tum à mendacio, tum à periurio ; quia falſitas conceptus externi cohoneſtatur ex veritate conceptus mentis . Hoc ipſum affirmant Authores huius propoſitionis de ſpontanea alicuius confeſſione, vel cauſa recreationis , vel alio fine . Vt ſi quis diceret : *magno impetu occidi unum gallum*, ſed intra ſe diceret , *in gallinaceo exiſtentem*. Sic dicendum putant in aliis ſimilibus caſibus . At mentalis reſtrictio, tum propter mendacium , tum propter periurium (si iuretur) ut ſcandaloſa, & impeditiva humani convictus, damnata fuit hoc decreto,cum duabus aliis ſequentibus propoſitionibus, ab Inn.XI.

Oppugnatio Propoſitionis.

QUanquam ante hoc Innocentii XI. decretum multi Doctores defendebant uſum reſtrictionum mentalium , tum ad mendacium vitandum,tum perjurium,tamen ita in omnibus erat uſitatus, ut vix poterat dari humanus convictus ; cùm , ut plurimum decipiebantur homines, audita illa locutione expreſſa , ex qua , vel negativam,vel affirmativam capiebant reſponſionem,quæ conceptui mentis loquentis non correſpondebat. Ex qua locutione,quia multa oriebantur ſcandala, & fraudes, ideo Summus Pontifex uſum ipſarum damnavit. In qua damnatione, ut certum habeo, mentalem re-

reſtrictionem fuiſſe damnatam, tam quò ad mendacium, quod in ea eſt, quàm quò ad perjurium: ut conſtat ex illis verbis, *re vera non mentitur; nec eſt periurus.*

120 In hac re ſuppono, mendacium illud eſſe, quòd *dicit falſam enunciationem cum voluntate ad fallendum prolatam*: ut dicit D. Auguſtinus lib. 1. contra mendacium cap. 42. *mentiri eſt contra mentem ire*. Quare ex hac D. Auguſtini doctrina, aliqui, & præſertim noſter Aſtelanus definierunt mendacium, quòd *ſit falſa voce ſignificatio cum intentione fallendi.* Ex quo fit, quòd mendacium in nullo caſu ſit licitum, etiamſi ſit de materia levi.

121 In lib. de Juſtitia, & Jure diſp. 5. de Reo coram Judice interrogato, contra quem adſit tantùm ſemiplena probatio, dixi, quòd non teneatur crimen ſuum fateri, & quòd poſſit Judici legitimè interroganti reſpondere, juxta doctrinam, quam tradit Doctor noſter Scotus in 4. diſt. 15. q. 4. art. 3. *Nego propoſita pro ut proponuntur.* Et ſubdit idem Doctor, *& hæc quidem ſine mendacio; quia proponuntur in publico, & ut publica, & publicè probanda. Sic autem negare ea poteſt quis, ſi ſcit ea non poſſe probari in publico.* Ex his Scoti verbis infero, quòd poſſit in aliquibus caſibus, ſine mendacio quis reſpondere interroganti de aliqua re, quæ ſecreta eſt, & non publica, abſque uſu mentalis reſtrictionis, & quidem ſine mendacio; quia nemo tenetur in publico manifeſtare, quod non eſt verum publicū. Unde ibi notavi quandam doctrinam deſumptam ex Fabro noſtro, & in hac Scoti fundatam; quòd ſcilicet aliud ſit dicere falſitatem, & aliud ſit occultare veritatem. Dicere falſitatem eſt mentiri, ut conſtat ex ipſius mendacii deſcriptione. Occultare veritatem, quando neceſſaria eſt talis occultatio, non eſt mentiri: unde ſi quis interrogetur, an Titius homicidium commiſerit, quod ſecretum eſt, poſſet licitè reſpondere *non habeo ſcientiam de hoc*: cùm nemo coactus ſit ad occulta revelanda; præſertim ſi crimina occulta ſunt alicui nota per Sacramentum confeſſionis. Et hoc modo reſpondere: *non habeo ſcientiam de hoc*, non eſſet negare veritatem, neque expreſſam dicere falſitatem; ſed tantùm eſſet veritatem occultare; quod non eſt, nec mentiri, nec uti mentali reſtrictione.

122 Notavi hic hanc doctrinam, ut cognoſcatur, quòd occultatio veritatis, præſertim, quando quis ad illam occultandam jus habet, ut dixi de Reo ſemiplenè probato, non ſit prohibita, nec damnata in hoc decreto; cùm Innocentius damnaverit uſum mentalis reſtrictionis, aliud ſcilicet ejuſdem locutionis in mente retinere, & aliud voce proferre; ex qua locutione diverſus ſenſus generatur in mente interrogantis ab illo, qui eſt in mente reſpondentis; quæ locutio eſt expreſsè falſa, & mendacium. Quod autem non da-

Digitized by Google

damnavit ſenſum, ſupra expreſſum ex Scoti doctrina, patet ex D. Auguſtino in Pſalm.5. *Aliud eſt mentiri,& aliud verum occultare: ſiquidem aliud eſt falſum dicere, aliud verum tacere. Ut ſi quis fortè non velit ad iſtam viſibilem mortem hominem prodere, paratus eſſe debet verum occultare, non falſum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur.*

123 Qua præmiſſa doctrina, nunc impugno damnatam propoſitionem. In uſu mentalis reſtrictionis habetur proximi deceptio, mendacium, & ſi præſtetur juramentum, perjurium; Sed illicitum eſt proximum decipere, mentiri, & perjurium committere: Ergo non eſt licitum uti mentali reſtrictione, modo ab Authoribus damnatæ propoſitionis expreſſo. Minor eſt indubitata; quia per proximi deceptionem multoties quis peccat contra charitatem, multoties contra juſtitiam, & multoties contra fidelitatem. Per mendacium, eſtò ſit jocoſum, evitari non poteſt ſaltem veniale peccatum, ratione falſæ enunciationis. Per periurium tandem, quia Deus vocatur in teſtem falſitatis magna ei inferretur iniuria. Probo nunc maiorem: ſi quis interrogetur, an commiſerit homicidium in perſonam Titii, & ipſe reſpondeat: *non commiſi homicidium*, intendendo intra ſe, *in die Iovis*, in quo revera non commiſit homicidium; in hac mentali reſtrictione interrogans decipitur, quia per verba expreſſa, exiſtimat, interrogatum non commiſiſſe homicidium: nam aliud ſignificatum habere non poſſunt expreſſa illa verba, quàm negationem homicidii commiſſi. Et quia homicidium fuit iam commiſſum, tunc interrogatus, hoc modo reſpondendo, mentitur, quia expreſſam dicit falſitatem. Et si inſuper de hoc iuramẽtum præſtet, quia jurat de dicẽda veritate, & poſtea expreſsã dicit falſitatem, eſt periurus. Hoc ipſum confirmari poteſt doctrina Scoti, quam retulimus in calce art.25.ſub num.117. Et inſuper ex alia doctrina, quam tradit in eodem 3 *diſt.38. qu.un. §.Aliter.* Vbi exponens ſententiam D.Bonaventuræ, & Gerardi de Odonis, circa mendacium, ait: *Ita in propoſito, licèt prolatio talium, vel talium verborum, quorumcunque ſignificatorum, poſſit eſſe ſine peccato: tamen prolatio eorum cum conſcientia oppoſiti, & per conſequens cum intentione fallendi, non poteſt eſſe ſine peccato, quia includit actum ſubſtratum, cum circumſtantiis ipſum neceſſariò deformantibus.* Ex his infero, reſtrictionem mentalem, propter mendacium, quod ſecumfert, & quidem omninò illicitum, eſſe meritò damnatam: ac per conſequens nemo poteſt illa licitè uti.

ARTI-

ARTICULUS XXVII.

Exponitur ſenſus vigeſimæſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſeptima damnata Propoſitio. *Cauſa utendi bis amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt, ad ſalutem corporis, bonorum, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.*

124 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, ſi exprimere caſus in quibus ſit licitũ uti mentali reſtrictione per verba æquivoca, & amphibologica; quando ſcilicet quis tenetur ſe defendere à ſalute corporis, ut ſi per uſũ amphibologiæ ſe defenderit à periculo mortis: vel per eundẽ uſum bona, vel res familiares tueri teneatur: ut ſi interrogetur, àn habeat centum mutuandũ, &c. poſſet licitè (ut dicunt Authores iſtius propoſitionis) reſpondere cum mentali reſtrictione: V.G. reſpondendo cum abſoluta negatione: *non habeo*, reſtringendo tamen in mente, *ut tibi dem mutuo*. Idem diſcurſus efformari poteſt in quocunque alio caſu. Hæc propoſitio, quia univerſaliter ponit licitum caſum mentalis reſtrictionis per amphibologicas reſponſiones; ideo ut ſcandaloſa damnata eſt; quia reſponſio ad interrogata generat diverſum ſenſum in mente audientis, ac eſt in mente proferentis; & ſic audiens falleretur, & loquens mentiretur.

Oppugnatio Propoſitionis.

125 SUppono tanquam certum ex Sacris Scripturis, locutionem in parobolis fuiſſe uſitatam, & quòd Chriſtus Dominus ſæpè ſæpiùs tali locutione uſus fuit; prætertim interrogatus, vel à Judæis, vel à Phariſæis, vel à propriis diſcipulis; & quia illi Jus interrogandi non habebant, nec Chriſtus Dominus tenebatur reſpondere; iccircò multoties utebatur verbo *Neſcio*, quòd Diuus Auguſtinus interpretatur de negatione ſcientiæ utili ad reſpondendum; quomodo etſi veritatem occultabat, quia non tenebatur illam fateri; non tamen expreſſàm dicebat falſitatem, quod eſt mentiri. Quare videtur damnata ſupradicta propoſitio, non pro eo, quòd ponit abſolutè ſtudioſam occultationem veritatis; ſed quia in occultanda veritate ponit licitum uſum reſtrictionum mentalium, mendacium, & periuriũ. Quod in ſuperiori articulo impugnatũ eſt.

126 Impugno nunc damnatam propoſitionem: uſus amphibologiæ, quando diverſum facit ſenſum in mente audientis, & interrogantis, ac eſt in mente proferentis, eſt deceptio proximi,& mendacii prolatio; ſed decipere proximum, & mendacium proferre,eſt omninò illicitum: Ergo uti amphibologia, in reſpondendo ad interrogata, quæ faciat diversũ ſenſum naturalē in mēte interrogantis ab eo, qui eſt in mente proferentis, eſt illicitum: & hoc præſertim valet, quando locutio non eſt ſigno exteriori copulata, quo poſſet audiens, ex ſigno ipſo cognoſcere veritatem proferentis: ut accidit noſtro Sancto Patri Franciſco,dum interrogatus à quibuſdā Miniſtris iuſtitiæ, an latrones tranſiiſſent illac; Diuus Pater Franciſcus reſpondit, *non transierunt hac*, ponendo manus in manicis ſuis. Ex quo ſigno arguere poterant interrogantes, latrones non tranſiiſſe per manicas. Illa D. Franciſci reſponſio fuit veritatis occultatio,cum ſigno exteriori exprimente veritatem verborum,quæ protulit. Vnde infero, quòd dum quis reſpondendo, utitur verbis amphibologicis, cum mentali reſtrictione, & abſque ullo ſigno exteriori, exprimente verum conceptum mentis, ut fuit in caſu poſito, & proxímus de facili decipitur ex manifeſta falſitate loquentis, & mendacio importato per talem locutionem; illicitam reddi locutionem illam, non obſtante quacunque utilitate reſultante, tum in bonis corporis, tum famæ, tum fortunæ reſpondentis; quia omnia iſta bona non ſunt præferenda bono animæ, quo homo privaretur, reſpondendo per mentalem reſtrictionem, aut mentiendo.

127 Modus evadendi hanc damnatam propoſitionem in mentalibus reſtrictionibus, quæ proximi deceptionem involuunt, mendacium,& periurium (quando iuramentum exhibetur), eſt, ut locutio correſpondeat legitimæ interrogationi, & non ſit alius conceptus mentis ab externa locutione; aliàs ſemper mendacium eſſet. Vnde ſi quis petat à Titio mutuo centum; ſi Titius reſponderet: *non habeo*, & re vera habet; retinendo in mente ſua,ut *tibi mutuem*; jam uteretur mentali reſtrictione, & mendacium committeret; quia diverſus eſt conceptus mentis ab externa locutione: & in mente petentis non poſſet alium ſenſum generare, quàm hunc, quòd ſcilicet Titius non habeat centum. At ſi Titius reſponderet: *utinam haberem centum ad tibi mutuandum*; tunc licita eſſet reſponſio; quia hæc locutio nata eſt parere in mente audientis, quòd Titius non habet centum ad mutuandum, non verò,quòd abſolutè non habeat centum.

Alius modus evadendi mentalem reſtrictionem, & mendacium, eſt, quando locutio per ſigna exteriora generare poteſt in mente audientis eundem ſenſum,qui eſt in mente præferentis;quo-

modo

modo proximus non deciperetur, nec loquens mentiretur: ut patet de exemplo Sancti Patris Franciſci; nam ſignum illud exterius natum eſt generare in mente audientis eundem ſenſum, qui eſt in mente proferentis.

Modus tandem evadendi mentalem reſtrictionem, & mendacium circa interrogationes de rebus occultis, eſt ille ſupra expreſſus articulo præcedenti, deductus, tum ex doctrina D. Auguſtini, tum D. Thomæ, tum noſtri Doctoris Scoti, ſcilicet reſpondendo abſolutè: *Non habeo ſcientiam de hoc, vel ſi ſcirem, ut poſſem tibi ſatisfacere, jam tibi ſervirem*. Et hoc modo reſpondendo evitatur mentalis reſtrictio, & mendacium; nam hæc reſponſio non eſt nata ex ſe facere diverſum ſenſum in mente interrogantis, ac eſt in mente reſpondentis.

ARTICVLVS XXVIII.

Exponitur ſenſus vigeſimæoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaoctava damnata Propoſitio. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.*

128 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd dum quis vult aſcendere ad magiſtratum, vel per munus, vel per commendationem, vel promotus ſit ad aliquod publicum officiū; ſi hic à Judice interrogetur circa aliquod delictum occultum commiſſum ab eo, qui ad magiſtratum promotus eſt, an ſcilicet habeat aliquod impedimentum pro tali officio obtinendo, dicunt Authores hujus propoſitionis, quòd iſte talis poſſet reſpondere cum mentali reſtrictione, nullo habito reſpectu ad exigentem veritatem occulti criminis, aut ad interrogantem; & aſſignant rationem, quia nemo tenetur fateri crimen occultum.

Oppugnatio Propoſitionis.

129 HUjuſmodi propoſitio non fuit damnata propter ultima verba, nimirum, *quia nemo tenetur fateri crimen occultum*, ut quidam putant; cùm in aliquibus caſibus poſſet quis crimen occultum non fateri; præſertim quando quis non eſt de occulto crimine probatus, ſed tantùm ſemiplenè probatus, & quidem ſi

T 2 per

per occultationem criminis poſſet periculum mortis evitare;ut dixi lib.de Juſt.& Jure diſp. 5. Ubi noto,quòd delicta alia ſunt capitalia, alia tantum civilia; capitalia ſunt, quæ pœna mortis, vel triremium, vel diuturni carceris ſunt punienda:civilia ſunt, quæ pœna pecuniaria, vel carceris,non diuturni, ſed per paucos dies ſunt punienda.Si quis à Judice legitimè interrogante de primis criminibus interrogaretur,& non eſſet convictus, & plenè probatus, non teneretur crimen occultum fateri; ſed per illa verba Scoti,ſupra relata, poſſet veritatem occultare,& quidem ſine mendacio,dicendo: *Nego propoſita pro ut proponuntur;quia proponuntur in publico, ut publica, & publicè probanda*; ut retuli num. 121. Si verò interrogatur de civilibus criminibus poſſet illa fateri; quia nullum notabile detrimentum ex tali confeſſione eveniret. At ſi Judex non interrogaret juridicè, non teneretur tunc veritatem fateri; quia extra judicium nemo habet poteſtatem interrogandi.

130 Quare iſta 28. propoſitio eſt damnata propter mentalem reſtrictionem, quam ponit licitam,& propter mendacium,& periurium, quæ interveniunt ex parte reſpondentis. Et quòd mentalis reſtrictio, mendacium, & periurium ſint illicita, conſtat ex dictis in duobus antecedentibus articulis: unde hìc aliud non reſtat addere, niſi concludere,quòd in nullo caſu ſit licita mentalis reſtrictio, imò expreſsè ab Inn. XI. prohibita; quia ex ea proximus decipitur; mendacium involuit; & ſi exhibeatur iuramentum, involuit etiam periurium.

ARTICVLVS XXIX.

Exponitur ſenſus vigeſimænonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimanona damnata Propoſitio. *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta, Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

131 Senſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd metus gravis, ut eſſet metus mortis, diuturni carceris &c. ſit juſta cauſa ſimulandi adminiſtrationem Sacramentorum. In qua propoſitione ſupponunt Authores ipſius, non eſſe per ſe licitum ſimulare adminiſtrationem Sacramentorum: ut proferre formam baptiſmi, ſine intentione baptizandi; proferre verba conſecrationis, ſine intentione conſecrandi; proferre verba abſolutionis, ſine intentione abſolvendi &c. vel verba ipſa variare,quæ ſpectant ad formam Sacramentorum; Sed ſolùm aſſerunt, quòd ex metu urgenti, & gravi poſſit licitè ſimulari adminiſtratio Sacramenti: & volunt, quòd ob gravem

gravem metum, mortis V. G. poſſet quis fingere ſe conſecrare hoſtiam, quam conſecratam petant ab eo hæretici, ad illam ludibrio exponendam; & ipſam non conſecrare. Idem dicendum in aliis Sacramentis quando adeſt gravis metus Sacramenta ſimulandi. Hoc autem, ut ſcandaloſum, & temerarium damnatum eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

132 Suppono, metum injuſtè incuſſum, alium eſſe gravem, qui ſcilicet cadit in virum conſtantem, & alium eſſe levem, qui non cadit in virum conſtantem. Metus gravis cadens in conſtantem virum eſt ille, quem vir conſtans, & fortis, prudenter, & rationabiliter concipit. Metus verò levis, non cadens in conſtantem virum, eſt ille, quem concipit vir puſillanimis, ut ſi eſſet fœmina, puer, ſenex &c. vel eſt ille, quem etiam vir fortis imprudenter, & irrationabiliter concipit. Primus metus, nimirum gravis cadens in conſtantem virũ, tunc habetur, quãdo malum, quod quis minatur, eſt in ſe, & ex natura ſua malum, ut eſſet mors, mutilatio membrorum, captivitas, perpetua carceratio &c. & aliunde, quod à viro forti, & conſtanti eligi non poſſit: & tandem, quòd malum, quod timetur, certò, & inevitabiliter immineat, ideſt ſecundùm prudentem, & fundatam æſtimationem. Vna ex his conditionibus deficientibus, metus non eſt gravis, ſed levis: ut ait Doctor noſter in 4. *diſt.* 39. *q.* 11. §. *hic dicitur.*

133 Inſuper noto, ſimulationem aliam eſſe formalem, quæ ſcilicet oritur ex intentione decipiendi per ſigna externa, quæ diverſum faciunt conceptum ex natura rei, ac eſt in intentione ſimulantis: & aliam eſſe materialem, quæ ſcilicet non oritur ex intentione decipiendi, licèt proximus decipiatur per aliqua ſigna externa indifferentia ad plura ſignificanda. Sit exemplum primæ ſimulationis. Fingat Sacerdos abſolvere Titium ſine intentione abſolvendi; quia Titius ſupponeret ſe abſolutum, & adſtantes audirent formam abſolutionis per ſe ſignificantem abſolutionem, iam iſti deciperentur; quia verba illa abſolutionis ſunt ſigna externa, quæ per ſe ſignificant abſolutionem: Et quia Sacerdos non habuit intentionem abſolvendi, ideò illa verba faciunt diverſum conceptum ab intentione ſimulantis. Sit exemplum ſecundæ ſimulationis: ſi quis, præter intentionem decipiendi proximum, coram idolo thus proiicit in thuribulum; quia thus illud eſt ſignum externum, ſignificans adorationem, Idolo præſtitam, & inſuper ſignificans ſuſceptionem odoris; ex hac materiali ſimulatione proximus deciperetur, ſupponens, thus illud eſſe in thuribulo poſitum, cauſa idololatriæ.

134 Quia

134 Quia utraque ſimulatio eſt mendacium ; iccircò per hanc damnatam propoſitionem utraque damnata eſt in materia adminiſtrandi Sacramenta, ut evidenter oſtendemus. Quapropter

135 Impugno nunc damnatam Propoſitionem. In nullo caſu poteſt eſſe licita ſimulatio, qua proximus decipitur, ſive ex intentione simulantis, sive præter ejus intentionem ; ſed per signa exteriora decipitur: inſuper ex qua oritur mendacium, & tandem irrogat Sacramento, & Deo maximam irreverentiam : Ergo urgens metus, quantumvis gravis, non excuſat à peccato in ſimulanda adminiſtratione Sacramentorum. Probatur iſta conſequentia; quia simulatio in quacunque Sacramentorum adminiſtratione, sive ex intentione, ſive præter intentionem ſimulantis, habet proximum decipere; cùm hic ſupponat per externa ſigna, Sacramentum eſſe adminiſtratum, & re vera per defectum formæ, vel intentionis, non eſt adminiſtratum (ut dictum eſt in caſibus poſitis num. 131.) Inſuper ex tali adminiſtratione mentitur; quia aliud externè facit, quod internè facere intendit. Et tandem ponit Deo, & Sacramentis irreverentiam; quia cùm ſimulatio in genere ſit vitioſa, & vitium ponat in Deo, & Sacramentis irreverentiam ; hinc eſt, quod ſimulatio in adminiſtratione Sacramentorum maximam Deo, & Sacramentis poneret irreverentiam.

Supponamus, Sacerdotem ex gravi metu moveri ad ſimulandam adminiſtrationem Euchariſtiæ publico infideli, coram fidelibus, ſive metus iſte ſit in virum non conſtantem, ſive in virum conſtantem, & iſte Sacerdos fingeret conſecrare panem, vel ipſum conſecraret, ſine animo, & intentione conſecrandi : in iſto caſu aſtantes deciperentur, quia putarent eſſe verum Sacramentum adminiſtratum: adminiſtrans mentiretur, quia ſigna externa non correſponderent conceptui interno. Et tandem Deo, & Sacramentis fieret iniuria propter exhibitam irreverentiam; quia Deus, & Sacramenta reverenter tractari debent. Idem dicendum eſt in quocunque caſu adminiſtrationis Sacramentorum ; cùm propoſitio damnata ſit univerſalis, & ſe extendat, nedum ad omnia Sacramenta, verùm etiam ad ſingulos caſus, qui occurrere poſſunt circa Sacramentorum adminiſtrationem. Hoc confirmatur doctrina Scoti loc. ſupra cit. his verbis: *Iſte metus, qui excuſat, eſt ille, qui poteſt cadere in conſtantem virum ſecundùm iura ; ſed in virum conſtantem non poteſt cadere metus maioris incommodi, quàm peccati mortalis. Tum etiam, quia nullus metus poteſt cadere rectè in aliquem, niſi ad ſubeundum minus malum, ut fugiat maius malum ; ſed pati quamcunque pœnam eſt minus malum, quàm peccare mortaliter*. Quod etiam probat de licito, & illicito, dicens: *Magis neceſſarium eſt vitare illicitum,*

citum, *quàm fugere pœnam*. Cùm ergo ſimulatio adminiſtrandi Sacramenta ſit illicita, & peccaminoſa, nequit, ob quemcunque metum, ſimulari Sacramentorum adminiſtratio.

136 Quod inſuper potiſſima doctrina confirmari poteſt ex quodam caſu propoſito coram Innocentio III. relato in cap. *de homine, de celebr. Miſſarum*: incip. *Quiſivîſtis, quid de incauto Presbytero videatur*. Caſus erat iſte: Sacerdos manebat ſub culpa mortali, & non poterat Miſſam omittere; omnes Miſſæ cæremonias peregit, ſed ſimulavit conſecrationem panis, & vini; panem ipſum, & vinum elevavit, & adoratum fuit ab aſtantibus; ſumpſit tandem Sacerdos panem non conſecratum, ſimulque vinum. Fuit caſus iſte propoſitus coram prædicto Pontifice, qui ſic reſpondit: *Cùm ergo falſa ſint abiicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora; licèt is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerit irreverenter ad illud; graviùs tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare; cùm ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat; iſte verò non ſolùm Deo (cui non veretur illudere) ſed populo, quem decipit, ſe adſtringat.*

Per quæ verba Innocentius declarat graviùs peccare, qui ſic Sacramentum Euchariſtiæ ſimulat: tum quia Deo illudit, tum etiam quia populum decipit, ut etiam exponit Gloſ. Hæc doctrina valet pro quacunque ſimulatione, qua Sacramenta ſimulantur, ſive quæ fiunt abſque intentione faciendi, ſive quæ putantur ab aliis facta; ſed formalis in eis, ex parte miniſtri, deficiat integritas. Neque metus, quocunque modo gravis, poteſt eſſe iuſta cauſa, Sacramenta ſimulandi; quia potiùs moriendum eſt, quàm Deum offendere, & proximum decipere.

ARTICVLVS XXX.

Exponitur ſenſus trigeſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſima damnata Propoſitio. *Fas eſt viro honorato, occidere, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat.*

137 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ſit licitum viro honorato, ſcilicet nobili, vel in dignitate conſtituto, occidere eum, qui ipſi calumniam infert: & hoc facere poteſt, quando non habet alium modum vitandi ignominiam, niſi calumniatorem occi-

occidendo. Iidem aſſerunt, eſſe licitum occidere eum, qui impingit alapam, vel fuſte percutit, & poſt percuſſionem, & alapam fugiat. Vtrunque ſcandaloſum, & erroneum eſt, & ſub aliis terminis damnatum fuit ab Alex. VII. in propoſit. 17., & 18., quæ videri poſſunt in primo tract. art. 17., & 18.

Oppugnatio Propoſitionis.

138 Suppono ex quadam doctrina à me tradita in lib. de Juſt. & Jure diſp. 5. ubi retuli has damnatas propoſitiones, calumniam eſſe injuſtam famæ, & honoris alterius denigrationem: undè ſi quis diceret, Petrum eſſe adulterum, homicidam, furem, &c. famam Petri injuſtè denigraret. Hæc nanque multoties creſcit ad incrementum, ſeu dignitatem perſonæ injuſtè calumniatæ: quare major eſt calumnia Principi, vel Prælato impoſita, quàm illa, quæ eſt impoſita Plebejo, vel Clerico. Suppono inſuper ex dictis ibidem, Invaſorem alium eſſe circa vitam, alium circa bona fortunæ, & alium circa famam, & honorem. Invaſor vitæ eſt ille, qui armis aptis ad occidendum, invadit. Invaſor bonorum eſt ille, qui armatus incedit ad bona alterius rapienda. Invaſor tandem honoris eſt ille, qui potiùs armis linguæ incedit, quàm armis offenſivis vitæ. Hoc dato diſcrimine inter unum, & alios invaſores, adverto, neminem licitè eſſe occidendum privata authoritate, niſi in occiſionis actu adhibeatur moderamen inculpatæ tutelæ; & omninò evitetur intentio, & actus ſumendi vindictam, & ultionem contra occidendum. Moderamen inculpatæ tutelæ ab omnibus Theologicis explicatur per hoc, quòd ſcilicet ex una parte actio ſit, ſaltem jure naturæ permiſſa, & in illo caſu non ſit lege poſitiva prohibita, ſive civili, ſive Eccleſiaſtica; & ex altera parte prudenter judicetur, non poſſe dari aliud medium effugiendi gravamen, quod certò quis eſt recepturus ab Invaſore. Per hoc diximus, quòd invaſus in vita, quando prudenter judicat, non poſſe alio medio vitam ſuam ſalvare, niſi invaſorem occidendo, poteſt licitè ipſum occidere, non intendendo primariò, & directè mortem invaſoris, ſed vitam propriam, quam cuſtodire, & ſalvare tenetur jure naturæ: & hoc non eſt, neque civili, neque Eccleſiaſtica lege prohibitum. Quòd ſi poſſet aliunde vitam ſalvare, vel fugiendo, vel clamando, ut auxilium ipſi invaſo præſtetur; tunc occiſio illa eſſet injuſta, & abſque moderamine inculpatæ tutelæ.

139 Ex qua doctrina nunc contra Authores damnatæ propoſitionis inſurgo. Eſt licitum occidere invaſorem, quia hic directè invadit in vitam, quam quis nullo modo ſalvare poſſet, ſine invaſoris

ris occiſione : Ergo ad tuendum honorem non eſt licitum invaſorem occidere. Probatur conſequentia: in tantùm eſt licitum occidere invaſorem vitæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ, in quantùm invaſus in vita manet in actuali conflictu, non terminato, nec terminando, niſi per mortem unius ex pugnantibus; Sed quando quis eſt invaſus in honore per calumniam, jam conflictus eſt terminatus, & injuria eſt à patiente recepta: Ergo non poſſet aſſignari juſta cauſa calumniatorem occidendi; neque prudenter quis poſſet judicare, occiſionem calumniatoris eſſe modum licitum evadendi potiùs injuriam. Imò poſſet prudens aſſerere, occiſionem illam eſſe factam in vindictam, quàm in honoris defenſionē. Ultraquamquòd: ſi invaſus in vita eſſet tantùm mutilatus, vel tantùm vulnus reciperet, etiam mortale, & invaſor fugeret; quia tunc eſſet terminata pugna, non poſſet fugientem invaſorem inſequi: præſertim quia jam poſuit vitam ſuam in tuto: aliàs (ut dicunt Doctores, & Theologi ferè omnes) potiùs eſſet vindicta, quàm iuſta defenſio: Ergo etiam, quia ille, qui calumniam recepit, non eſt in actuali pugna poſitus, ſed ſupponitur iam terminata; ſi occideret ſui honoris invaſorem, vel inſequeretur eum, qui ei alapam impegit, vel fuſte percuſſit; non diceretur ſui honoris defenſor, ſed ultor receptæ iniuriæ.

140 Hoc unum noto: ſi accederet Titius ad Caium virum honoratum cum fuſte, vel baculo, animo Caium verberandi, vel ſaltem illum iniuriandi verbis contumelioſis, ſolùm eſt licitum Caio ferrum impugnare contra Titium ſui honoris invaſorem; quia tunc eſt uterque in initio pugnæ: ſi Titius fugeret, non percutiendo Caium, ex timore ſumpto propter ferrum contra ipſum impugnatum; tunc terminata eſt pugna, & non eſt licitum Caio invaſo inſequi Titium fugientem. Si Titius iam percuſſerit Caium, & ſtatim fugeret, idem dicendum eſt: non licere Caio inſequi Titium fugientem; quia pugna per fugam Titii eſt terminata. Si verò Titius invaſor arma etiam occiſiva impugnaret contra Caium, & hic non poſſet vitam ſuam ſalvare, niſi cum occiſione Titii; tunc (ſalvis conditionibus de moderamine inculpatæ tutelæ) licitum eſt Caio Titium occidere: & in hoc caſu, quamvis pugna inceperit propter honorem tuendū, terminata tamen fuit propter vitam ſalvandam; nam acceſſus Titii ad Caium fuit circa honorem; ſed fortuitò, & caſualiter terminata fuit pugna in invaſione vitæ. Ex his ergo patet falſitas utriuſque partis damnatæ propoſitionis, tam circa honorem per calumniam, quàm per fuſtem, vel alapam. Et hoc Innocentii decretum quamque perſonam honoratam comprehendit, tum Eccleſiaſticam, tum ſecularem. Reliqua videri poſſunt in impugnatione 17. & 18. prop. quæ damnatæ fuerunt ab Alex. VII.

V ARTI-

ARTICVLVS XXXI.

Exponitur ſenſus trigeſimæprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaprima damnata Propoſitio. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.*

141 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quemlibet ita teneri ad conſervationem ſuorum bonorum, ut licitum ſit occidere furem pro unius aurei conſervatione. Quod nimis durum videtur, & contra Chriſtianam pietatem.

Oppugnatio Propoſitionis.

142 IN hac re ſuppono, furem non eſſe idem, ac raptorem: hic nanque eſt ille, qui in præſentia Domini, vel Cuſtodis rem alienam ſurripit: ille verò eſt, qui clam, & non in domini præſentia aliena ſurripit. Noto hic pro majori notitia hujus damnatæ propoſitionis, quòd Jure communi fur non punitur pœna mortis, ſi non ſit ſimul fur, & invaſor, vel fur continuus, vel fur famoſus, graſſator viarum; quod patet *ex Auth.*ut *Nulli Judicum. §.fin. coll. 9.* ubi Imperator Juſtinianus ſic ait: *Pro furto nolumus omninò, quodlibet membrum abſcindi, aut mori; ſed aliter caſtigari.* Et in hoc Regno Neapolitano (relictis determinationibus aliorum Regnorum) pro furto infra ſex ducatos, ſi eſt primum furtum, fuſtigatione, aut ſaltem triremium pœna punitur: *ut colligitur ex cap. ad hoc quò ad noſtrum.* Hoc ipſum tenet Doctor noſter Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. per totam, loquendo de ſolo furto, & ſimplici fure, ſecus verò de Malefactore, qui pœna mortis puniendus eſt, etiam attenta lege communi. His itaque notatis,

143 Suppono inſuper, poſſe invaſum in bonis fortunæ (ſi ſecularis eſt) ſe defendere, etiam defensione occisiva, ab iniuſto invaſore, quando illa bona ſunt ita neceſſaria invaſo, ut sine ipsis non poſſet abſolutè vivere, nec ipſe, nec ſua familia; unde sine ipsis extremè indigeret. At in hoc invaſus debet ſervare moderamen inculpatæ tutelæ, ita ut, si haberet alium modum bona ſua ſalvandi, vel poſſit honeſtè sine illis vivere, non ſit ei licitum, injuſtum invaſorem ſuorum bonorum occidere. Et poteſt etiam ipſum invaſorem inſequi, donec bona ſua recuperet: quòd ſi invaſus ſe poſuit in tuto; quia pugna jam terminata eſt, non poteſt tunc invaſus occidere invaſorem.

144 Nunc

144 Nunc ſic impugno damnatam Propoſitionem : Hæc damnata propoſitio nullam facit mentionem de invaſore unius aurei: Ergo in quacunque ſuppoſitione, quando fur non eſt invaſor illius aurei; & aliunde ille,cui aureus furto ſublatus eſt,non eget pro ſuæ vitæ ſuſtentatione, illo aureo, non poteſt furem occidere,pro aureo illo conſervando. Probatur conſequentia: vel ille, qui vult aureum illum conſervare,eſt extremè indigens , ita ut ſine ipſo aureo eſſet in evidenti periculo ſuæ vitæ, & familiæ; quia ipſo aureo præciſo, non haberet unde poſſet ſuſtentari: vel non eſſet extremè indigens, ſed ſine illo poſſet honeſtè vivere. Si dicatur primum, duo infero: primum,quòd tunc fur non eſſet tantùm fur, ſed præſumeretur invaſor,& ſic poſſet licitè occidi , quando invaſus non habet alium modum rem ſuam ſalvandi, ſine invaſoris occiſione, ut dictum eſt num. 143. Secundum,quod infero eſt, quòd regulariter occidi non poteſt fur pro conſervatione unius aurei, ſed ſolùm in caſu urgentis, & extremæ neceſſitatis ejus, qui dominus eſt illius aurei: Nam ly *regulariter* ampliat caſum,& non reſtringit illum ad ſolam neceſſitatem extremam. Si verò dicatur ſecundum; & hoc impium eſt, poſtponere ſcilicet vitam hominis pro uno aureo, quando illo non indiget, & ſine ipſo commodè, & honeſtè vivere poſſit:crudele eſt, plus unum aureum amare , quàm vitam unius hominis . Pietati Chriſtianæ obnoxium eſt, magis unum aureum æſtimare ; quàm proximi vitam. Vnde concludo, regulariter illicitum, impiumque eſſe,occidere furem pro unius aurei conſervatione.

ARTICVLVS XXXII.

Exponitur ſenſus trigeſimæſecundæ Propoſitionis,& ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaſecunda damnata Propoſitio. *Non ſolùm licitum eſt, defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus; ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.*

145 SEnſus hujus propoſitionis damnatæ tres continet partes : Prima, quòd ſit licitum defendere,defenſione occiſiva,quæ actu poſſidemus. Secunda, quòd etiam ſit licitum eadem occiſiva defenſione defendere bona illa,ad quæ jus inchoatum habemus; ut ad hæreditatem &c. Tertia tãdem, quòd etiam hoc ſit licitum,quãdo ſperamus aliquid poſſeſſuros eſſe, & ab alio ſit impeditum. Propoſitio quò ad ſecundam, & tertiam partem eſt abſolutè damnata. Quò ad primam verò(excepto caſu injuſti invaſoris bonorum,quæ

neceſſaria ſunt ſuſtentationi, cum moderamine inculpatæ tutelæ) eſt etiam damnata. Hujuſmodi propoſitio cohæret etiam propoſitionibus 17., & 18. damnatis ab Alex. VII.

Oppugnatio Propoſitionis.

146 Illa bona actu poſſidemus, ad quæ jus in re, & actuale habemus, de illis ad noſtrum beneplacitum diſponendi. Bona verò, ad quæ jus inchoatum habemus, ſunt illa, quæ non actu cadunt ſub noſtrâ poteſtatē; ſed debent cadere, vel ex hæreditate, vel donatione, vel beneficio, vel aliquo alio juſto titulo illa poſſidendi: unde filiusfamilias ad hæreditatem paternam jus inchoatum habet; quia poſt mortem Patris ad hæreditatem illam ſuccedit. Ita pariter, ſi alicui fuiſſet facta donatio, antequam res illa tradatur Donatario, hic jus inchoatum habet ad rem illam ſibi donatam. Bona tandem, quæ nos poſſeſſuros ſperamus, ſunt nedum iſta, ad quæ jus inchoatum habemus; cùm hoc jus inchoatum dicatur etiam jus in ſpe; ſed etiam ſunt illa bona, quæ ratione conſanguinitatis, affinitatis, amicitiæ, & benevolentiæ, ſperantur. Authores nanque hujus propoſitionis volunt, quòd hæc tria bona defendi poſſunt defenſione occiſiva.

147 Contra quos, ſingulas partes damnatæ propoſitionis impugno. Quò ad primam ſic: (excepto caſu invaſionis bonorum, quæ neceſſaria ſunt vitæ ſuſtentationi, & quæ aliunde tueri non poſſunt) non eſt licitum defendere bona, quæ actu poſſidentur, quando non adeſt certitudo, & evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ; Sed in defenſione occiſiva eorum, quæ poſſidemus, non poteſt in tali defenſione dari certitudo, & evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ: Ergo, excepto caſu neceſſitatis extremæ, cum evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ, nō eſt licitum defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus. Major eſt nota. Probatur minor: ſupponamus duo. Primum, quòd Titius rapiat centum à Cajo, & fugiat, & fugiendo ſe ponat in tuto. Si Cajus poſtquam videret Titium, velit, pro recuperanda ſumma centenaria, occidere Titium; jam non haberetur certitudo, & evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ; imò haberetur certitudo, quod id faciat ex vindicta, & odio erga Titium concepto; nam evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ haberetur, tum ex indigentia Caii (quam libenter ſupponimus) tum ex deficientia alterius medii defendendi ſummam illam ſublatam; Sed in caſu poſito adeſt aliud medium res ſuas tuendi abſque occiſione Titii; ſcilicet compellendi ſurreptorem apud Judicem, ut redditionem faciat: Ergo in hoc caſu, ſi Titius occide-

cideretur, non poſſet dari certitudo, & evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ.

148 Secundum ſit. Titius eſt in pacifica poſſeſſione ſuorum bonorum, & certò ſciat, rem illam eſſe ſuam: compellatur à Cajo apud Judicem, & quidem injuſtè, & cum evidenti injuſtitia: decernat Judex, rem illam Titii tradendam eſſe Cajo; tunc ſi Titius ad rem ſuam tuendam occidat Cajum, vel Judicem, jam non moveretur ad talem occiſionem ex certitudine, & evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ; ſed ex vindicta, pro recepta iniuſtitia; Sed nemo poteſt licitè ſe defendere defenſione occiſiva, quando non adeſt huiuſmodi certitudo moderaminis inculpatæ tutelæ: Ergo regulariter loquendo, non eſt licitum defenſione occiſiva defendere, quæ actu poſſidemus.

149 Quò ad ſecundam, & tertiam partem, eodem argumento impugnari poteſt damnata propoſitio; nam ſupponamus, Titium habere jus inchoatum ad rem aliquam, vel ſpem ad rem aliquam poſſidendam, & à Cajo impediatur: ſi Cajum occideret, nequit aſſignari evidentia moderaminis inculpatæ tutelæ; cùm ad Jura particularia tuenda, ſive in iis, quæ poſſidemus, ſive in iis, ad quæ jus habemus, vel quæ poſſidenda ſperamus, detur jus publicum, ut quando quis iniuriam alteri facit, ſive rem alienam ſurripiendo, ſive illam injuſtè impediendo, ad talem iniuriam puniendam ius habet Reſpublica; ita ut licitum non ſit privata authoritate, iniuriam illam punire, & vindicare: Ergo jura humana nequeunt privata authoritate defendi, cùm hoc ſit omninò legibus interdictum: Ergo non poteſt quis defenſione occiſiva defendere, quæ actu poſſidemus, neque ea, ad quæ ius inchoatum habemus, vel poſſeſſidenda ſperamus.

ARTICVLVS XXXIII.

Exponitur ſenſus trigeſimætertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimatertia damnata Propoſitio. *Licitum eſt, tam hæredi, quàm Legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere; ſicut jus habenti in Cathedram, vel præbendam, contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.*

150 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis ſequitur ex tribus ſuperioribus propoſitionibus, & dicunt Authores iſtius, quòd

ſit

ſit licitum hæredi, & Legatario, occidere eum, qui injuſtè impedit ipſos ab hæreditate conſequenda, & à legato; & hoc ad hæreditatem defendendam, & legatum. Sic pariter aſſerunt, quòd ſi quis haberet jus per examen, & concurſum ad Cathedram, vel ad præbendam, & quodcunque aliud beneficium, ut illud ius defendat, poſſit licitè iniuſtè impedientem occidere. At utrunque ſcandaloſum eſt, & contra jus publicum, ut oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

151 ADverto, hæredem illum eſſe, qui ſuccedit, ſive naturaliter, ſive ex teſtamento ad aliquam hæreditatem; ita ut ſi quis ab inteſtato moreretur, filii ejus naturaliter ad hæreditatem illam ſuccederent in primo loco: ſi defunctus filios non haberet, tunc ſuccederent Pater, & Mater eius: ſi nec Patrem, nec Matrem haberet, ſuccederent fratres, & ſorores: & tandem ſi nec fratres, nec ſorores haberet, ſuccederent nepotes (facta tamen inter eos graduatione). Hæres verò ex teſtamento eſt ille, qui ſic eſt conſtitutus à faciente teſtamentum, ſive hæres ſit filius, ſive affinis, ſive amicus, &c. Adverto inſuper, Legatarium illum eſſe, qui Legato facto ſuccedit ad aliquid poſſidendum, adimpletis tamen omnibus conditionibus Legato adjectis. His notatis,

152 Adverto inſuper, quòd tunc quis acquirit ius ad Cathedram, vel ad præbendam, quando peracto examine habito per concurſum, reputatus eſt ceteris dignior ad Cathedram, vel ad præbēdam obtinendam; ita ut ſi ab eo auferatur, vel impediatur, tunc auferens, vel impediens, nedum contra iuſtitiam diſtributivam, ſed etiam contra commutativam peccaret; & inſuper ad reſtitutionem teneretur (ut dixi in 6., & 7. diſp. de Juſt., & Jure).

153 Adverto tandem, quòd tunc dicitur, unum impedire alterum iniuſtè, quando doloſè agit, impediendo, & ex intentione damnificandi eum, qui ſperat hæreditatem, legatū &c. vel ius acquirit ad Cathedram, præbendam &c. ſi verò quis impediendo alterum, ne hæreditas adeatur, vel ne ſuſcipiat Cathedram, vel præbendam, hoc faciat, abſque intentione damnificandi illum, ſed ex intentione conſulendi utilitati ſuæ; quia unuſquiſque habet ius ad ſibi utilitatem faciendam; tunc impediens alterum, non diceretur iniuſtè impedire. Hanc doctrinam tenet Doctor noſter Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. *Dico ergo*, circa medium, his verbis: *Ad ultimum dico ſimiliter, quòd iſte tenetur reſtituere Beneficium, non totum, quia multum intereſt inter habere, & propè eſſe; ſed aliquam portionem correſpondentem alicui parti valoris Beneficii, & hoc ſi directè abſtulit ſibi*

Bene-

Beneficium, intentione damnificandi eum. Si autem indirectè, ſcilicet procurando ſibi ipſi, & cum hoc etiam damnificare alium intendebat, tenetur, ut dixi. Et ſubdit immediatè. *Sed ſi tantummodò propriæ utilitati intendebat providere, & ſic procurat ſibi, & ex conſequenti alius, præter intentionem illius, damnificatur; iſte ad nihil tenetur illi, quia licet unicuique ſibi ipſi providere, alio neglecto*. Ex quibus verbis infertur, quòd tunc quis dicitur iniuſtè alium impedire à conſecutione alicuius boni, quando impedit ex intentione illum damnificandi: at quando alium impedit, non ex intentione illum damnificandi, ſed providendi propriæ utilitati; tunc non impedit iniuſtè; quia ut ſibi provideat, ius habet ad ſibi providendum. His omnibus conſideratis,

154 Impugno nunc damnatam propoſitionē; & quidem ex duobus principiis propoſitis in ſuperioribus articulis. Ubi nequit dari iudiciū prudens de moderamine inculpatæ tutelæ in actione aliqua morali, præſertim quando eſt circa mortē proximi; actio illa nequit eſſe licita; Sed nequit dari iudiciū prudens de tali moderamine, ſi quis ad defendēdā impeditam ſuam hæreditatem, vel legatum, vel Cathedram, vel præbēdam occideret impedientē: Ergo nequit eſſe licitum defendere defenſione occiſiva hæreditatem, vel legatum, vel Cathedram, vel præbendam, quæ ſunt iniuſtè impedita. Probatur minor: iudicium prudens in tali impedimento, nequit eſſe pro offenſo iniuſtè, & impedito ad hæreditatem, legatum &c. quia quilibet iudicare poteſt, quòd ius commune inſervit ad cauſas particulares inter Cives iudicandas, & decernendas. Quare qui defenſione occiſiva hæreditatem &c. defenderet, eſſet ab omnibus imputabilis, quòd ſcilicet non ſe defenderet; ſed quòd vindictam ſumeret. Deinde: Nulla lex, nec humana, nec divina decernit, quòd iniuria, quæ eſt recepta, tueri debeat ferro, & armis; ſed præcipit, ut tueatur iure publico à poteſtatem habente: Ergo nemini eſt licitum privata authoritate ſe defendere defenſione occiſiva ab eo, qui impedit, ne hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur; vel impedit à conſecutione Cathedræ, vel præbendæ. Hanc damnatam propoſitionem impugnare potes rationibus, quibus impugnatæ fuerunt propoſ. 30. 31., & 32.

ARTI-

ARTICVLVS XXXIV.

Exponitur ſenſus trigeſimæquartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaquarta damnata Propoſitio: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

155 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ad ſalvandam infamiam, & vitam puellæ gravidæ, quæ oriri poſſent, ſi cognoſceretur gravida, ſit licitum procurare abortum fœtus inanimati.

Oppugnatio Propoſitionis.

156 SVppono, varia eſſe Doctorum placita circa tempus animationis fœtus. At omnium placitis circa hoc relictis, adverto, fœtum animari in utero matris, poſtquam eſt perfectè formatus: & quandiu non eſt perfectè formatus, nec perfectè organizatus, caret anima rationali. Adverto inſuper, non poſſe evidenter cognoſci in primo gravidationis menſe, an fœtus exiſtens in utero matris ſit perfectè organizatus, vel non. Quare in primo menſe dubitari poteſt de animatione, vel non animatione fœtus. Quo dubio ſtante, nemo poteſt ſe exponere periculo occidendi fœtum, ſaltem probabiliter animatum. In aliquo nanque caſu, quando certò exiſtimatur, fœtum non eſſe animatum, poteſt licitè fœtus occidi; ſed non ex primaria intentione ipſum occidendi, ſed tantùm indirectè; ut ſi mater eſſet posita in evidenti mortis periculo; tunc poſſent medici adhibere medicamenta, non directè expulsiva fœtus, ſed directè tendentia ad ſalutem matris, quæ primariò intendi debet. Quod conſtat primò ex eo, quòd fœtus inanimatus eſt aggreſſor matris positæ in tali periculo, ita ut sine fœtus inanimati occisione vitam ſuam ſalvare non poteſt; imò in hoc mater adhibet moderamen inculpatæ tutelæ, quia alio medio vitam ſuam ſalvare non poteſt. Secundò, quia maius ius ad vitam ſuam habet mater, quàm filius non adhuc animatus: nam mater habet ius in re, & poſſeſſiuum; filius verò habet tantùm ius inchoatum ad vitam, quod non eſt ius in re, & poſſeſſiuum. Tertiò in tali conflictu inter matrem conſtitutam in periculo vitæ, & filium inanimatum, mater habet ſpem evadendi periculum ſuæ vitæ, cum fœtus inanimati occisione, & filius per mortem matris nullam ſpem habet, habendi, nec vitam, nec anima-

animationem. Et quia maius eſt jus, in eo, qui habet ſpem retinendi, quod habet, licèt ipſe per infirmitatem ſit mortis periculo expoſitus, quàm in eo, qui nullam habet ſpem poſſidendi vitam; ideo poteſt mater in caſu periculi mortis (quando tamen habeatur certitudo, quòd fœtus non ſit animatus) licitè fœtum expellere, ad vitam ſuam ſalvandam. Alias rationes ad hoc probandum adduxi in lib. de Juſt., & Jure diſp. 5. q. 9., ubi dixi, in nullo caſu, etiam periculi vitæ matris, licere occidere fœtum animatum; licere tamen expellere fœtum inanimatum ad vitandum matris periculum.

157 His notatis, quia in damnata propoſitione Authores ipſius, aſſerũt, ut cauſam excuſantem à culpa, infamiã puellæ, vel periculum extrinſecũ vitæ eius, quando à parentibus deprehenſa gravida occidi poterit; ideo volunt iſta motiva eſſe ſufficientia ad licitè procurandum abortum inanimatum. Quod omninò ſcandaloſum, & temerarium eſſe videtur. Vnde

158 Impugno hanc damnatam propoſitionem eodem medio, quo ipſam impugnavi loco ſupra cit. Ad ſalvandam famam, & vitam puellæ, ſi gravida deprehenderetur, non datur iuſta cauſa procurandi abortum fœtus inanimati: Ergo non eſt licitum ad famam, & vitam puellæ ſalvandam procurare abortum fœtus inanimati. Probatur antecedens: tunc daretur iſta cauſa iuſta, quando aliunde infamia, & vita puellæ ſalvari non poſſet. Et etiamſi nullatenus ſalvari poſſet (ut infra probabo) neque poteſt licitè abortus procurari, ad famam, & vitam ſalvandam. Sed aliunde poteſt ſalvari fama, & vita puellæ abſque occiſione fœtus inanimati: Vt ſi puella adiret Epiſcopum, vel Confeſſarium, vel virum prudentem, ut antequam à parentibus deprehendatur gravida, illam ponat in Monaſterio, vel in alio loco tuto, quo modo evitaret ſimul infamiam, & periculum propriæ mortis: Ergo non eſt recurrendum ad occiſionem fœtus inanimati, ad ſalvandam infamiam, & vitam matris. Deinde: eſtò non daretur medium ad ſalvandam vitam, & infamiam matris, adhuc tamen fœtus ipſe inanimatus non eſſet in tali caſu aggreſſor vitæ, & famæ matris (imò ſi ſolius famæ eſſet aggreſſor, non poſſet mater licitè aggreſſorem ſuæ famæ occidere, ut propugnatum eſt in præcedentibus articulis). Sed nemo poteſt licitè ſe defendere ab eo, qui non eſt aggreſſor: Ergo nequit licitè mater fœtum inanimatum occidere, ad ſuam famam, & vitam ſalvandam: Ergo puella, timore ducta, ne gravida deprehendatur, & per hoc poneretur in periculo vitæ, & famæ, non poſſet licitè abortum fœtus inanimati procurare; præſertim quia periculum illud vitæ (de quo eſſet maior difficultas) eſſet omninò remotum, evitabile, & ab extrinſeco.

ARTICVLVS XXXV.

Exponitur ſenſus trigeſimæquintæ Propoſitionis; & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaquinta damnata Propoſitio. *Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc incipere eandem habere, cùm paritur; ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

159 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, aſſerere, in nullo abortu committi homicidium, eo quia ſit probabile, quòd quandiù fœtus ſit in utero matris, careat anima rationali; & quòd hæc infundatur, dum fœtus paritur. At probabilitas hæc caret omni fundamento,& ſic conſequens deductum, eſt ſcandaloſum, & temerarium, quòd ſcilicet non committatur homicidium,dum fœtus occidatur in utero matris.

Oppugnatio Propoſitionis.

160 IN citata diſp.5. q.9. lib. de Iuſt., & Iure, impugnando hanc damnatam propoſitionem, dixi, ipſam eſſe falſam in terminis, & ex praxi. Quæ ibi dicta ſunt, hìc ad verbum referam, ipſam damnatam propoſitionem impugnando.

161 Primò ſic: multoties accidit, fœtum in lucem prodire poſt ſeptem menſes, poſt quinque, & etiam poſt quartum menſem; & propter aliqua ſigna vitæ, & motus, & etiam perfectam ipſius organizationem, baptizatur. Sed baptiſmus nequit dari in fœtu mortuo, ſed vivo: Ergo falſum eſt, quòd fœtus animam rationalem recipit,quando prodit in lucem: nam his caſibus jam contra naturæ ordinem in lucem prodiret. Addo: multi ex his,qui naſcuntur ante novem menſes, ſupervivunt; at ex opinione illa, quam Authores damnatæ propoſitionis putant probabilem, eſſet falſum: Ergo iam in utero matris fœtus animatur, antequam in lucem prodeat. Sed hoc dato, qui occideret fœtum animatum, committeret homicidium: Ergo homicidium committitur in abortu animato.

162 Secundò: huiuſmodi aſſertio obſtat Sacræ Scripturæ Lucæ primo,de D.Ioanne Baptiſta, in utero matris ſanctificato: *Exultavit Infans in utero ejus. Spiritu Sancto replebitur, adhuc in utero matris ſuæ.* Sed non poteſt ſanctificari corpus inanimatum, nec conſequenter Spiritu Sancto repleri: Ergo in utero matris D.Ioannes

nes animam habebat: Ergo idem dicendum eſt de quocunque fœtu. Quare videtur, nullam eſſe rationem; ſed puram ſtultitiam, aſſerere, fœtum, dum manet in utero matris, non eſſe animatum.

163 Patet etiam falſitas illationis ex hac exiſtimata probabili opinione, quòd ſcilicet in nullo abortu committatur homicidium: nam etiamſi concederetur (quod nunquam concedere licitum eſt, ut dixi) quòd ſcilicet fœtus non ſit animatus, dum manet in utero matris, adhuc non ſequeretur illud conſequens: *Ergo in nullo abortu committur homicidium.* Probatur hoc aſſumptum ex regulis Dialecticæ. Ex antecedenti probabili non ſequitur conſequens abſolutum; ſed ad ſummum ſequitur conſequens etiam probabile. Ex hoc nanque antecedenti, ſcilicet: *Quod video à longe, probabile eſt eſſe feram*; non poteſt ſequi iſtud conſequens: *Ergo mihi licitum eſt illam occidere.* Ratio huius eſt, quia cum probabilitate antecedentis, ſtat etiam probabilitas ad oppoſitum eius, nimirum, quòd non ſit fera, ſed homo: in quo caſu mihi licitum non eſt occidere hominem. Sic in caſu dicendum; quia cum probabilitate huius antecedentis, ſcilicet, *probabile eſt fœtum, quandiù eſt in utero matris, non eſſe animatum*, ſtat etiam probabilitas quòd ſit animatus: contra dialecticæ Regulam infertur ex illo antecedenti probabili conſequens illud, *quòd in nullo abortu committatur homicidium*; ſed per vim illativam hoc directè ſequi deberet: *Ergo probabile eſt, quòd in nullo abortu committatur homicidium.* Quod conſequens ſic illatum etiam damnationi ſubiaceret.

ARTICVLVS XXXVI.

Exponitur ſenſus trigeſimæſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaſexta damnata Propoſitio. *Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

164 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd furtum ſit licitum, tam in neceſſitate extrema, quàm in neceſſitate gravi. Unde Authores huius propoſitionis non ſolùm ponunt licitum furtum in his neceſſitatibus, ſed inferunt conſequenter, quòd quandoque ſit licitum. Quare eſtò prima pars, ſi ſub aliis terminis exprimatur, non ſit damnata, & pro ipſa ſtet ius naturæ, cùm in extrema neceſſitate omnia ſint communia: tamen ſub hoc termino *furari*, eſt damnata, ut infra conſtabit.

Oppugnatio Propoſitionis.

165 PLura ſupponenda ſunt pro maiori intelligentia. Primò, *furtum eſſe iniuſtam acceptionem, & detentionem, & quidem occultam, rei alienæ, invito Domino rationabiliter.* Vbi per ly *occultam*, furtum à rapina diſtinguitur: cùm rapina *ſit rei alienæ iniuſta occupatio cum violentia*, ut dicit Scotus noſter in 4. diſt. 15. q. 2. art. 3. Secundò ſuppono, quòd niſi parvitas materiæ, præciſa omni circumſtantia gravante, excuſet à peccato mortali, ſemper furtum ex genere ſuo peccatum mortale eſt. Et eſtò quis ob parvitatem materiæ quandoque à mortali peccato excuſetur, tamen non excuſatur ſaltem à veniali, ratione actionis furandi, quæ per ſe illicita eſt. Tertiò ſuppono, illam eſſe extremam neceſſitatem, propter quam quis conſtitutus eſt in evidenti periculo ſuæ vitæ ex carentia neceſſarii ad ſuam, & ſuæ familiæ ſuſtentationem: illam verò eſſe neceſſitatem gravem, propter quam quis non eſt in evidenti periculo ſuæ vitæ, ſed tantùm caret neceſſario, ad commodè, & honeſtè vivendum. Exemplum primæ neceſſitatis: ſit Titius conſtitutus ſub carentia victus, & veſtimenti, ita ut nullum habeat medium, quo vivere poſſit, & veſtiri; imò ex tali carentia poſitus ſit in evidenti mortis periculo; in hoc caſu Titius diceretur extremè indigere. Exemplum ſecundæ neceſſitatis, ſcilicet gravis: ſit Titius conſtitutus ſub carentia victus, & veſtimenti condecentis ad ſuum ſtatum; habeatque tamen neceſſarium ad ſimpliciter ſuam vitam ſuſtentandam; in hoc caſu Titius diceretur graviter indigere, & non extremè; quia ſupponitur habere neceſſarium ad vitæ ſuſtẽtationem.

166 His ſuppoſitis, adverto, quòd (ut dixi diſp 6. de Iuſt. & Iure) conſtituto in extrema neceſſitate licitum eſt aliena ſurripere, quæ ſcilicet actu ſunt ſub alterius dominio, non tanquam propria illius, cui ſurripiuntur, ſed ut communia extremè indigentibus; nam in tali neceſſitate militat pro omnibus jus naturale contra ius gentium; & quæcunque bona in tali neceſſitate extrema fiunt primò capientis. Quare in tali neceſſitate aliena ſurripere, non eſt furari; cùm furari ſit actio iniuſtæ acceptionis rei alienæ, invito rationabiliter Domino: & ſurripere aliena, eſt actio juſtæ acceptionis rei communis, non invito rationabiliter Domino: quia non ſupponitur rationabiliter invitus, qui rem illam poſſidet, ut communem extremè indigentibus, & quidem communem Iure naturæ. Notanter dixi num. 164. quòd propoſitio ſit damnata etiam quò ad primam partem, quia permittit licitum furtum in extrema neceſſitate; in qua re vera, etſi licitum ſit aliena ſurripere tanquam communia, non eſt tamen

tamen licitum furari ea; quia furtum per ſe, & ex genere ſuo illicitum eſt.

167 Impugno nunc hanc primam partem propoſitionis damnatæ, in qua dicebatur quòd ſit permiſſum furari in extrema neceſſitate. In nullo caſu licitum eſt furtum, imò eſt abſolutè prohibitum in ſeptimo Decalogi præcepto: Ergo neque in extrema neceſſitate permiſſum eſt furari; aliàs in hac neceſſitate eſſet licitum furari. Probatur aſſumptum primò, quia quod eſt in ſuo formali conceptu peccatum, eſt omninò illicitum; ſed furtum eſt ex ſuo formali conceptu peccatum, & intrinſecè malum; cùm ſit contra præceptum: Ergo eſt omninò illicitum. Secundò, ex 1. Corint. 5. ait Apoſtolus. *Fures Regnum Dei non poſſidebunt.*

168 Ad omnem ſcrupulum tollendum in hac re, noto, aliud eſſe, *permiſſum eſt in extrema neceſſitate aliena accipere, & ſurripere, ut ſuæ provideat neceſſitati*: & aliud eſſe, *permiſſum eſt in extrema neceſſitate furari*. Primum conceditur ab omnibus Theologis; quia actio illa ſurreptionis, ad ſuæ providendum neceſſitati, non eſt furtum; neque qui ſic aliena ſurripit, diceretur fur: nam ut dicit Sanctus Thomas; *licitè poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire; ſive manifeſtè, ſive occultè ſublatis, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ.* Secundum negari debet, quia furtum, ut tale, eſt omninò prohibitum, eſtq; intrinſecè malum. Quare fit, quòd ſi quis conſtitutus in extrema neceſſitate aliena ſurriperet, animo furandi, quamvis jus habeat ad ſuæ providendum neceſſitati, quia tamen intentio prava eſt, jam furtum committeret. Si verò in illa ſurriperet tantùm, ut ſuæ provideat neceſſitati, abſq; animo furandi, tunc furtum non committeret. Primum in hac propoſitione eſt dãnatum; ſecundum non eſt damnatum.

169 Impugno nunc ſecundam partem damnatæ propoſitionis. Primò rationibus ſupra adductis, quòd non ſit licitum furtum. Secundo ſic: Ei permiſſum eſt aliena ſurripere, qui jus naturale habet ad illa; Sed qui manet tantùm in gravi neceſſitate non habet jus naturale ad aliena; quia jus naturale ſe extendit ad vitam conſervandam, & quidem ſimplicitèr conſervandam, non ad illam conſervandam commodè, & honeſtè: Ergo non poteſt quis, conſtitutus in gravi tantùm neceſſitate, aliena ſurripere; aliàs diceretur iniuſtus retentor rei alienæ. Tertiò: hoc ipſum expreſsè deducitur ex *cap. ſi quis, de furtis. Si quis ob neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, aut pecus, pæniteat hebdomadas tres, & ſi reddiderit, non cogatur jejunare.* Ex quibus verbis deducitur, furtum non eſſe permiſſum in quacunq; neceſſitate; aliàs non fuiſſet pro eo pœnitentia impoſita; ut colligitur ex illis verbis *pæniteat hebdomadas*

das tres. Concludendum eſt igitur, ſupradictam propoſitionem fuiſſe damnatam, quia directè videtur militare contra ſeptimum Decalogi præceptum: *Non furtum facies*; ex eo quòd permittit furtum in his neceſſitatibus, & præſertim in gravi, ratione cuius nemo jus habet ad rem alienam.

ARTICULUS XXXVII.

Exponitur ſenſus trigeſimæſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaſeptima damnata propoſitio. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere, ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

170 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, permittere famulis & famulabus poſſe committere furtum, ſurripiendo rem aliquam propriis Dominis, ſive ſimul, ſive ſucceſſivè, quando non obſtante pacto inito inter famulum, & Dominum, judicet famulus, ſalarium eſſe minus, & non æquivalens laboribus præſtitis. Ut ſi Titius pactum iniit cum Caio domino recipiendi quinque aureos ſingulis menſibus pro ſalario ſuorum laborum; & quia Titius judicat, hoc ſalarium eſſe tenue, & non æquivalens laboribus ſuis, dicunt Authores iſtius propoſitionis, quòd poſſit Titius occultè Caio Domino aliquid ſurripere, ad ſuum laborem compenſandum. Hoc autem ſcandaloſum eſt, & viam aperit pluribus furtis.

Oppugnatio Propoſitionis.

171 IN hac re plura ſunt notanda, ut magis clareſcat falſitas hujus damnatæ propoſitionis. Primò, quandoque licitam eſſe cōpenſationem faciendam à creditore de bonis debitoris, ſuppoſito credito liquido, & certo: & hoc evineret, quando creditor ſit certus, quòd debitor non vult ſolvere debitum, & aliunde ſit certus quòd ſi compellat debitorem coram Judice, hic non faciat juſtitiam pro ipſo creditore. Quare, ſalva fama, & vita ipſius creditoris, poteſt hic, amotis periculis, de bonis debitoris compenſationem facere ad æqualitatem ſui crediti. Secundò moto, hoc nomine *famuli, & famulæ*, nedum venire, eos, qui ſervitio alicujus Domini ſunt addicti, quomodo regulariter ſervi dicuntur; ſed etiam omnes illi, qui publico ſervitio alicujus communitatis inſerviunt, ut ſunt Adminiſtratores Vectigalium, gabellarum, &c. Judices, Prætores, & omnes

officiales publicæ communitati inſervientes, à qua certum, & determinatum ſtipendium, aut ſalarium recipiunt pro ſuis laboribus, ſive ex pacto expreſſo, ſive tacito (contento tamen in publica conſuetudine, illud tantùm eſſe taxatum pro his ſervitiis adminiſtrandis). Tertiò noto, hanc propoſitionem (ut conſtat ex apertis verbis, *quod maiorem iudicant ſalario quod recipiunt*) non ſe extendere ad eos famulos, qui nullum à Dominis ſalarium recipiunt, & Dominus recuſat illis ſtipendium tradere : nam cum *dignus ſit operarius mercede ſua, ut dicebat Apoſt.1.ad Timot.5.* iccircò quantum judicat famulus, ex prudentum conſilio, dignum eſſe pro mercede ſui laboris, poſſet licitè ſurripere Domino ſuo. Tandem noto, ut dixi nu.170. hanc damnatam propoſitionem eſſe intelligendam de illis famulis, & famulabus, quibus Dominus correſpondet ſtipendio, iuxta pactum initum. His itaque notatis,

172 Impugno nunc damnatam Propoſitionem. Judicium illud à famulis, & famulabus factum, quòd ſtipendium à Dominis traditum non ſit iuſtum, ad æqualitatem ſuorum laborum, non habet vim exigitivam maioris mercedis, ultra pactum initum inter ipſos, & dominum; Sed nequit eſſe licita ſurreptio bonorum in compenſationem mercedis, quando non habetur vis exigitiva talis compenſationis: Ergo non poſſunt licitè famuli, & famulæ heris ſuis aliquid occultè ſurripere pro compenſatione laborum excedentium mercedem, quam recipiunt. Probatur hoc aſſumptum; nam ſupponamus, quòd labor ex ſua natura mereatur decem aureos ſingulis menſibus, & famulus conſenſum præbuit ad recipiendum quinque tantùm, licèt labor ipſe excedat mercedem ex natura rei, non excedit tamen mercedem, ex humano contractu, & in genere moris. Sed tantùm habetur vis exigitiva mercedis pro labore, iuxta humanum contractum, non iuxta exigentiam ex natura rei: Ergo quamvis iudicetur, laborem excedere mercedem, quam famulus recipit, non per hoc poteſt per occultam ſurreptionem exigere aliquid pro exceſſus ſui laboris compenſatione.

173 Hoc confirmatur ex illo Evangelii Matt.20. De Patre familias, qui exiit conducere operarios in vineam ſuam; qui conventione facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Serò autem facto, tantam pecuniam dedit illis, qui primo mane venerunt ad vineam, quantam dedit illis, qui vocati fuerunt circa horam tertiam, & circa undecimam. Et quia murmurabant illi, qui ab hora prima operati ſunt (diuturnum ſcilicet ſuſtinendo laborem) quòd eandem reciperent pecuniam, ac poſteriores, qui minorem præſtiterunt laborem; dixit ad murmurantes Paterfamilias: *Amice non facio Tibi iniuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle*

quod

quod tuum eſt, & vade. Quæ verba apertiſſimè faciunt contra hanc damnatam propoſitionem: nam quoties famuli, & famulæ pacto convenerunt cum Dominis ſuis, nulla eis fit injuria, quando à Dominis ſatisfit pacto: adeoque eſtò labor ſit maior mercede, quam ex pacto recipiunt, non per hoc poſſunt licitè hæris ſuis occultè aliquid ſurripere pro compenſatione exceſſus laborum ſupra mercedem, aut ſalarium, quod recipiunt.

ARTICULUS XXXVIII.

Exponitur ſenſus trigeſimæ octavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaoctava damnata Propoſitio. *Non tenetur ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.*

174 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis unum ſupponit, & alterũ aſſerit. Supponit, poſſe ſine peccato mortali plura leviora furta committi, etiam deveniendo paulatim ad magnam ſummam totalem; ut ſi quis quotidie ſurriperet unam tenuem pecuniam, & infra annum illæ plures tenues pecuniæ facerent magnam ſummam totalem, unius aurei V.G. Quod verò affirmant Authores hujus propoſitionis, eſt, quòd fur, qui per plura pauca furta pervenerit ad ſummam magnam totalem, nõ teneatur ſub peccato mortali ad reſtitutionem. Tam ſuppoſitum, quàm id, quod aſſerunt in propoſitione, eſt falſum, & ut ſcandaloſum eſt ab Inn. XI. damnatũ.

Oppugnatio Propoſitionis.

175 FVrta levia, quæ paulatim committuntur, vel poſſunt committi reſpectu unius perſonæ; vel reſpectu plurium perſonarum. Reſpectu unius perſonæ caſus ut plurimum contingere poteſt in ſervis, qui pecunias Dominorum expendunt in rerum emptionibus, ex quibus emptionibus paulatim plura pauca furta committere poſſunt, deveniendo ad magnam ſummam totalem. Reſpectu plurium perſonarum contingit in venditoribus vini, olei, frumenti, &c. vel in venditoribus panni, ornamentorum, & ſimilium. In primis venditoribus per defectum unius unciæ, vel ſemi unciæ pro qualibet libra rei venditæ, quæ unciæ, vel ſemi unciæ ſublatæ paulatim à pluribus, perveniunt ad magnam ſummam totalem. In ſecundis venditoribus per defectum quartæ partis palmi pro qualibet

libet vlna, multæ quartæ partes palmi pro pluribus ulnis, perveniunt ad magnam ſummam totalem.

176 Suppono hic ea,quæ cum omnibus Doctoribus dixi in tractatu de Juſt.& Jure diſp.4.q,2.obligationem reſtitutionis oriri, vel ex iniuſta rei acceptione, vel ex iniuſta rei retentione, vel tandem ex utraque ſimul. Tunc quis tenetur ad reſtitutionem ex iniuſta rei acceptione, quando mala fide illam accepit, & certò ſciat illam non potuiſſe accipere:hoc evenire poteſt tam in fure,qui aliena ſurripit, quàm in eo, qui aliena accipit ex contractu ſcienter doloſo. Tunc dicitur obligatus ad reſtitutionem ex iniuſta rei retentione, quando bona fide accepit aliena,ſed iniuſtè retinet,dum accedit mala fides; ut quando quis bona fide emit V. G. rem furto ſublatam, accedente poſtea mala fide, ſi rem illam adhuc retinet, iniuſtè retineret. Tunc tandem eſt obligatus, tàm ex iniuſta acceptione,quàm ex iniuſta retentione, quando iniuſtè recipit rem alienam, & iniuſtè ſimul retinet; & hoc evenit in furibus, & in dolosè contrahentibus, ut ſupra dictum eſt. His notatis,

177 Impugno ſimul propoſitionem damnatam, & ſuppoſitum eius. Primò: Nemo excuſatur à peccato mortali,ſive furtum committendo, ſive per furtum rem ſublatam non reſtituendo; Sed quoties quis per modica furta,ſive uni perſonæ, ſiue pluribus,pervenerit ad ſummam magnam totalem,furtum committit: Ergo tunc neque excuſatur à peccato, dum per pauca furta deveniat ad magnã ſummam totalem;nec à peccato excuſatur,dum ſummam illam non reſtituit. Probatur aſſumptum majoris:quando quis per pauca furta,ſiue reſpectu unius perſonæ, ſive reſpectu plurium, pervenit ad quantitatem,tunc illa quantitas damnificat perſonas, quibus res illæ fuerunt ſublatæ; & damnum infert Reipublicæ: Damnificat perſonas;quia(ipſis invitis)ſuſcipiunt dolum. fraudem, & intereſſe circa res proprias : Damnum infert Reipublicæ, propter iniuriam, quam Cives patiuntur ex fraude dolo,& intereſſe; quodlibet enim damnum particulare reſultat in detrimentum publicum (ipſa Republica invita) quæ permittere non poteſt fraudes, & dolum Civium in emptionibus, quas faciunt; imò ſeverè punire ſolet fraudantes in rerum venditionibus : Ergo nemo poteſt excuſari à peccato mortali,ſimilia furta committendo, & rem ſublatam furto non reſtituendo.

178 Secundò:quamvis ex parvis illis furtis non habeatur notabile proximi detrimentum; præſertim ſi eſſet commiſſum reſpectu plurium perſonarum; tamen fur res illas paucas uſque ad magnam quantitatem, iniuſtè accipit, & iniuſtè retinet; quia illas accipit,& retinet,invitis rationabiliter Dominis: nam nemo vult,& permittit

damnum ſuum, quantumvis leve; præſertim quando oritur ex fraude; Sed ex iniuſta rei alienæ acceptione committitur peccatum, furando; & ex iniuſta illius rei retentione committitur peccatum, non reſtituendo: Ergo qui plura modica furta ſurripit, deveniendo ad quantitatem, peccat mortaliter furando, ſaltem in illo ultimo furto conſtituente, & complente magnam ſummam totalem; & peccat etiam mortaliter, non reſtituendo. Eò vel maximè, quia in illo ultimo furto, per quod completur ſumma totalis, conſtituitur ratio materiæ, ſupra quam cadit prohibitio ex ſeptimo Decalogi præcepto, *Non furtum facies*: Ergo per illud ultimum furtum, cum aliis copulatum, fur facit actionem contra juſtitiam: ſed qui peccat contra juſtitiam, peccat mortaliter, tum accipiendo rem alienam, tum illam non reddendo: Ergo qui per plura modica furta furatur, deveniendo, ad quantitatem, ſeu ad magnam ſummam totalem, peccat mortaliter, tam furando, quàm non reſtituendo. Per has rationes evidenter convincitur tam falſitas ſuppoſiti, quàm ipſius damnatæ propoſitionis.

179 Tertiò impugno directè ipſam propoſitionem. Vel quando fur illa pauca furta committit, habet pravam intentionem conquirendi notabilem quantitatem: vel tantùm habet intentionem non perveniendi ad notabilem quantitatem. Si dicatur primum: Ergo nequit excuſari à peccato, ſi non reſtituit; quia hoc fecit ex prava furandi intentione, & conquirendi notabilem quantitatem. Probatur iſta conſequentia; quia illa prava intentio eſt terminata ad notabilem quantitatem, quæ ex ſe materia eſt reſtitutionis: Ergo eſtò paulatim ad illam quantitatem perveniatur, & non ſimul, non per hoc fur excuſatur à peccato mortali, non reſtituendo. Si dicatur ſecundum: Ergo ſufficit, ut illud ultimum furtum copulatum cum ceteris faciat materiam obligantem ad reſtitutionem: ſed jam facit materiam obligantem ad reſtitutionem: Ergo nequit excuſari à peccato mortali, non reſtituendo, etiam ſi illa furta non cõmitteret ex intentione perveniendi ad quantitatem. Eò vel maximè; quia totum illud furtorum complexum factum per plures actiones furandi æquivalet uni furto magno eiuſdem ſummæ, facto per unicam actionem furandi: ſed unicum furtum magnum, factum per unicam actionem furandi, non excuſat à peccato mortali, ſi non reſtituatur: Ergo neque ſi eſt factum per plures actiones furandi.

Hæc damnata propoſitio eſt ita ſcandaloſa, ut ſi admitteretur, & in praxi locum haberet, aperiretur via multis, & infinitis furtis, & fraudibus; imò quilibet poſſet diteſcere ex fraudibus, & furtis parvis continuatis; quod ultraquam ſit ſcandaloſum, eſt etiam falſum.

Arti-

ARTICVLVS XXXIX.

Exponitur ſenſus trigeſimænonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimanona damnata propoſitio. *Qui alium movet, aut inducit, ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem illius damni illati.*

180 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd ſi quis moveret, aut induceret alium ad inferendum damnum grave tertio: V.G. ad occidendum, ad vineam comburendam, &c. non tenetur ad illius damni reſtitutionem. Hæc propoſitio immediatè deſtruit virtutem Juſtitiæ obligantis ad reſtitutionem ex damno perpetrato.

Oppugnatio Propoſitionis.

181 HIc pro majori claritate procedendi ad oppugnandam hāc damnatam propoſitionem, noto ea, quæ à me relata fuerunt in 4 diſp. q. 2. lib. de Juſt. & Jure. Vbi adduxi carmina illa ſatis vulgata apud omnes Doctores, & Canoniſtas, ſcilicet

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Quæ carmina ſic ibi expoſita fuerunt, nimirum: quòd ad reſtitutionem damni tenentur omnes illi, qui ex alterius juſſione moventur ad damnum inferendum: ut ſi filius ad occidendum moveretur juſſu Patris, vel ſeruus juſſu Domini ſui: & hoc denotatur per ly *Iuſſio.* Tenentur ad reſtitutionem omnes illi, qui conſilium præberent, ſuadendo, movendo, vel aliquid promittendo: Et hoc denotatur per ly *Conſilium*. Tenentur ad eandem reſtitutionem, qui præbent conſenſum injuſtæ actioni alterum damnificandi: Et hoc denotatur per ly *Conſenſus*. Tenentur, qui palpatione, vel adulatione excitant aliquem ad damnum inferendum, ſub prætextu ignorantiæ, vel fingendo, quòd juſtam cauſam habeat ad damnum illud inferendū: Et hoc denotatur per ly *Palpo.* Tenentur illi etiam ad reſtitutionem, qui refugium præſtant damnificantibus, eos fovendo, & dolosè celando: quod denotatur per ly *Recurſus.* Tenentur, qui participant de re furto ſublata, vel de aliquo alio damno illato: quod denotatur per ly *Participans*. Tenentur, qui obligati ſunt præbere correctionem iis, qui damnificant, & hanc correctionem omittunt: quod denotatur per ly *Mutus.* Tenentur ad reſtitu-

tionem ii, quibus ex officio incumbit impedire damnum,& non impediunt: & tandem ii, quibus incumbit manifeſtare damnum, & illud non manifeſtant; quòd denotatur per ly *Non obſtans, non manifeſtans.*

182 Ex ſecunda particula, ſcilicet *conſilium*, evidenter deducitur falſitas hujus damnatæ Propoſitionis. Unde falſitas ejus ſe extendit ad quodcunque damnum illatum ex alterius conſilio, ſive in bonis animæ, ut ſi quis conſilium præberet alicui ad fornicandum, &c. ſive in bonis corporis, ut ſi præberet conſilium alicui ad occidendum, vel membrum aliquod mutilandum: ſive in bonis famæ; ut ſi præberet conſilium ad infamiam alteri imponendam: ſive tandem in bonis fortunæ; ut ſi præberet conſilium ad rem alienam furandam, domum comburendam, vineam devaſtandam, &c.

183 Ex his noto, damnificantem poſſe dupliciter moveri ad damnum inferendum alteri: primo modo ex propria efficaci voluntate, independenter ab alterius conſilio: ſecundo modo ex alterius conſilio; ita ut damnificationis actus non eveniret, niſi alienum antecederet conſilium. Qui damnificat alterũ ex propria voluntate efficaci inferendi damnum, ita ut etiam damnum eveniret, ſi nullum præceſſiſſet conſilium; tunc magis tenetur damnificans, quàm conſulens ad damni reſtitutionem. At quando damnum non eveniret ex parte damnificantis, niſi hic à conſulente moveretur, & impelletur ad damnum inferendum, tunc magis tenetur ad damnum illud conſulens, quàm ille, qui damnum infert; cùm conſulens eſſet cauſa impulſiva, & efficax damni.

184 Nunc impugno damnatam propoſitionem. Qui movet, aut inducit alium, ad inferendum grave damnum proximo, intendit voluntate efficaci, ut damnum ipſum ſequatur; ſed tenetur ad reſtitutionem damni, qui damnum efficaci voluntate intendit, & reipſa damnum ſequitur: Ergo tenetur ad reſtitutionẽ damni, qui movet, aut inducit alium, ad damnum proximo inferendum. Major eſt certiſſima; quia dum conſilium alicui dat ad damnum inferendum, vult efficaciter, ut damnum ipſum ſequatur: ut ſi Titius conſilium daret Cajo, ut vineam Petri comburat, per tale conſilium Titius oſtendit, ſua efficaci voluntate velle talem combuſtionem: & ſi revera Cajus combureret vineam Petri, jam talis combuſtio ſecuta eſt propter Titii conſilium. Probatur nunc minor: qui intendit efficaci voluntate damnum, & reipſa damnum ſequitur, ex tali volitione dicitur damnum illud cauſare, ac in illicitam actionem influere; ſed influens in illicitam actionem damni, ſive per ſe agendo, ſive conſulendo, ut aliter faciat, tenetur ad reſtitutionem; nam movere, & inducere, ut aliter faciat, idem eſt, ac per ſeipſum facere: quare juſta

ſta lege eadem pœna punitur mandans, qua punitur mandatarius, quando damnum alteri infertur, ſive per occiſionem, ſive per combuſtionem: Ergo &c. Vnde concludo, meritò ut ſcandaloſam, & temerariam fuiſſe damnatam ſupradictam propoſitionem ex n. 39. ab Innoc. XI. præſertim quia eſt in præjudicium juſtitiæ; cùm juſtitia exigat, quòd omnes quomodolibet concurrentes ad damnum alteri inferendum, ad illud reſarciendum teneantur.

ARTICULUS XL.

Exponitur ſenſus quadrageſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſima damnata Propoſitio. *Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis, prævię inito, cum intentione lucri.*

185. SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd quidam contractus, Mohatra dictus, quo quis petit à mercatore mutuo centum; & mercator fingit non habere centum, & ſuadet eum, qui mutuo petiit centum, ut emat credito merces ſummo pretio, cum pacto, quòd ſi in eadem platea velit vendere merces illas, pretio infimo, numerata pecunia, illas revendat ipſi mercatori tali pretio infimo: In hoc caſu, qui ad mercatorem accedit, ut mutuatarius, patitur detrimentum, & mercator acquirit lucrum. Volunt Authores hujus propoſitionis, quòd hic contractus Mohatra ſit licitus, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ dantis merces, & non obſtante pacto retrovenditionis. At omninò uſurarius eſt, ut oſtendemus, ac per conſequens illicitus.

Oppugnatio Propoſitionis.

186 SVppono ex iis, quæ dixi in 3. diſp. in lib. de Juſt. & Jure, juſtum pretium illud eſſe in contractibus venditionis, & emptionis, quod tale exiſtimatur prudentum judicio; & quidem juxta locum, & tempus, ac circumſtantias abundantiæ, & ſterilitatis rerum, quæ venduntur, & emuntur; & inſuper ex concurſu, vel concurſus deficientia emptorum, vel venditorum. Hoc autem pretium à Summiſtis, & Doctoribus dividitur in ſupremum, medium, & infimum. Supremum eſt illud, quod omnia alia pretia excedit in eadē exiſtimatione; & non ſupra, ſed intra latitudinem juſti pretii. Medium illud, quod mediat inter ſupremum, & infimum. Infimum tandem

tandem eſt illud, quod ſub ſe alia pretia non ſupponit in latitudine juſti pretii, ſed ſupra ſe alia pretia habet. Sit exemplum: exiſtiment prudenter periti, quòd pannum valeat ad ſummum viginti carolenis pro qualibet ulna, & nec ſupra hanc ſummam, nec infra decem, & octo; tunc pretium ſupremum eſſet ſumma viginti carolenorum: medium, decem, & novem: infimum tandem eſſet decem, & octo.

Dixi, juxta locum, tempus, circumſtantias, & concurſum emptorum; quia eadem res, quæ ratione abundantiæ minus valet, ratione tamen ſterilitatis plus valet: ſi in uno loco ob ejuſdem abundantiam minus valet; in alio verò ob ejuſdem rei caritatem magis valet. Sic dicendum eſt in omni caſu, quòd prudens judicet, juxta locum, tempus, & circumſtantias, quæ pretium habent variare; & hoc quidem certum eſt, quia pretium à ratione taxatur.

187 Suppono inſuper, contractum venditionis, & emptionis conſtare conſenſu duorum, quorum unus dat merces pro pretio, & alter pretium pro mercibus. Hic autem contractus ſemper fit licitus, quando ex parte unius contrahentis non datur dolus, vel fraus. Vel quando venditio non excedit juſtum pretium à lege, & prudentum judicio taxatum. Vel quando venditor non fit in monopolium unitus cum aliis venditoribus, de non vendendo, niſi pretio ſupremo. Vel quando venditor, ultra latitudinem juſti pretii non venderet creditò, ad ſolutionē pretii expectandam. Vel tandem quando vēditor non fingeret vendere credito, ſed revera non vendit, ſed mutuat, ſive pacto explicito intercedente, ſive non, ad talem venditionem fingendam. Sit exemplum hujus ultimi: accedat Titius ad Cajum, & petat mutuo à Cajo centum. Cajus fingat, ſe non habere centum; ſed dicit Titio: ſi vis merces æquivalentes ſummæ centenariæ, pretio tamen ſupremo, quo valent, dabo tibi credito. Ex hac ficta venditione deducitur mutuum virtuale: & ſi per hanc venditionem lucrum aliquod acquireret venditor, jam mutuum illud virtuale eſſet cum uſura, palliata tamen per contractum venditionis: ut ſi venditor diceret Titio, ſi rem hanc velis vendere minori pretio, volo, ut eam mihi revendas: quia hoc pactum retrovenditionis eſt in favorem venditoris, & in detrimentū emptoris. & inde lucrum venditor acquireret; iccircò pactum illud eſſet uſurarium, & ortum duceret à mutuo virtuali; ut probavi in ſpeciali dubio in 3. diſp. cit. de ipſo contractu Mohatra. His ſuppoſitis.

188 Pro hujus propoſitionis damnatæ intelligentia, noto, propoſitionem ſubjacere damnationi propter tria in ipſa expreſſa. Primum, quia dicit *reſpectu ejuſdem perſonæ*. Nam ſi contractus venditionis

ditionis factus cum eo, qui accedit ad mutuo petendum, in revenditione ejuſdem rei pretio infimo, non reſpiciat primum venditorem, ſed alias perſonas, quibus merces ille venderentur; jam contractus non eſſet Mohatra: ut ſi Petrus vendat Cajo mutuum petenti, merces ſuas pretio ſupremo, & Cajus illas revēdat Titio; tunc nec Petrus conficeret contractum Mohatra, nec Titius: non Petrus quia licitè poteſt vendere ſummo pretio in latitudine juſti, præſertim credito: non Titius, quia hic poteſt licitè emere infimo pretio intra latitudinem juſti pretii. Secundum, quia dicit *cum contractu retrovenditionis præviè inito*. Nam ſi non adeſt contractus retrovenditionis, ſive ex pacto expreſſo, ſive tacito, poſſet non eſſe illicitus contractus, eſtò res empta credito ſummo pretio, revenderetur eidem venditori; hoc modo videlicet: Petrus vendat merces Cajo pretio ſupremo in latitudine juſti, & quidem credito, abſque ulla intentione, & pacto retrovenditionis; tunc ſi Cajus, pecunia indigens, vellet re vendere merces illas, poſſet Petrus, in concurſu emptorum, illas emere: quia eſtò eas vendiderit pretio ſupremo, non amittit tamen Jus emendi, quod habet quilibet emptor. Tertium tandem, quia dicit, *cum intentione lucri*: quia pactum de retrovendendo reſpicit lucrum ex parte venditoris; quæ lucri intentio, cùm oriatur ex mutuo virtuali, eſt uſuraria. Et propter has particulas reddentes hunc contractum illicitum, damnata fuit ſupradicta propoſitio.

189 Nunc ex his impugno directè damnatam propoſitionem. Contractus uſurarius, qui ſcilicet oritur ex mutuo virtuali, eſt illicitus; quia ut illicita damnata eſt uſura; ſed iſte contractus Mohatra, ſic explicatus in propoſitione, reſpectu ſcilicet *ejuſdem perſonæ: cum contractu retrovenditionis, præviè inito: cum intentione lucri*, eſt uſurarius, ortus ex mutuo virtuali: nam tale pactum nequit eſſe, niſi ex mutuo; aliunde, ut dixi, exponendo hanc damnata propoſitionem, contractus hic inceptus eſt à petendo mutuo: & aliunde lucrum non eſſet per nudam revenditionem, ſed per revenditionem præviè initam: Ergo contractus Mohatra eſt illicitus. Vltraquamquòd, contractus *Mohatra*, ſic explicatus, eſt in favorem venditoris, & detrimentum emptoris; & quidem cum dolo ex parte emptoris; Sed nullus contractus poteſt eſſe licitus in favorem venditoris, & detrimentum emptoris, quando contractus eſt doloſus, & factus cum pacto cadente in favorem unius, & detrimentum alterius: cùm inter contrahentes ſervari debeat æqualitas, quæ non ſervaretur, cum unius detrimento, & quidem involuntario: Ergo ex nullo capite, propter illa in propoſitione expreſſa, poteſt contractus Mohatra cenſeri licitus. Et ſic eſt damnata propoſitio; quia viā aperit uſuris, & apertam involuit injuſtitiam. AR-

ARTICVLVS XLI.

Exponitur ſenſus quadrageſimaprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimaprima damnata Propoſitio. *Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram; poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.*

190 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd creditor quicunque ſit, ſive ex contractu mutui expreſſi, ſive mutui virtualis, ſive venditionis, &c. poſſit licitè à mutuatario aliquid ultra ſortem exigere; & dicunt Authores, quòd cùm numerata pecunia ſit pretioſior, aut melior pecunia numeranda, ideſt futura, per hoc excuſetur ab uſura. Hoc quidem erroneum eſt, quia aperitur via uſuris ex dilata ſolutione.

Oppugnatio Propoſitionis.

191 SVb aliis terminis à Doctoribus exagitatur dubium morale in materia contractus emptionis, & venditionis: ubi quæritur, an ſit licitū vēdere caro pretio, ultra latitudinem juſti pretii, ex dilata ſolutione; & emere vili pretio, infra latitudinem juſti pretii, propter anticipatam ſolutionem, & quidem ſpectatis ſolis titulis dilatæ, & anticipatæ ſolutionis. In qua re lib. cit. de Juſtitia, & Jure diſput. 3. qu. 9. dixi cum communi omnium ſententia, non eſſe licitum vendere caro pretio, ſupra latitudinem juſti pretii, ob dilatam ſolutionem; nec emere vili pretio, infra latitudinem juſti pretii, ob anticipatam ſolutionem. Vnde ſi Titius venderet Petro merces, quæ nunc juſto pretio, pecunia numerata, valent centum aureis, non poteſt illas vendere ultra centum, ob dilatam Petri ſolutionem, expectando ſcilicet tempus faciendæ ſolutionis: nec inſuper Petrus poteſt emere à Titio eaſdem merces infra centum, ob anticipatam ejuſdem Petri ſolutionem: & quidem ſpectatis nudis titulis dilatæ, & anticipatæ ſolutionis; nam ſi tam ex parte venditoris expectantis tempus dilatæ ſolutionis, quàm ex parte emptoris ſolventis anticipatè, intervenirent juſti tituli lucri ceſſantis, & damni emergentis, in tali caſu poſſet eſſe licita tam emptio, quàm venditio; quia in hoc caſu ratio vendendi caro pretio non eſſet dilata ſolutio, nec ratio emendi viliori, eſſet anticipata ſolutio. Vbi noto, quòd iſti ti-

tuli

tuli lucri ceſſantis, & damni emergentis eſſe debent veri, & reales, & non ficti.

192 Quòd hujuſmodi venditio caro pretio, ultra latitudinem juſti ob dilatam ſolutionem, & emptio viliori pretio, infra latitudinem juſti pretii, ob anticipatam ſolutionem, ſit illicita, probavi primò, ex hoc: quòd tàm venditio, quàm emptio, ſpectatis ſolis titulis anticipatæ, & dilatæ ſolutionis, eſſent contractus uſurarii; quia acquireretur lucrum ex mutuo virtuali; Nam tàm venditio, quàm emptio æquivalerent mutuo. Secundò probavi ſpecialiter de venditione, ex doctrina Scoti, quam tradit in 4. diſt. 15. qu. 2 art. 2. litt. P. ubi aſſignans conditiones juſtæ permutationis, ait: *Prima eſt, quòd commutans non commutet, vel vendat tempus, quia tempus non eſt ſuum. Secunda, quòd non ponat ſe in tuto de lucrando, & illum cum quo commutat, de damno; intelligo de tuto ſemper, vel ut in pluribus.*

193 Hac permiſſa doctrina, quæ communis eſt omnibus Doctoribus (paucis exceptis), nunc damnatam propoſitionem ſic impugno. Primò: omnis contractus uſurarius, in quo ſcilicet intervenit mutuum virtuale, eſt illicitus; Sed quoties creditor, qui majoris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poſſet aliquid à mutuatario ultra ſortem exigere, fieret contractus uſurarius, ex mutuo virtuali: Ergo ex majori valore, & æſtimatione pecuniæ præſentis à futura, haberetur contractus illicitus, & non excuſaretur ab uſura. Probatur minor: titulus maioris valoris pecuniæ præſentis, quàm futuræ, non eſt titulus licitus exigendi à mutuatario ultra ſortem. Primò, quia poſſet aſſignari caſus, in quo committatur uſura ratione mutui; cùm ſemper mutuans poſſet excuſari ab uſura, quia magis valet pecunia præſens, quàm futura; ſcilicet pecunia mutuatario numerata, quàm illa numeranda à mutuatario in ſolutione facienda: quod falſum, & erroneum eſt. Secundò, quia illa titulus majoris æſtimationis pecuniæ præſentis, quàm futuræ, eſt titulus, quo mutuans, vel venditor ponit ſe in tuto de lucro, & mutuatarius fit certus de damno; Sed non excuſatur ab uſura creditor, quando ponit ſe in tuto de lucro, & mutuatarius fit certus de damno: Ergo ratione hujus tituli, maioris ſcilicet æſtimationis pecuniæ præſentis, quàm futuræ, non excuſatur mutuans ab uſura, exigendo aliquid ultra ſortem.

194 Secundò impugnatur ex hoc fundamento: pecunia de ſua natura non eſt nata, ut certo lucro exponatur; ſed eſt indifferens, ut exponatur lucro, vel ut conſervetur; ſed ſtante tali indifferentia, apparet evidentiſſimè falſitas damnatæ propoſitionis, quòd ſcilicet pecunia numerata ſit pretioſior, & maioris æſtimationis, quàm numeranda, ſeu futura: Ergo falſum eſt quod aſſumitur in illa propoſi-

propoſitione. Maior eſt nota, quia ſi exponitur certo lucro, hoc evenit ex voluntate illam poſſidentis; nec eſt natura ſua fructifera, ut eſt Terra, &c. ſed ſolùm induſtria humana. Probatur minor: quoties pecunia ex ſua natura non eſt fructifera, ſed indifferens ad lucrum reportandum, vel non, tanti valet, ſi apud mutuantem retinetur, ac ſi ſit apud mutuatarium: Ergo prout exiſtens apud mutuantem, non eſt pretioſior, ac ſi exiſteret apud mutuatarium: ſola aviditas pecuniæ facit, quòd magis æſtimetur pecunia præſens, quàm futura.

195 Tertiò patet ex Pſal. 54. v. 12. *Et non defecit de plateis eius uſura, & dolus*: ex Pſalm. 14. v. 5. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit*. Idem probatur ex illo Lucæ 6. *mutuum date, nihil inde ſperantes*. Hoc ipſum confirmatur pluribus Conciliis, uſuram damnantibus: ut Vien. *Clem. uni. de uſuris*; & Nicænum Can. 18. quòd refertur in *Cap. quoniam* 14. *qu.* 4. Concludo igitur ex his, titulum illum in ſupradicta damnata propoſitione non excuſare mutuantem ab uſura.

ARTICVLVS XLII.

Exponitur ſenſus quadrageſimæſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſima ſecunda damnata propoſitio. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur, tanquam ex juſtitia debitum*.

196 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd non ſit uſura, quando mutuans vult exigere à mutuatario aliquid ultra ſortem, ut debitum ex gratitudine, & benevolentia: unde volunt Authores huius propoſitionis, quòd ſolùm ſit uſura, quando exigitur aliquid ultra ſortem, ut debitum ex iuſtitia.

Oppugnatio Propoſitionis.

197 QVoddam propoſui quæſitum in lib. de Juſt, & Jure diſp. 3. in materia de mutuo, & uſura, *an ſcilicet ratione mutui, circa uſuram, poſſit mutuans à mutuatario exigere aliquod commodum, ratione amicitiæ, & gratitudinis?* Cui dubio ſatisfeci contra quoſdam Doctores, quòd quoties obſequium, amicitia, & gratitudo, quæ evenirent in commodum mutuantis, deducerentur in pactum, tunc mutuans uſuram committeret. Quædam ibi prænotavi, quæ

in

in præſenti articulo neceſſaria videntur; quapropter ea hic recolenda ſunt: nimirum, ſigna amicitiæ, & gratitudinis alia eſſe negativa, ut alteri non nocere, non offendere, &c. & alia poſitiva, ut alteri benefacere, obſequium, & honorem præbere, &c. Et hæc poſitiva ſigna alia ſunt generalia, & purè indifferentia, quæ ſtant ad arbitrium amantis, & ſe gratum oſtendentis, ad exhibendum benefactori obſequium, & honorem, quando vult, & quomodo vult, & iuxta occaſiones occurrentes: & alia ſunt particularia, & determinata, ut in hoc tempore, in hac determinata occaſione. Hæc autem ſigna determinata, ſi liberè imponuntur, abſque impulſu, & motione benefactoris, ſunt libera omnino ex parte eius, qui beneficium recipit: ſi verò ſunt ex impulſu, & motione benefactoris, non ſunt omnino libera ei, qui beneficium recipit.

198 Notavi inſuper, quòd hùc refero, nimirũ cũ à mutuante exigitur ultra ſortem, vel id quod exigitur eſt pecunia, vel pecuniæ æquivalens, ut res, ſive conſumptibilis, ſive non conſumptibilis: vel eſt tantùm amor, & obſequium. Sit exemplum utriuſque: ſi Petrus mutuet Paulo mille, cum pacto, quòd Paulus ex gratitudine donet ipſi Equum, vel frumentum, vel caſeum, &c. tunc Petrus exigeret ultra ſortem à Paulo, titulo benevolentiæ, rem pecuniæ æquivalentem. Sit aliud exemplum: ſi Petrus mutuet decem alicui Colono, cum pacto, quòd per duos, vel tres dies ex gratitudine culturam faciat ſuæ vineæ, abſque nlla mercede. Sit aliud exemplum de obſequio, & amore: ſi Petrus mutuet decem Paulo, eum ex pacto obligando, ut quoties ipſum mutuantem viderit, ei obſequium, & reverentiam præſtet. In his tribus caſibus pactum nequit eſſe ſine uſura; multò magis quia eſt expreſſum. Quibus notatis,

199 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Quando mutuans imponit mutuatario obligationem ad reddendum aliquid ultra ſortem, ut ex gratitudine debitum, conſtituit ipſum debitorem in re determinata: ſed hoc eſt evidenter palliare uſuram: Ergo uſuram committit, qui ultra ſortem aliquid exigit à mutuatario, ut ex gratitudine debitũ. Probatur primò maior; nã ſi Petrus mutuet centum Caio, ipſum obligando, ut pro gratitudine reddat ultra centum quinque, vel tantum frumenti; vel ut præſtet ei viciſſim aliquod ſervitium, &c. tunc Cajus ex vi factæ promiſſionis ſaltem, eſtò non in conſcientia, quia non ex juſtitia, remanet obligatus, & debitor Petri in illa re determinata; ita ut ſi rem illam ultra ſortem, quam Petrus petit à Caio, hic non redderet, reputandus erit ingratus ex humana promiſſione, & debito, quod liberè acceptavit per mutuũ: Ergo mutuans imponendo obligationem mutuatario ad reddendum aliquid ultra ſortem, ut ex gratitudine debitum, conſtituit

ipſum mutuatarium debitorem in re determinata. Probatur nunc minor, in qua ſtat difficultas: Uſura eſt lucrum ex mutuo acquiſitum,& vi mutui: ſed ex propoſitione expreſſa habetur ex una parte lucrum acquiſitum, licèt exactum ex gratitudine: & ex altera parte haberetur mutuum; quia ratione mutui exigeretur aliquid ultra ſortem: Ergo evidenter eſſet palliare uſuram, aſſignando nimirum titulum gratitudinis,ut excuſantem ab uſura. Eò vel maximè: palliare uſuram nil aliud eſt,niſi ipſam committere, & cooperire ipſam pallio alicuius tituli, qui prætenditur honeſtus: ſed titulus gratitudinis, ut naturaliter debitus, & indeterminatus ad hanc, & illam rem,ex ſola libertate mutuatarii, eſt honeſtus: & talis non eſt,quando à mutuante determinatur ad hanc, vel illam rem determinatam: Ergo exigere ultra ſortem titulo gratitudinis,eſt palliare uſuram. Probatur minor: quando mutuatarius recipit beneficium à mutuante,remanet naturaliter obligatus ex gratitudine ad ſe gratum oſtendendum, quæ gratitudinis oſtenſio ſtat in libertate mutuatarii,ut fiat per hanc,vel illam rem, vel per ſolum obſequium. At quando à mutuante obligatur ad hanc determinatam rem, hæc obligatio eſt nova;& quidem oneroſa, & ſupra obligationem naturalem: Ergo titulus iſte gratitudinis, ſic adinventus, non eſt honeſtus,nec ab uſura excuſat.

200 Deinde: in illo actu exigendi hanc rem determinatam ultra ſortem,intervenit pactum,ratione cujus obligatus eſt mutuatarius ad onus ſuſcipiendum; & illud à ſe auferendum per redditionem; ſed impoſſibile eſt, immò oppoſitum eſt ridiculum, quòd non intercedat uſura, ubi adeſt pactum imponens onus mutuario:Ergo quamvis mutuans intendat exigere ex ſolo titulo gratitudinis debitæ, non excuſatur ab uſura. Probatur minor: ſi Petrus mutuans centum Cajo, dicat mutuatario: do tibi centum, ut reddas mihi quinque ultra centum, ex ſola gratitudine correſpondente beneficio,quod tibi præſto: in tali caſu pacto illa à Petro facta, eſt uſuraria; quià jam Cajus remaneret ex pactio obligatus, & titulus gratitudinis eſt coloratus:Ergo propoſitio iſta evidenter uſuram palliare prætendit.

201 Noto in hac propoſitione, quòd Authores iſtius volunt, uſuram committi, quando mutuans intendit exigere aliquid ultra ſortem, ut debitum ex juſtitia. At revera neque hoc prætendere poſſunt uſurarii; neque in re verum eſt. Contractus nanque uſurarius, cùm ſit contra juſtitiam, & omninò prohibitus ex Sacris Canonibus, non poteſt fieri,interveniente juſtitia, ſed ſi fit, intervenit injuſtitia obligans uſurarium ad reſtitutionem. Quare in recto ſenſu dici non poteſt, mutuatarium obligari ex juſtitia ad reddendum

ali-

aliquid ultra ſortem; cùm nulla dari poſſit obligatio ex juſtitia ad actum illicitum, & injuſtum. Ac per conſequens adinvenire titulum debitæ gratitudinis ad palliandam uſuram, eſt ipſam uſuram, ut licitam admittere; quòd non eſt dicendum.

ARTICVLVS XLIII.

Exponitur ſenſus quadrageſimatertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimatertia damnata Propoſitio. *Quidni niſi veniale ſit, detrabentis autboritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?*

202 SEnſus huius damnatæ Propoſitionis eſt, quòd ſit tantùm veniale peccatum, ſi quis infamatus ab aliquo, velit famam ſuã ſalvare, imponẽdo falſum crimen infamatori: & hoc tam in iudicio, quàm extra. Ut ſi Titius infamatus de aliquo crimine, quod re vera non commiſit, poſſet licitè ſuo infamatori falſum crimen imponere; & in hoc ſolùm venialiter Titius peccaret. Caſus hic, ut plurimùm evenit: multoties nanq; accidit, quòd unus dicat de altero, quòd eſt adulter, fur, &c. hic ſciat eſſe iniuſtè infamatum, putat ſuam infamiam auferre, dicendo: mentitur qui hoc dicit de me, ipſe eſt adulter, fur, &c. & quandoque adiungit alias actiones pravas, quibus infamatorem ſuum infamat. Falſitas huius propoſitionis ex pluribus capitibus oritur, ut oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

203 TRactavi ex profeſſo in 5. diſp. de Juſt. & Jure, de reſtitutione ortá ex infamia. Vbi dixi cum Doctore noſtro Scoto in 4. diſt. 15. q. 4. triplici modo poſſe unum alterum infamare. Primò imponendo falſum crimen; ut ſi quis dicat, Petrum eſſe adulterum, & revera non eſt talis. Secundò, verum crimen occultum in publico manifeſtando, non ſervato rerum ordine; ut ſi quis, non coram Judice iuridicè interrogante, ſed coram aliis manifeſtaret delictum Petri, quod eſt occultum; quia tamen publicum reddit delictum, quod erat occultum; iccircò infamator diceretur, qui occultum alterius delictum manifeſtaret. Tertio tandem modo, verum crimen, ſed occultũ in publico negando, ex qua negatione ſequitur infamia accuſatoris: ut ſi quis eſſet accuſatus de vero crimine, ſed occulto, & illud coram Judice iuridicè interrogante negaret; quia tunc ſequeretur infamia accuſatoris; iccircò per talem negationem infamaret

maret ipſum accuſatorem. De hac tertia ſpecie infamiæ, diximus ibi, quòd accuſatus de vero crimine, ſed occulto, ſi ipſum crimen in publico negaret, non teneretur ex iuſtitia famam reddere accuſatori; aliàs deberet ſuam negationem retractare; & ſic, ut mendax, & periurus puniendus eſſet: ſed tantùm tenetur ex charitate; nam maius ius habet ad famam ſuam (quando delictum non eſt publicum, nec plenè probatum) quàm ad famam alterius; quia tunc accuſator fuit cauſa ſuæ infamiæ, quia in publico manifeſtavit, quod non eſt verum publicum, & publicè probandum.

204 Inſuper noto, mendacium, præſertim pernicioſum, ex ſuo genere eſſe malum, & quidem ſub peccato mortali prohibitū, ratione damni alteri illati: unde ſi quis mentiretur cum alterius detrimento, nedum contra præceptum peccaret, ſed quandoque contra juſtitiam; quia damnum illud reſarcire tenetur. Tandem adverto, quòd perjurium, quodcunque ſit, etiam in materia levi, ſemper ſtat cum culpa mortali, propter irreverentiam ſaltem, quæ per ipſum Deo exhibetur: & ſi eſt pernicioſum, cum proximi ſcilicet detrimento, ſuperaddit malitiam, eſtque contra juſtitiam.

205 Quia ergo damnata propoſitio ſub illis obſcuris terminis non exprimit, an intelligatur tantùm de eo, qui vult ſuam tueri innocentiā de falſo crimine ſibi impoſito in judicio, vel extra judiciū, infamando ſcilicet eum, qui tale falſum crimen impoſuit; iccircò puto, propoſitionem extendendam eſſe tam in judicio, quàm extra; præſertim quia rationes contra ipſam eodem modo militant in judicio, quàm extra.

206 Quapropter impugno nunc ſupradictam damnatam propoſitionem, & pono caſum: ſit Titius à Cajo infamatus de adulterio, ſive falſum deponendo in judicio, ſive extra illud coram pluribus perſonis; ſi Titius dicat, Caium eſſe infamem, adulterum, furem, &c. iam Titius falſum crimen Caio ſuo infamatori imponeret; Sed in hoc caſu Titius, qui falſum crimen impoſuit Caio ad ſuam famā tuendam, peccaret mortaliter, & contra iuſtitiam: Ergo non eſt veniale, ſed mortale peccatum imponere falſum crimen ei, qui aliquē infamavit, ut hic ſuum defendat honorem, & famam. Probatur minor: Titius in tali caſu verè diceretur infamare Caium, & hic apud Judicem, & teſtes (ſi id fieret in iudicio) vel apud alios (ſi id fieret extra iudicium) remaneret infamatus; Sed ratione talis infamiæ infamator peccaret mortaliter: tum quia faceret actum contra juſtitiam, obligantem ad famæ reſtitutionem: tum etiam quia notabile detrimentum in ſua fama reciperet ille, qui eſſet infamatus. In hoc nanque caſu non minus peccatum committeret Titius primò à Caio infamatus, quàm Caius ſecundò infamatus à Titio; Sed Caius

ſecun-

ſecundò infamatus à Titio, primò infamando Titium, peccat mortaliter, & quidem contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem famæ eſt obligatus: Ergo etiam Titius ſecundò infamando Caium peccat mortaliter contra iuſtitiam, & ad famæ reſtitutionem tenetur. Immò maius eſſet peccatum Titii, quàm Caii, ſaltem ex motivo; quia Titius ad infamandum Caium moveretur ex odio, & vindicta; à quibus forſan non fuit motus Caius, quando primò Titium infamavit.

207 Eò vel maximè: ſemper eſt mortale peccatum mentiri, mendacio præſertim pernicioſo; ſed quando infamatus ab aliquo, etiam ut ſuam famam reſarciat, infamat ſuum infamatorem, mentitur mendacio pernicioſo: Ergo peccat mortaliter. Probatur minor; nam illa infamia illata infamatori eſt in ipſius infamatoris perniciem, non minùs, ac eſt in perniciem infamantis, infamia ei impoſita ab infamatore; cùm uterque detrimentum patiatur in fama.

208 Tandem oſtenditur falſitas huius opinionis ex hoc principio. Unuſquiſque Ius habet ad propriam famam, itaut in nullo caſu licitum ſit cuicunque Ius illud impedire, & auferre; Sed iam impediretur, & auferretur, Ius infamatoris ad ſuam propriam famã, ſi ipſe infamatus eſſet ab eo, quem iniuſtè infamavit: Ergo non eſt licitum infamare infamatorem, ad ſuam famam tuendam. Si dicas, quod infamator famam ſuam amiſit, propter infamiam alteri iniuſtè impoſitam: hoc eſt falſum; quia ſupponimus infamatorem non eſſe cognitum, ut infamem, & ut talem reputatum à populo, & gentibus, vel à Iudice, coram quo falſum crimen alteri imponit. Nemo nanque Ius amittit ad famam, niſi ut talis ſit publicatus per Iudicis ſententiam, vel ſit talis notoriè: quapropter eſtò alium infamavit, non per hoc Ius ad famam ſuam amiſit. Quædam alia argumenta, & efficaces rationes, quæ militare poſſunt contra hanc damnatam propoſitionẽ, videnda ſunt in ſequenti articulo contra ſequentem damnatam propoſitionem, quæ in re eadem eſt cum ſupradicta nunc impugnata.

ARTICULUS XLIV.

Exponitur ſenſus quadrageſimæquartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimaquarta damnata Propoſitio. *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.*

209 Sen-

209 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, eſſe probabile, quòd non peccet mortaliter, qui falſum crimen imponit alicui, ut ſuum defendat honorem,& juſtitiam. Unde volunt Authores hujus propoſitionis,quòd ſi hoc non eſt probabile,vix poterit dari opinio probabilis in Theologia; quaſi quòd ex probabilitate hujus opinionis dependeat probabilitas aliarum opinionum in Theologia. Quæ illatio omninò ardua eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

210 SUppoſitis omnibus iis, quæ dicta ſunt in ſuperiori articulo, nunc reſtat impugnare directè probabilitatem, quam tuetur Authores damnatæ propoſitionis, qua conantur aſſerere, non eſſe mortale peccatum,imponere falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam,& honorem defendat. Primò ſic: non eſt probabile, quòd quis non peccet mortaliter,quando certò, & evidenter demonſtratur, aliquam actionem eſſe iniuſtam, illicitam, & contra juſtitiam; ſed dum quis falſum crimen alicui imponit,ut ſuam juſtitiam,& honorem defendat,certò, & evidenter demonſtratur, hunc modum ſe defendendi eſſe iniuſtum,& illicitum,ac contra juſtitiam: Ergo non eſt probabile,quòd non peccet mortaliter, qui falſum crimen alteri imponit,ut ſuam juſtitiam,& honorem defendat. Probatur minor: certò,& evidenter demonſtratur,quòd qui alteri famam tollit, iniuſtè,& illicitè agit,& quòd contra juſtitiam peccet, lædendo notabiliter Jus, quod habet ad famam ſuam; ſed ſi quis, ut ſuam famam, juſtitiam, & honorem defendat, alteri falſum crimen imponit, eſt certus,quòd iniuſtè, illicitè, & contra juſtitiam agit: Ergo hic modus ſe defendendi, cum detrimento alterius famæ, eſt omninò iniuſtus,illicitus,& contra juſtitiam. Eò vel maximè: hic modus ſe defendendi,ideo eſſet iuſtus, & licitus, & probabiliter excuſans à peccato mortali,quia eſſet cum moderamine inculpatæ tutelæ; ſed hoc eſt falſum; quia evidenter cognoſcitur, & prudenter exiſtimatur, hunc modum ſe defendendi, non eſſe medium propriam infamiam evitandi;ſed potiùs per hunc modum creſcit ſua infamia: nam quādo quis movetur ad ſe defendendum ab infamia, imponendo falsū crimen infamatori,potiùs creſceret ſua infamia, quàm deterioraretur: Ergo modus ſe defendendi ab infamia ſibi illata,non eſt infamare ſuum infamatorem. Probatur maior; nam qui ſe licitè defendit, debet eſſe certus, quòd nullum alium modum habeat ſe defendendi, ut patet de eo,qui eſt invaſus in vita, & manet in evidenti periculo ſuæ propriæ vitæ:at qui eſt infamatus,iam famam amiſit; & ſic, infamando infamatorem, non adhibet iuſtum medium de adhibendo

do moderamine inculpatæ tutelæ: Ergo neque probabiliter excuſari poſſet à peccato mortali.

211 Secundò impugnatur ſic: vel quando quis eſſet infamatus, & ut ſe defendat, infamat ſuum infamatorem, hoc facit in judicio; vel extra iudicium. Si in iudicio, per talem infamiam non reponitur in priſtinum ſtatum ſuæ famæ: & eſtò reponeretur (quod nunquam evenire poteſt) non per hoc tolleretur, quin proximo lædatur Jus: Ergo tunc certò peccaret mortaliter contra Jus alterius. Nemini namque licitum eſt, ſe reponere in ſuo ſtatu per læſionem Iuris alterius; præſertim quia certò ſcit, ſuum infamatorem eſſe obligatum ad ſibi famam reddendam, per verbi retractationem, etiam in iudicio faciendam, quam vis ex tali retractatione damnum patiatur, ut mendax, & periurus. Si verò hoc faciat extra iudicium, tunc neque ſuam famam tuetur quis, infamando ſuum infamatorem; nam apud illos, apud quos fuit infamatus, magis in mala fama confirmari poſſet, quàm illam auferat, alterum infamando. Patet hoc exemplo: Sciat Petrus, fuiſſe ſe infamatum à Caio de adulterio; & ipſe, ut ſuã famam defendat, dicat coram aſtantibus, Caius eſt adulter, fur, &c. tunc audientes (ſi boni viri ſunt) poſſunt ſe confirmare in illa mala opinione, in qua habebant ipſum Petrum: nam illa verba in auribus prudentum non poſſunt bonum ſonum facere, ſed malum; quia tũc proveniret à lingua detrahente, ſe innocẽtem oſtendere: Ergo à primo ad ultimum dicendum eſt, omnimoda probabilitate carere, quòd ſcilicet non peccet mortaliter, qui ut ſuam innocentiam, & iuſtitiam defendat, alteri falſum crimen imponit.

212 Probo nunc, quòd negata probabilitate, quam tuentur Authores huius propoſitionis, non ſequeretur, quòd vix eſſet opinio probabilis in Theologia. Improbabilitas unius theologicæ opinionis non habet reddere omnem opinionem improbabilem; præſertim quando una non eſt cum alia connexa: & negata probabilitate unius, ob evidens motivum in contrarium, nequit negari probabilitas aliarum, quando non eſt evidens motivum in aliis in contrarium; ſed in pluribus opinionibus probabilibus in Theologia non apparet evidens motivum negandi illam opinionem, ſed potiùs illam tuendi, & multoties illam reducendi in praxi; quando tuta eſt: Ergo eſtò, ob evidens motivum reddatur improbabilis opinio affirmans, non peccare mortaliter, qui ad ſuam iuſtitiam, & famam defendendam, falſum crimen alteri imponit; non per hoc ſequitur, quòd vix poſſit dari opinio probabilis in Theologia. Maior eſt certa; quia cæteræ opiniones deberent ab una dependere tanquam ab antecedenti: & hanc eſſormare illationem: ſi B eſt connexum cum A, & ab A tanquam ab antecedẽti dependet, ſi non eſt probabile A,

neque erit probabile B. Probari poteſt minor per ſingulas opiniones probabiles in quacunque materia theologica, tum in ſpeculativa, tum in praxi; quarum aliquæ opiniones ſunt probabiles tantùm ſpeculativè, & aliæ ſunt probabiles tum ſpeculativè, tum practicè, ſive practicè in ſolo caſu neceſſitatis, ſive etiam extra caſum neceſſitatis. Et ut plurimùm quædam propoſitiones, extra materiã valoris Sacramenti, ſunt minùs probabiles; & tamen nulla ex his dependet ab hac opinione probabili, qua Authores huius damnatæ propoſitionis prætendunt excuſare à peccato mortali eum, qui imponit alteri falſum crimen, ut ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Adeoque falsò aſſumitur id, quod dicunt, nimirum, ſi hæc propoſitio non eſt probabilis, vix in Theologia dari poteſt opinio probabilis.

ARTICULUS XXXV.

Exponitur ſenſus quadrageſimæquintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſima quinta damnata propoſitio. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, vel è contra,*

213 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis duas continet partes: Prima, qua aſſeritur, quòd non ſit ſimonia dare temporale pro ſpirituali, ſcilicet pro beneficio obtinendo, tanquam motivum illud obtinendi; ſed ſolùm eſſe ſimoniam, ſi detur tanquam pretiũ. Secunda, qua aſſeritur, quòd dare temporale ob gratuitam compenſationem rei ſpiritualis; vel dare ſpirituale ob gratuitam compenſationem rei temporalis, non ſit ſimonia. V. G. ſi Petrus daret munus aliquod Epiſcopo, ut hic moveatur ad ei dandum beneficiũ aliquod, dicunt Authores hujus propoſitionis, quòd tunc non committatur ſimonia. Vel ſi Petrus daret munus illud in gratitudinis compenſationem: & è contra Epiſcopus poſt munus acceptum, daret beneficium in gratitudinis compenſationem, quòd tunc ſimonia non committatur. Utrumque ſcandaloſum, & erroneum eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

214 SPecialem diſputationem habui de ſimonia, & beneficiis in lib. de Juſt. & Jure diſp. 7. per plures quæſtiones. Quædam autem

autem digna notatu pro præſenti materia,ut certa hìc ſuppono: *Simoniam eſſe ſtudioſam voluntatem emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum*; quæ communiter à Doctoribus dividi ſolet in tres ſpecies, ſcilicet in mentalem,conventionalem,& realem. Mentalis eſt illa, qua quis vult emere, vel vendere pretio temporali rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam, nullo habito ſigno, vel pacto expreſſo, ſed coniungibilis eſt cum externa acceptione pretii, & rei ſpiritualis collatione. Conventionalis eſt illa,in qua intercedit expreſſum pactum, vel ſaltem tacitū, tradendi temporale pro ſpirituali,vel ſpirituale pro temporali. Realis verò eſt illa, in qua executioni mandatur expreſſum pactum, vel tacitum circa ſpirituale pro pretio temporali, aut è contra: & hæc committitur per actualē ſolutionem pretii,& collationem rei ſpiritualis.Ultra has ſimoniæ ſpecies ſolet aſſignari ſimonia cōfidentialis,quæ eſt reſignatio, ſeu renunciatio beneficii in confidentiam: & hæc committitur, dum quis promittit conferre beneficium Titii V.G.cum pacto,quòd poſt aliquod tempus Titius reſignet, ſeu reſignet illud beneficium ipſi conferenti,vel alteri, cui ipſe collator voluerit: vel quoad partem redituum ipſius beneficii, vel quò ad omnes fructus eius,renunciat ipſi conferenti. At re vera hæc confidentialis ſimonia(ut loc.cit.dixi) non eſt ſpecie diſtincta ab illis tribus;quia ſi intendit tantùm talem reſignationem, vel renunciationem,abſque ullo pacto,tunc eſſet mentalis: ſi verò intercedit pacto eſt conventionalis: ſi tandem pactum executioni mandetur, eſt realis.

215 Quæcunque ſit ſimonia, eſt omninò prohibita, præſertim circa res ſpirituales,ut circa Sacramenta, gratiam, hoſtiam conſecratam,calices conſecratos,&c. eſt prohibita jure divino: & circa res temporales annexas ſpiritualibus,ut ſunt Epiſcopatus, Canonicatus,Parochia,Clericatus,&c.Eſt prohibita iure humano Eccleſiaſtico. Plures Summorum Pontificum extant Conſtitutiones contra eos,qui promovent,eligunt conferunt, vel præſentant ad Eccleſiaſticas dignitates,officia, vel beneficia, & ad ordines ſuſcipiendos, &c.præſertim Pii V.quæ incipit. *Cum primum, &c.* Ejuſdem Pontificis alia conſtitutio,quæ incipit: *Durum nimis,& incommodum arbitramur,&c.*Jo:XXII.quæ incipit:*Suſcepti*,&aliis juribus de hac re diſponentibus. Contra confidentialem ſimoniam, aut contra eos, qui beneficium conferunt,aut eligunt, vel recipiunt in confidentiā, extant duæ Conſtitutiones,una Pii IV.quæ incipit: *Romanum Pontificem in excelſa militantis Eccleſiæ ſpecula conſtitutum, &c.* & alia Pii V.quæ incipit. *Intolerabilis multorum perverſitas.* In his conſtitutionibus declarantur excommunicati, & dignitate Eccleſiaſtica

privati, quam in confidentiam receperint, qui beneficia contulerint,& receperint in confidentiam; ut patet in ipſis bullis videndis in Romano bullario,vel apud Quaranta.

216 Quantùm ſpectat ad præſentem damnatam propoſitionem,ſuppono inſuper cum omnibus Doctoribus, pretium, quod accipi poteſt pro beneficio, vel officio Eccleſiaſtico, eſſe in triplici differentia,explicatum per munera, quæ à beneficiariis traduntur: ſcilicet à manu,à lingua, & ab obſequio; quæ omnia munera ſunt pretio æſtimabilia. Per munus à manu intelligitur omne id, quod traditur conferenti,vel procuranti,vel eligenti,&c. ſive ſit pecunia, ſive res mobilis,ſive immobilis, ſive traditæ ſunt, ſive ſit debitum remiſſum ipſi conferenti,eligenti, vel procuranti beneficium. Per munus à lingua intelliguntur preces, quæ à beneficiario fiunt apud Principes, Magnates,&c.in favorem collatoris,promotoris,vel electoris ad beneficium:quæ preces ſunt etiam pretio æſtimabiles.Per munus tandem ab obſequio intelligitur obſequium præſtandum conferenti, vel procuranti, aut eligenti ad beneficium; quòd obſequium eſt etiam pretio æſtimabile. Ex his, quæ nunc uſque notata ſunt, facilè impugnatur ſupradicta damnata propoſitio quò ad utramque partem.

217 Primò igitur illam impugno quò ad primam partem.Dare temporale pro ſpirituali, ob motivum, ut beneficium conferatur, vel ad illud promoveatur, aut eligatur, eſt dare temporale in pretium virtuale rei ſpiritualis; ſed dare temporale in pretium rei ſpiritualis (ut etiam concedunt Authores propoſitionis damnatæ) eſt ſimonia: Ergo qui daret temporale pro ſpirituali in motivum conferendi,vel eligendi ad ſpirituale committeret ſimoniam. Probatur aſſumptum majoris.Sit caſus iſte: Titius vult ad Clericatum,vel ad Sacros ordines promoveri,aliqua confert munera Epiſcopo, ut hic moveatur ductus ex muneribus ad Clericatum, vel ſacros ordines conferendos. Quis ergo non videt, dum Epiſcopus movetur ad conferendum Clericatum, vel ſacros ordines ex muneribus acceptis,quòd munera iſta ſint pretium Clericatus, vel ſacrorum ordinum (nam munus illud,quo Epiſcopus movetur, eſt virtualiter pretium:& aliunde collatio illa clericatus, vel ordinum ſacrorum eſt æquivalenter venditio:nam idē eſt dicere in caſu: Epiſcopus dat Titio clericatum,ut motus à muneribus receptis; ac dicere: Epiſcopus recepit munera à Titio in pretium Clericatus.

Quod ſic corroboratur: vel Epiſcopus non daret Clericatum, niſi munera accepiſſet;vel etiam daret abſque muneribus. Si ſecūdum,non ſumus in caſu damnatæ propoſitionis; cùm hæc loquatur, quando munera dantur in motivum conferendi, & efficiendi ſpiritua-

tua-

tuale. Si primum: Ergo dum dat motus ex muneribus, jam munera ſunt cauſa conferendi,& efficiendi Clericatum; ſed cauſa cur venditor vendit, eſt pretium: Ergo in iſto caſu, in quo Epiſcopus moveretur ad conferendum Clericatum, vel ſacros ordines, jam collatio ipſa eſſet venditio,& munera illa eſſent pretium.

218 Secundò ex tribus Concilii Tridentini Capitibus idem impugnatur. Ex ſeſſ.21.de Refor.cap.1.habetur: *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet; nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſoriis, aut Teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa, etiam ſponte oblatum. Epiſcopi, & alii ordinum Collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant*. Et in fine capitis; *quæ potiùs abuſus & corruptelæ ſimoniacæ pravitati faventes nuncupari poſſunt penitus caſſando, & interdicendo, &c.* Tum etiam ex ſeſſ.24. cap.14. incipit. *in pluribus Eccleſiis*. Ubi circa medium habetur. *Hæc cùm ſancta Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis, ut quæcunque huiuſmodi in uſus pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant, &c.* Tandem eadem ſeſſ.24.cap.18 incip. *Expedit maximè animarum ſaluti, &c.* Ubi circa medium habetur. *Caveantque, ne quidquam prorſus, occaſione huius examinis, nec ante, nec poſt accipiant: alioquin ſimoniæ vitium, tam ipſi, quàm alii dantes incurrãt: à qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, &c.*

219 Corroboratur hoc ex Inn.III.cap.3. *Tua nos*. Vbi aſſignat caſum de clerico donante rem aliquam Canonicis ad movendos eos, ut ipſum Clericum in Canonicum eligant; ſubdit idem Pontifex cap 3.cit. *Quòd ſi Canonici accipientes munera, Clericum non reciperent in Canonicum, niſi munera accepiſſent, iam eſſent ſimoniaci mentales*; & cõpellit eos apud diſtrictum Judicem, quia culpabiles judicantur. Et inſuper clericus dans ob tale motivum, quia daret ex intentione accipiendi Canonicatum, etiam eſſet ſimoniacus mentalis. Majori claritate, & expreſſo caſu hujus capitis Decretalium, nequit oſtendi falſitas damnatæ propoſitionis, quò ad illam primam partẽ.

220 Nunc eandem impugno propoſitionem, quò ad ſecundam partem, quando quis confert beneficium, vel illud procurat cum intentione, & pacto recipiendi munus, vel obſequium; tunc talis intentio, vel pactio nequeunt eſſe ſine ſimonia: Ergo etiamſi munus reciperetur in gratuitam compenſationem, committeretur ſimonia. Probatur aſſumptum. Primò, quia munus illud excedit naturalem obligationem, qua obligatus manet beneficiarius naturaliter ex obtento beneficio; ſed hic exceſſus eſt pretium illius beneficii Eccleſiaſtici; nam res illa, quæ daretur, ultra naturalem obligationem, eſ-

ſet

ſet pretio æſtimabilis, & excedens naturalē obligationē: Ergo ſtante illa intentione, vel pacto, jam uſura committeretur. Secundò idem aſſumptum probatur; quia illa gratuita compenſatio ex parte recipientis, eſt onus ſupra naturalem obligationem: Ergo quoties hoc onus imponeretur, præcisè ut conferatur beneficium Eccleſiaſticum, jam conferens, ſimoniam committeret, accipiendo ſcilicet temporale in gratuitam compenſationem rei ſpiritualis, &c. quando nanque gratuita compenſatio eſt in pactum deducta; tunc datio, aut collatio beneficii non eſt purè liberalis, & gratuita, ſed onerosa: eo prorſus modo, quo onerosa eſſet donatio alicui facta, cum onere, ut donatarius oret Deum pro ipſo donatore. Sic in caſu dicendum eſt. Ex his apparet falſitas utriuſque partis propoſitionis quadrageſimæquintæ.

ARTICVLVS XLVI.

Exponitur ſenſus quadrageſimæſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimaſexta damnata Propoſitio. *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; immò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.*

221 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd neque committatur ſimonia, quando conferens beneficium propter temporale emolumentum, principaliter movetur à re illa temporali: & etiam ſi res illa temporalis ſit finis, ad quem ordinetur intentio conferentis in conferendo beneficium.

Oppugnatio Propoſitionis.

222 SUppoſitis iis, quæ dicta ſunt in præcedenti articulo, nunc unum noto, hanc propoſitionem eſſe magis ad temeritatem imputabilem, quàm quadrageſimaquinta ſupra impugnata in art. antecedenti; nam præſens propoſitio deſtruit formalem rationē ſimoniæ, & illam omninò intendit tollere de medio in quacunque rei ſpiritualis, aut beneficii collatione; quod eſt contra Summorum Pontificum conſtitutiones, & Sacros Canones in articulo antecedenti cit. Quòd deſtruat formalem rationem ſimoniæ, patet, quia ſimonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, & vendendi pretio temporali rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam: quoties non eſſet ſimonia accipere temporale, ut primarium motiuum, & ut finis conferendi,

di,& efficiendi ſpirituale,non haberetur locus propugnandi, in quo ſimonia committeretur; & ſic ipſa de medio tolleretur. Idem prorſus eſt intendere, & accipere temporale, ut motiuum primarium, vel finem conferendi ſpirituale, ac vendere ſpirituale illud, & recipere temporale illud in pretium rei ſpiritualis. Hoc ultimum oſtendam, impugnando directè ſupradictam propoſitionem.

223 Impugno ſic damnatam propoſitionem. Idem eſt operari propter motiuum,ac operari propter finem,præſertim quando motiuum eſt principale; ſed ut in articulo antecedenti impugnatum eſt, operari propter motiuum aſſequendi temporale in collatione beneficii, eſt ſimonia; quia illo ceſſante motivo aſſequendi temporale, non conferretur beneficium: Ergo pariter quando conferens beneficium, illud confert ad finem recipiendi temporale, committeret ſimoniam. Totum hoc evidentiſſimè patet; nam ſimonia eſt intendere, (quod idem eſt ordinare actionem internam ad finem) rem temporalem accipere, & pro ipſa commutare ſpirituale; ſed quando quis collationem beneficii ordinat ad rem temporalem, tãquam ad finem intentum in ipſa beneficii collatione, jam intendit temporalem rem accipere, & pro ipſa commutare ſpirituale; quæ commutatio eſſet vera, & realis venditio rei ſpiritualis pretio temporali: Ergo jam ſimonia committeretur, quando quis daret ſpirituale,ad finem conſequendi temporale. Vel ex parte recipientis beneficium, quando recipiens beneficium daret temporale ad finem recipiendi ſpirituale, committeret ſimoniam. Hoc ipſum expreſſè conſtat ex cap. *Et ſi quæſtiones*, & in aliis Sac. Canonibus.

ARTICVLVS XLVII.

Exponitur ſenſus quadrageſimæſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimaſeptima damnata Propoſitio. *Cùm dixit Concilium Tridentinum: (eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent) Concilium,vel primò videtur per hos digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo, vel ſecundò, locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus.*

224 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd putant Authores iſtius,ſenſum Concilii Tridentini in cap. 1. ſeſſionis 24. de

24.de reform.incip. *Si in quibuslibet Eccleſiæ gradibus*, eſſe, quòd illa verba (*eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicauerint ad Eccleſias promouere*) nō ſint intelligenda ſimpliciter de dignioribus comparativè ſumptis , pro ut dignior ſit eligendus ad beneficia curata, omiſſò minùs digno ; ſed quòd ſint intelligenda poſitivè, ſcilicet ſint eligendi digni ; & idem ſonet eligere digniorem , ac dignum . Vel quòd ſint intelligenda comparativè ad indignum ; ſcilicet eligatur dignior , omiſſò indigno . Vel quòd quando inter duos habeatur concurſus ad illam Eccleſiaſticam dignitatem , tunc qui dignior exiſtimatur in concurſu, hic eligendus ſit.

Oppugnatio Propoſitionis.

225 SVppono apud omnes Doctores, *Beneficium Eccleſiaſticum eſſe perpetuum Jus percipiendi reditus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale, authoritate Eccleſiæ conſtitutum*: Quod triplex eſt (relictis aliis diviſionibus, quæ ad hanc primam, & principalem reducuntur), Aliud eſt beneficium curatum, aliud duplex, & aliud ſimplex, ſeu non curatum. Primum eſt illud, cui annexa eſt cura animarum: ut eſt Epiſcopatus, Parochia, &c. Secundum eſt illud, cui ultra Eccleſiaſticam dignitatem , eſt etiam annexa aliqua ſolemnis qualitas Juris; quæ vel eſt præeminentia , vel Iuriſdictio, vel cura animarum : ut Archidiaconatus in Cathedralibus, vel Collegialibus: Parochia, &c. in hujuſmodi beneficiis, ultra dignitatē Eccleſiaſticam, eſt etiam annexa cura animarum, & Iuriſdictio. Tertium tandem eſt illud, quòd ſolam dicit Eccleſiaſticam dignitatem, abſque animarum cura, vel jnriſdictione: ut eſt Canonicatus, &c.

226 Suppono inſuper, dignum ad Eccleſiaſticam dignitatem obtinendam illum eſſe, qui habet habilitatem, & capacitatem, à Iure ſtatutas, & canonico Iure non ſit impeditus: habeatque morum honeſtatem, ad cujus exemplum ſubditi poſſint Chriſtianè vivere: & tandem quòd habeat doctrinam , & dexteritatem ad exercendū munus illud Eccleſiaſticum. Ex his infero, quòd ille, qui talibus caret dotibus, non eſt cenſendus dignus , ſed indignus ad officium, & beneficium Eccleſiaſticum . Qui verò magis præditus eſt his dotibus cenſendus eſt magis dignus. Vnde major dignitas cognoſci poteſt dupliciter, vel prævio examine, quando ſcilicet Eccleſiaſticum beneficium conferendum eſt prævio examine ; vel ex perſonæ cognitione habita extra examen , ita ut certus eſſe poſſit conferens, quòd ille , cui confertur beneficium, ſit magis dignus ad illud exercendum :

Digitized by Google

227. In 7.diſp. de Juſt. & Jure ſpecialem tractatum habui per plures quæſtiones de beneficiis, & beneficiarii obligationibus: & in q. 18.6.diſputationis,ubi quæſtionem efformavi,an ſit obligatio ſub mortali eligendi ad quæcunque officia digniorem? dixi, quòd ad officia Eccleſiaſtica habentia curam animarum, ſub mortali tenentur electores eligere meliorem.Ex doctrinis,à me loc.cit.adductis.

228 Impugno nunc ſupradictam damnatam propoſitionem: & primò,quò ad primam partem. Concilium Tridentinum citatum ſeſſ.24.cap.1.de reform. incip. *Si in quibuslibet Eccleſiæ gradibus*: dum dixit illa verba (*eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare,niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint,ad Eccleſias promovent*) loquitur Concilium in eo ſenſu,quo per beneficiarios major utilitas afferatur animabus ipſorum curæ datis;ſed major utilitas præſtatur à magis digno, quàm à minùs digno; cùm magis dignus ſupponatur præditus majori doctrina, & dexteritate: Ergo ſenſus Concilii per illa verba, ſumit digniores comparativè ad minùs dignos,eo prorſus modo, quo ſonant grammaticaliter: Ergo nonniſi temerè interpretantur de poſitivo dignitatis. Quod ſic oſtenditur,primò,quia Concilium, ſi intenderet loqui poſitivè de dignitate eligendorum(ut falsò fuit interpretatum) non dixiſſet,*quos digniores, & magis utiles*; ſed dixiſſet,*quos dignos, & utiles*; cùm hoc ſit poſitivum dignitatis eligendorum: ſicut in aliis capitibus, quando loquitur poſitivè de habilitate, idoneitate, &c.non exprimit has circumſtantias per terminum comparativum unius ad alium,explicatum per *ly magis*: Ergo ſi in hoc capite Cōcilium loquitur per terminum comparativum, ſignum eſt,quòd intendit,& vult, ut in electione ad beneficia Eccleſiaſtica, curam animarum habentia, eligatur magis dignus, omiſſo minùs digno;& ſic quòd non ſumat comparativum pro poſitivo, ut falsò ſupponunt Authores damnatæ propoſitionis. Secundò oſtēditur ex hoc,quòd Concilium fuit locutū cohærenter ad id, quod habetur ex Inn.III. in Conc.Gen.in cap. *Grave nimis*; *de Præbendis*: & cohærenter etiam ad id,quod habetur in cap.un.3.decret.tit.12.his verbis:*Non ex affectu carnali, ſed diſcreto Judicio debuiſſe Eccleſiaſticum beneficium in perſonam magis idoneam diſpenſare*;ſed apertè conſtat,quòd hic ſenſus ſit comparativus majoris digni ad minùs dignum: Ergo in eodem ſenſu locutum eſt cit.Concilium Tridentinum.

229 Secundò impugno damnatam propoſitionem quò ad ſecundam partem. Hæc expoſitio pro ſecunda parte propoſitionis eſt purè gratuita,immò implicatoria:nam nulla eſſe poteſt comparatio inter dignum,& indignum. Si quis interroget me; quinam eſt magis Sanctus Divus Petrus,an Judas? vel interroget, quis eſt magis

doctus, Titius, an Cajus? Et ſupponamus, Cajum eſſe abſolutè indoctum. Tunc malè reſponderem, ſi dicerem: eſt magis Sanctus D. Petrus; eſt magis doctus Titius. Nam inter ſanctitatem, & damnationem nulla fit comparatio: ſicut nulla fit comparatio inter virtutem, & ignorantiam. Sola nanque comparatio habetur inter duo, quorum utrumque participat de qualitate, in qua fit comparatio, ſed unum magis altero de illa qualitate participat. Ut ſupponamus, quòd Titius ſit doctus, ut octo, & Caius doctus, ut quatuor; ſi quis me interroget, quinam eſt magis doctus, Titius, an Caius? Reſponſio legitima eſt, ſi dicerem, Titius; quia tunc etiam Caius de qualitate doctrinæ participat. Hoc præmiſſo, nunc ſic ad intentum noſtrum: ſi Concilium loquitur in ſenſu comparativo, implicatorium eſt, quòd ibi intendat facere comparationem inter dignum, & indignum; cùm indignus non participet de illa eadem qualitate, quæ eſſet, vel doctrina, vel dexteritas, quæ à digno participatur: Ergo ſignum eſt, quòd Concilium loquitur de magis digno comparativè ad minùs dignum.

230 Tertiò impugno damnatam propoſitionem quò ad tertiam partem. In illo capite cit. Concilii non exprimitur concurſus; cùm loquatur de libera promotione, & collatione beneficii Eccleſiaſtici. Vbi nanque Concilium loquitur de concurſu, illum exprimit: ut conſtat ex cap. 18. ejuſdem ſeſſionis 24 ubi circa medium habentur hæc verba. *Peracto deinde examine, renuncientur quotcunque ab his idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis; ex hisque Epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit; atq; illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre.* Si ergo citatum Concilium loqueretur de concurſu, ſeu examine, ſicut hìc examen exprimit, ita etiam ibi examen, aut concurſum exprimeret. Quapropter concludendnm eſt, Concilium ibi intendere de eligendis dignioribus comparativè ad minùs dignos ad Eccleſiaſtica beneficia curam animarum habentia; ut in primo capite ejuſdem ſeſſ. cit. concluditur in fine. *Poſtremò eadem Sancta Synodus, tot graviſſimis Eccleſiæ incommodis commota, non poteſt non commemorare, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium, quàm ut Beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſollicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, eam hìc potiſſimum impendat, ut electiſſimos tantùm ſibi Cardinales adſciſcat, & bonos maximè, atq; idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat; idque eo magis, quòd ovium Chriſti Sanguinem, quæ ex malo negligentium, & ſui officii immemorum Paſtorum regimine peribunt, D.N. Ieſus Chriſtus de manibus ejus ſit requiſiturus.*

ARTI-

ARTICVLVS XLVIII.

Exponitur ſenſus quadrageſimæoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſima octava damnatâ propoſitio. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involuere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.*

231 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, fornicationem non eſſe intrinſecè malam, ſed ſolùm eſſe malam, quia prohibitam in ſexto Decalogi præcepto: unde putant Authores iſtius, quòd aſſerere, fornicationem eſſe ſecundùm ſe, & intrinſecè malam, eſt rationi diſcordare. Quàm ſcandaloſa, & contraria ſit Scripturæ, & Patribus iſta propoſitio, mox oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

232. TAnquam certum ſuppono cum omnibus Doctoribus, *fornicationem ſimplicem eſſe inordinatum concubitum, quo ſolutus naturali uſu ſolutam cognoſcit.* Solutus nanque, & ſoluta debent excludere quodcumque vinculum, ſive conſanguinitatis, ſive affinitatis, ſive Religionis, ſive voti. Quare ſi quis concubitum haberet cum meretrice, & eſſet Religioſus profeſſus, voto caſtitatis obſtrictus, non ſimplicem committeret fornicationem, ſed ſacrilegium; vel ſi committeretur cum conſanguinea, vel affine, eſſet peccatum inceſtus; quæ peccata habent mutare ſpeciem; & ſpecies iſtæ mutatæ ſunt neceſſariò exprimendæ in confeſſione, nec ſufficit dicere, peccavi peccato fornicationis; cùm hoc peccatum in recto ſenſu intelligatur de ſoluto cum ſoluta. Additur etiam illa particula (naturali uſu) ad denotandum, quòd ſi uſus copulæ ſit in vaſe præpoſtero, tunc eſſet peccatum contra naturam, & non ſimplex fornicatio. Eſt de fide certum apud omnes Doctores, ſimplicem fornicationem eſſe mortale peccatum; ut definitum eſt in Clement. *Ad noſtrum, de hæreticis*. Immò hoc expreſsè habetur ex Apoſt. ad Epheſios 5. *Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Chriſti.* Idem ſcribit ad Galatas 5. *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c.* & ſubdit, *quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Quibus

præmiſſis tanquam de fide certis; cùm contrarium ſit tanquam hæreticum damnatum, ut conſtat ex Can. cit. *ad noſtrum, de hæreticis*.

233 Impugno nunc damnatam propoſitionem directè ſecundùm id, quod aſſerit, fornicationem non eſſe de ſe malam, ſed eſſe talem, quia prohibitam, & interdictam. Hæc propoſitio immediatè opponitur doctrinæ traditæ ab Apoſt. 1. Corinth. 6. ubi habetur in verſic. 9: *An neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri: neque molles; neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores Regnum Dei poſſidebunt*. Et verſ. 15. ſubdit Apoſtolus. *Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici unum Corpus efficitur? Erunt enim* (inquit) *duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat, &c.*

234 Ex hac D. Pauli doctrina plura infero contra damnatam propoſitionem. Primum, quòd dum dicit *fugite fornicationem*, & aſſignans motiuum hujus fugæ, ſubdit: *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*; Sed peccare in proprium corpus per actum fornicationis, eſt peccare, ſecluſa quacunque prohibitione: Ergo fornicatio eſt peccatum, & conſequenter mala, ſecluſa quacunque prohibitione. Probatur iſta minor: peccare in proprium corpus, eſt illud maculare, & difformare: quod nõ faciũt cetera peccata, quæ extra corpus committuntur; ſed macula, & difformitas corporis ſunt malæ, ſecluſa quacunque prohibitione, cùm maximum dedecus ſit naturæ rationali, hoc inquinamentum habere: Ergo malum eſt peccare in proprium corpus, ſecluſa quacunque prohibitione. Hoc malum corporis eſt ita malum in ſe, ut multi ex antiquis Philoſophis illud deteſtati fuerint, nullum habendo reſpectum ad legem, quæ ipſis ignota erat.

235 Secundum, quod infero, eſt, D. Hieronymum in expoſitione hujus Epiſtolæ D. Pauli, dixiſſe: *Cetera peccata forinſecus ſunt. Quidquid enim egerimus, in alios agimus; fornicatio non ſolùm conſcientiam fornicantis, ſed & corpus maculat*. Ubi vult Sanctus Hieronymus, quòd fornicatio ex ſe habeat maculare corpus; ſed quod habet ex ſe maculare corpus, eſt ex ſe malum: Ergo fornicatio eſt ex ſe mala: & quidem non ſolùm phyſicè (ut prætendunt Authores damnatæ propoſitionis;) ſed etiam moraliter. Quod ſic oſtenditur. Primò ratione; nam macula moralis eſt talis, quam prudens judicat

eſſe

eſſe rationi diſſonam, & difformitatem inducere, & ut vitioſam illam abominatur; ſed hoc evenit in corpore humano per fornicationem: Ergo habet moraliter maculare corpus. Secundò oſtenditur per verba ipſius Apoſtoli, ubi dicit: *Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis?* Subdit Apoſtolus, *Abſit.* Et hac utor ratione; quia dum unum corpus fit corpus fornicarii cum corpore meretricis, jam corpus illud fornicarii maculatur; & iccircò Apoſtolus dixit *Abſit.* Hinc Theophilactus ſuper hanc Pauli Epiſtolam ait: *In corpus itaque ipſum fornicator delinquit, cùm illud inquinat, & ſordè conſpurcat.* Ex his doctrinis, & aliis Sanctorum Patrum, ut Ambroſii, Athanaſii, Bedæ, &c. quos refert Pater Cardenas, impugnando hanc damnatam propoſitionem, colligi poteſt, quòd abſque ulla ratione in hanc, & ſequentem propoſitionem prolapſi fuerunt duo Authores noſtri temporis.

236 Oſtenditur ſecundò falſitas damnatæ propoſitionis, ex eo, quòd fornicarius ſuas amittit virtutes morales; ſed hoc eſſet falsũ, niſi fornicatio ſecundùm ſe eſſet vitium, & mala; nam cum vitio incompoſſibilis eſt virtus: Ergo ſecundùm ſe mala eſt fornicatio, præciſa quacunque prohibitione. Probatur minor ex D. Ambroſio ſuper Sampſonis laſciviam: ait Sanctus Doctor: *Sampſon validus, & fortis Leonem ſuffocavit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit*: & concludit: *Meſſes incendit alienas, ſed unius ipſe mulieris accenſus igniculo, meſſes ſuæ virtutis amiſit*: Ergo per fornicationem deperdit homo virtutes; ſed magna eſt indignitas in homine amiſſio virtutum, & quidem præciſa quacunque lege poſitiva; cùm quilibet naturali jure teneatur, nedum virtutes augere, ſed illas ſervare; aliàs brutis foret comparandus: Ergo conforme eſt naturali rationi non fornicari.

237 Nunc probo, fornicationem eſſe diſſonam rationi. Illud eſt diſſonum rationi, quod videtur repugnare Juri naturæ; ſed fornicatio repugnat Juri naturæ: Ergo eſt rationi diſſona: Ergo falſum aſſumitur ab Authoribus damnatæ propoſitionis, quòd ſcilicet fornicari non ſit diſſonum rationi. Probatur nunc minor: Quæcunque creatura rationalis Jus naturale habet ad vitam tuendam, ad famam conſervandam, & ad honeſtè vivendum; ſed per fornicationem deturpatur fama, & honeſtas vitæ hominis: Ergo per fornicationem præjudicatur Jus naturale hominis: Ergo repugnat fornicatio Iuri naturæ; ſed quod repugnat Iuri naturæ, eſt diſſonum rationi; quia ratio dictat, non eſſe faciendum id, quod cedit in ipſius naturæ præjudicium, ſed eſſe fugiendum; quomodo ſupra locutus fuit Apoſtolus, dum dixit, *fugite fornicationem*: Ergo fornicatio eſt adeo mala in ſe, ſecluſa quacunque prohibitione, ut ſit omninò diſſona rationi;

ni; ac per conſequens ſupradicta propoſitio meritò, ut ſcandaloſa damnata fuit.

ARTICVLVS XLIX.

Exponitur ſenſus quadrageſimænonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quadrageſimanona damnata Propoſitio. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.*

238 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, mollitiem eſſe malam, quia prohibitam: & ſi prohibita non eſſet, quandoque eſſet bona, & obligatoria ſub mortali, quia non eſt contra Jus naturæ: & quandoque mala. Ab Authoribus aſſignatur caſus, quando eſſet bona, & obligatoria ſub mortali; & quando mala. Bona eſſet (ut ipſi inquiunt) quando abundantia ſeminis retenti affert nocumentum ſanitati; & quia quis tenetur naturali jure ſanitatem procurare, ideo teneretur per mollitiem hoc facere. Mala eſſet, quando quis ægrotaret, & procurando mollitiem, pateretur periculum vitæ; quia tunc quiſque tenetur vitam ſuam ſervare; icircò in caſu infirmitatis mollities mala eſt, & illam procurans, committit peccatum mortali. Illud verò eſt gratis aſſertum, & nimis ſcandaloſum.

Oppugnatio Propoſitionis.

239 MOllities voluntaria, ſeu pollutio, de qua hic eſt ſermo, ſemper peccatum mortale eſt; & quidem contra naturam; cùm per eam non habeatur naturalis uſus in exercitio actus libidinoſi. Hæc autem voluntaria mollities, ſeu pollutio, dupliciter contingere poteſt, vel voluntariè formaliter, & in actu, vel voluntariè virtualiter in cauſa. Tunc eſt voluntaria formaliter, & in actu, quando quis illam liberè exercet abſq; prævia cauſa antecedenter prævisa, ex qua infallibiliter ſequatur pollutio intenta: & hæc dupliciter contingere poteſt, vel ſolo tactu polluentis, quando ſcilicet ſeipſum tangit in parte venerea; vel inſuper tactu alterius, ut ſi ab altero in venerea parte tangatur: quando tangitur ab alio, nõ ſufficit dicere in confeſſione: *procuravi pollutionem*; ſed explicare debet, nedum perſonam, quæ in ipſo pollutionem procuravit, ſed etiam ſtatum, & conditionem ejuſdem, ut ſi eſt Sacerdos, Religioſus, vel Religioſa. Tunc verò eſt voluntaria virtualiter, & in cauſa, quando

ad

Digitized by Google

ad illam procurandam antecedenter data fuit cauſa, qua directè pollutio intenta fuit: ut dum quis ſe ponit ad legendum librum tractantem de rebus venereis, vel longam habeat locutionem de iiſdē rebus, quæ ad actus libidinoſos provocare ſolent: vel ſi ſe inebriaret ad finem habendi pollutionem exortam ex nimio cibo, & potu. In omni caſu, in quo pollutio voluntaria eſt, ſive in actu, & formaliter, ſive in cauſa, & virtualiter, ſemper peccaminoſa eſt. Unde dicit Apoſtolus ſupra relatus 1.Corin.6. *Molles Regnum Dei non poſſidebunt*. Hac præmiſſa doctrina,

240 Nunc impugno damnatam propoſitionem. Secluſa quacunque prohibitione Dei, eſt contra jus naturale id, quod eſt de ſe impeditiuum naturalis generationis; ſed mollities, aut pollutio voluntaria eſt de ſe impeditiva naturalis generationis, ut patet: Ergo mollities, ſeu voluntaria pollutio, etiam ſecluſa divina prohibitione, eſt jure naturæ prohibita; ſed in nullo caſu poteſt eſſe bonum, quod eſt prohibitum Jure naturæ: Ergo mollities, ſeu voluntaria pollutio in nullo caſu poteſt eſſè bona. Probatur major: naturalis generatio eſt exacta jure naturæ: juxta illud Genſ.22. *Creſcite, & multiplicamini*: Ergo quod impedit naturalem generationem, eſt contra Jus naturale: Ergo ſi mollities habet ex ſe impedire naturalem generationem, eſt actus contra Jus naturale. Eò vel maximè, quia effuſio ſeminis ex ſe ordinanda eſt ad naturalem generationem; ſed effuſio ſeminis per mollitiem eſt contra naturam, & ad naturalē generationem non ordinata: Ergo eſt contra Ius naturæ: adeoque in nullo caſu licita. Caſus ille aſſignatus ab Adverſariis ad corporis ſanitatem habendam, eſt arduus, & crudelis: & ſi medicus aliquis, hoc uteretur medicamento, ex prævio ægrotantis conſenſu (ſecluſa quacunq; Dei prohibitione) exerceret actum contra Ius naturale; cùm poſſet alio uti medicamento, ad expellendam ſeminis ſuperfluitatem, ne malum contra naturam committatur.

241 Deinde: mollities ex ſe, præciſa quacunque Dei prohibitione, immunda eſt, contumelioſa, & ignominioſa naturæ, ut dicebat Apoſt.cit.Epiſt.1.ad Cor.cap.6. ſed quod eſt naturæ immundū, contumelioſum, & ignominioſum, eſt jure naturæ prohibitum; quia eſt contra Ius naturale: Ergo mollities eſt Iure naturæ prohibita, etiam ſecluſa quacunque Dei prohibitione. Hinc D.Chriſoſt.ſerm.4.in Epiſt.ad Rom. ait: *Vides hanc concupiſcentiam? tam abſurdum non eſſe aliunde, quàm ex ſumma immodeſtia.* Hoc ipſum confirmari poteſt per ea, quæ in antecedenti articulo dicta ſunt contra ſimplicem fornicationem, tum ex Apoſtolo, tum ex Sanctis Patribus.

ARTI-

ARTICULUS L.

Exponitur ſenſus quinquageſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſima damnata Propoſitio. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium: ideoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.*

243 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd ſi maritus conſenſerit ad copulam, quam quis habeat cum ſua uxore, hic ab adulterii peccato excuſatur: & ex hoc non teneatur dicere in confeſſione, peccavi peccato adulterii, ſed ſufficit, ut dicat, commiſi peccatum fornicationis.

Oppugnatio Propoſitionis.

234 APud omnes Doctores certum eſt, *adulterium eſſe inordinatum concubitum cum perſona conjugata*: & hoc eſſe poterit, vel ex parte unius perſonæ tantùm, vel ex parte utriuſque: ex parte unius evenit, quando mulier tantùm eſt matrimonio ligata, & vir eſt ſolutus; vel quando mulier eſt ſoluta, & vir eſt matrimonio ligatus. Ex parte utriuſque evenit, quando tam mulier eſt ligata matrimonio, quàm vir. Hoc autem adulterii peccatum mortale eſt ex genere ſuo, & gravius fornicatione, ut omnes Theologi affirmant. Gravitatem adulterii deſumunt Doctores, tum ex injuſtitia, quæ alteri conjugato fit, tum ex violatione fidei conjugalis, tum ex illegitimis filiis, qui ex adulterio naſcuntur, & ex multis damnis ſequētibus ex filiorum illegitimatione. Unde de hoc adulterii peccato dicitur apud Iob. cap. 31. *Scortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incuruentur alii. Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima.*

244 Ex his infero cum communi Doctorum conſenſu, per adulterium ultra caſtitatis violationem, committi alias peccati ſpecies contra alias virtutes; ideſt contra fidem ſervandam in matrimonio, quæ in unitate corporis coniugatorum conſiſtit; juxta illud Gen. 2. *Erunt duo in carne una.* Et hæc obligatio exoritur ex ipſo matrimonii contractu. Ex quo contractu qui adulterium committit, peccat etiam contra juſtitiam, propter triplicem iniuriam, nimirum propter iniuriam illatam Sacramento matrimonii: propter iniuriam illatam ſtatui coniugali; & propter iniuriam, quæ infertur mari-

marito (ſi mulier committit adulterium) vel quæ infertur mulieri (ſi adulterium committeretur à marito). Ex adulterio autem ab uxore commiſſo,ſi naſcantur filii ſpurii, & iſti nutrirentur à marito exiſtimante,ſpurios illos eſſe filios ſuos, tunc per tale adulterium, quia maritus damnificatur in ſpuriis ſuſtentandis,ei magna fit iniuria, quæ ad ſervandã juſtitiæ æqualitatẽ compenſanda eſt ab adulteris. Et ſi nullum damnum eveniret marito, quia nimirum per adulterium filii non naſcerentur; vel ſi naſcerentur, non pateretur damnum maritus in illis ſuſtentandis, tunc hæc iniuria propter damnum ceſſaret, ſolis iniuriis tamen remanentibus erga ſtatum coniugalem, erga maritum habentem Ius ad copulam coniugalem cũ uxore;& erga Sacramentum. His notatis,

245 Impugno nunc primò damnatam propoſitionem. Quando coniugata ſe copulat carnaliter cum altero viro, conſentiente marito,conſenſus hic à maritq præſtitus non diſſolvit illam à lege conjugij: Ergo quamvis maritus conſentiat, etiamſi voluntariè, & plena libertate conſentiat, ſemper coniugata adulterium committit. Probatur antecedens: primò, quia conſenſus præſtitus à marito ſolùm faceret, quòd ipſe cederet juri ſuo, non ſuſcipiendo iniuriam, quam reciperet,ſi mulier, ipſo invito, ſeu non conſentiente,ſe carnaliter cum altero viro copularet; ſed etiamſi poſſet cedere Iuri ſuo,adhuc tamen mulier lederet ſtatum coniugalem,& iniuriam inferret Sacramento matrimonij: Ergo per conſenſum mariti non diſſolvitur mulier à lege coniugij. Secundò idem antecedens probatur; quia ſicut conſenſus ille non diſſolvit ſimpliciter matrimonium; cùm hoc ſit indiſſolubile; ita neque habet diſſolvere mulierem à lege coniugij. Quòd autem non diſſolvat matrimonium cõſtat ex ſacris literis,primò ex Gen.2. *Adhærebit uxori ſuæ: erunt duo in carne una.* Secundò ex illo Matt.19. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Per has authoritates ſignificatur,maritum, & fœminã fieri unam carnem,& quidem ex lege matrimonij. Quare eſtò maritus conſenſerit in adulterium mulieris, per talem conſenſum non diſſolvitur matrimonium:ut clarè exprimit Apoſt.ad Rom.7. dicẽs: *Igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus,liberata eſt à lege viri,ut non ſit adultera,ſi fuerit cum alio viro.* Quibus verbis apertè apparet, quòd ex lege coniugij indiſſolubile eſt matrimonium; & quoties mulier fuerit copulata cum alio viro,erit adultera, vivente proprio viro: Ergo non obſtante, quòd vir conſenſerit ad copulam carnalem mulieris cum altero viro, ſemper peccatum illud, quod mulier committit,erit adulterium;ſaltem ex eo,quòd per illam actionem iniuria infertur in matrimonium.

246 Eò vel maximè: per Sacramentum matrimonij ſignificatur unio Chriſti cum Eccleſia:ut habetur ex eodem Apoſt. ad Eph. 5. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnũ eſt. Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*; Sed pro ut ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia violatur hæc unitas, dum mulier carnaliter copulatur cum altero viro, etiam conſentiente marito: & præjudicium affertur unioni Chriſti cum Eccleſia: Ergo, etiam cōſentiente marito, uxor adulterium committit, ſi carnaliter cum altero viro copulatur. Totum hoc oſtenditur, quia uxor, etiam conſentiente marito, quantum eſt de ſe, per talem copulam, ſicut facit unum corpus cum altero viro, ita vellet diſſolvere unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ unio indiſſolubilis eſt: Ergo per talem copulam magnum affert præjudicium Sacramento.

247 Deinde juxta dictum Apoſtoli ad Rom. 7 ſupra cit. deducitur hæc propoſitio univerſalis. *Omnis fœmina coniugata, vivente viro, ſi fuerit cum altero viro, eſt adultera*. Hæc univerſalis eſt vera juxta Apoſtolum: Ergo quælibet particularis propoſitio derivata ab hac univerſali debet eſſe vera, eſtò apponeretur conditio diſtrahens, vel minuens, dummodo eſſentialiter non variaretur: Ergo iſta particularis: *Hæc fœmina coniugata, vivente viro, ſi fuit cum altero viro, conſentiente marito, eſt adultera*, debet eſſe etiam vera, non obſtante illa circumſtantia *conſenſus mariti*. Nam circumſtantia iſta nequit variare eſſentialiter propoſitionem. Sicut ſi dicerem; quia valet iſta propoſitio univerſalis: *Omnis homo eſt rationalis*; valet etiam iſta particularis: *hic homo, qui non diſcurrit, eſt rationalis*: nam illa particula, quæ explicat carentiam actus ſecundi ab hoc homine, non deſtruit prædicatum rationalitatis. Sic in caſu, conſenſus ille à marito præſtitus, non habet deſtruere prædicatum adulterii conveniens uxori ſe copulanti cum altero viro; vivente proprio viro.

248 Quod verò per copulam habitam uxoris cum altero viro, etiam lædatur Ius matrimoniale, & iniuria fiat ſtatui coniugali, patet; quia dum maritus cedit juri ſuo per conſenſum præſtitum, non poteſt alteri juri cedere, niſi illi, quod habet in corpus mulieris; ſed in corpus mulieris habet tantùm jus, illo utendi, & non alienandi ad ſuum beneplacitum; cùm non ſit dominium directum, ſed tātùm uſus, aut jus ad uſum: Ergo non poteſt, circa iniuriam alterius de illo diſponere; ſed quando ita diſponeret, conſenſus mariti non diſſolveret mulierem ab iniuria illata ſtatui coniugali, cui ex lege matrimonij obſtricta eſt, ad non ſe carnaliter coniungendam cum altero viro: Ergo quamvis maritus conſenſum præberet ad talem copu-

copulam non per hoc uxor liberata eſt ab adulterio: & conſequenter, non obſtante conſenſu mariti, dum tale commiſerit peccatum, debet in confeſſione dicere, ſe fuiſſe adulteratam.

ARTICULUS LI.

Exponitur ſenſus quinquageſimæprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſima prima damnata propoſitio. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem; & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.*

249 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd à mortali peccato excuſetur famulus, quando ob metum notabilis detrimenti, ne à Domino ſcilicet malè tractetur, aut torvis oculis aſpiciatur, aut tandem è domo expellatur, adiuvat Dominum ſuũ ad pravas, & inhoneſtas actiones exercendas; ſcilicet ipſum Dominum ſubmiſſis humeris adiuvando, ut per feneſtras aſcendat ad Virginem ſtuprandam: vel aperiendo januam, ut fœmina ingrediatur in ſui Domini cameram: vel deferendo ſcalam, ut Dominus per eam aſcendat ad domum mulieris: vel aliam actionem ſimilem faciendo; & quidem ſcienter; ideſt ſciendo, Dominũ ejus facturum eſſe actionem illam pravam, & inhoneſtam. Per hanc appoſitam particulam *ſcienter* videtur damnata propoſitio, præſertim quia metus appoſitus non eſt gravis, ut poſſit à peccato mortali excuſari.

Oppugnatio Propoſitionis.

250 NOtandum eſt pro majori claritate, quòd multoties accidere poteſt, famulum, juſſu Domini ſui, exercere aliquam actionem per ſe indifferentem, abſque eo, quòd ſciat cauſam, motivum, vel finem illius actionis ab eo exercitæ. Et quandoque accidit, ut Dominus dicat ſervo cauſam, motivum, & finem illius actionis à ſervo exercitæ. Et tandem de fine, motivo, & cauſa illius actionis aliunde ſervus ſcientiam habere poteſt. Quando Dominus præcipit ſervo, ut ſecum ducat ſcalam uſque ad Domum Bertæ, & ſervus ſcalam duceret, neſciendo finem ipſius Domini. Vel ſervo præciperet, ut ſubmiſſis humeris adiuvet ipſum Dominum, ut hic per

feneſtras Bertæ aſcendat,neſciendo finem talis aſcenſus. Vel præciperet,ut aperiat portam ſuæ domus, & donet Bertæ ingreſſum in ſuam domum. Vel præciperet, ut epiſtolas afferat ad manus ipſius Bertæ. Vel tandem,eam vocando, ut accedat ad Dominum ſuum. Quia omnes iſtæ actiones ſunt per ſe indifferentes, ſi fiant à ſervo ad juſſum ſui Domini,non ſunt per ſe peccaminoſæ. At ſi ſervus certò ſciat,vel per ſcientiam habitam à Domino ſuo, vel aliunde,quòd Berta vocetur per ipſum ſervum à Domino ad malum finem, ad actus ſcilicet libidinoſos exercēdos: vel quòd Dominus ad eundem finem vult per feneſtras Bertæ aſcendere: vel petit ingreſſum Bertæ in domum ſuam: vel tandem velit, ut aliquid ſimile faciat ſervus, cum certa ſcientia de actibus libidinoſis committendis à Domino ſuo, quia tunc ſervus diceretur cooperari peccato ſui Domini, jam mortaliter peccaret: cùm eſſet illius libidinis ſui Domini cooperator.

251 Puto,Authores hujus propoſitionis hoc ultimum non negaſſe: ſed ſolùm affirmaſſe,poſſe famulum excuſari à peccato mortali ob illum metum aſſignatum, nimirum, *ne à Domino malè tractetur,ne torvis oculis aſpiciatur*, *ne domo expellatur*: ut expreſsè inſinuatur per ly *ſi id faciat metu notabilis detrimenti*. Quare præſcindo nunc,an hoc detrimentum expreſſum, ſit notabile in ſervo, ut illum excuſet à peccato in illis actionibus, in quibus ſcientiam certam habet de exercenda libidine à Domino; vel non ſit notabile. Quia ſuppono, nullum eſſe committendum peccatum ob metũ quantumcunque gravem, etiam mutilationis membrorum, vel mortis: præſertim quando utrumque ſalvari non poſſit, ſcilicet fuga peccati,vel cooperandi ad peccatum; & vita ſua. In his caſibus major eſt æterna vita, quæ habetur per fugam peccati, quàm temporalis, quæ ſalvaretur, committendo peccatum. His inquam poſitis,

252 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Metus ille aſſignatus nequit facere actionem illicitam, indifferentem,vel licitam; ſed actiones illæ ſupra enumeratæ per ſcientiam, quam haberet famulus de actibus libidinoſis ſui Domini, eſſent actiones illicitæ:Ergo per talem metum, ſupra enarratum, non excuſatur ſeruus cooperando ad actus illicitos ſui Domini. Probatur minor: ſcientia illa debet facere, ut ſeruus prudenter agat; ſe non ponat in periculo peccandi;& ut hoc evitet periculum; ſed periculum peccandi non evitaret; immò ipſi periculo ſe exponeret; & inſuper imprudenter ageret, dum ad metum illum vitandum, cooperaretur actibus pravis, & libidinoſis ſui Domini; & quidem ſcienter: Ergo ſtante illa ſcientia, jam omnes illæ damnatæ actiones,quas operatus eſt famu-

lus

Digitized by Google

lus ex juſſo ſui Domini, ſunt illicitæ,& peccaminoſæ:& conſequenter famulus,adjuvando Dominum ſuum per illas præſtitas actiones, non excuſatur à peccato mortali,non obſtante,quòd id faciat metu notabilis detrimenti.

ARTICVLVS LII.

Exponitur ſenſus quinquageſimæſecundæ Propoſitionis , & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſimaſecunda damnata Propoſitio. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

253 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd tantùm peccet mortaliter ratione ſcandali, & contemptus, quando quis feſta non ſervat. Unde volunt Authores hujus propoſitionis, hoc præceptum ſervandi, ac ſanctificandi feſta non obligare ſub culpa mortali,ſed tantùm ſub pœna.

Oppugnatio Propoſitionis.

254 HOc præceptum feſta ſervandi, quod eſt tertium Decalogi præceptum,colligitur ex illo Exodi 20. ubi habetur:*Sabbata Sanctifices*. Suppono ex D.Thomæ, & Seraphici Doctoris D. Bonaventuræ doctrina, hoc præceptum eſſe partim morale, & partim ceremoniale. Eſt morale, quia per illud præcipitur, ut omiſſis ſecularibus negotiis,debeat homo ſe divino cultui applicare;& hoc quidem facere tenetur ex inclinatione virtutis Religionis. Eſt verò ceremoniale, quatenus deſignatus eſt dies feſti, qui ſanctificandus eſt.Hic dies in lege veteri erat dies Sabbati:& ab Eccleſia fuit deſignatus dies Dominicus in memoriam reſurrectionis Domini. Aliæ verò feſtivitates,quæ ſervandæ præcipiuntur ab Eccleſia, deſignatæ ſunt in honorem Chriſti Domini, Beatæ Mariæ Virginis, & aliorum Sanctorum. Quænam feſta ſervanda ſunt ex præcepto,& quænam ex Eccleſiæ ceremoniis, apparet ex illis, quæ communiter à fidelibus ſervantur. Per hoc præceptum ſervandi feſta opera ſervilia prohibentur, ut conſtat ex Levit. 23. *Omne opus ſervile non facias in eo.*

255 Quòd autem hoc præceptum ſervandi feſta obliget ſub mortali ſecundùm ſe, nullo habito reſpectu ad ſcandalum, vel ad contemptum, ſic oſtenditur, ut cognoſcatur, & evidenter demonſtretur falſitas damnatæ propoſitionis. Primò ex conſuetudine Eccleſiæ,

cleſiæ, & fidelium. Antiqua conſuetudo ſervandi feſta habet vim obligandi ſub præcepto, ita ut qui feſta non ſervaret, ageret contra antiquam conſuetudinem; ſed agendo contra antiquam conſuetudinem, ageret contra præceptum obligans ſub mortali ad feſta ſervanda: Ergo ex præcepto ſervādi feſta obligati ſumus ſub mortali ad illa ſervanda. Probatur minor: *ex cap. cum dilectus*, ubi habetur: *Conſuetudo eſt optima legum interpres*: Ergo eſtò expreſsè nulla habeatur lex obligans ſub mortali ad feſta ſervanda, ſufficeret ipſa conſuetudo antiqua, qua exiſtimant fideles, extare obligationem ſub mortali ad feſta ſervanda. Probatur iſta conſequentia, ex D. Auguſtino Epiſt. 118. in illa quæſt. *Quid faciendum ſit in materia Eccleſiaſtica?* ubi ait: *Similiter etiam ſi quid horum tota frequentat Eccleſia; nam hoc quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt*: Ergo per Diuum Auguſtinum, ſi inſolentiſſima inſania eſt diſputare de ijs, quæ frequentat Eccleſia, & habet de ijs ſatis laudabilem conſuetudinem, ſignum eſt, quòd per Eccleſiæ frequentiam, & conſuetudinem, ut certum, & evidens tenendum eſt; ſed conſuetudo de feſtis ſervandis tanquam ab Eccleſia præceptis, tenetur ut obligatoria ſub mortali: Ergo ipſa fidelium, & Eccleſiæ conſuetudo ſufficit ad obligationem ſervandi feſta ſub mortali.

Eò vel maximè, quia fideles in praxi ſervant feſta, quatenus præceptum de ſervandis feſtis ſit obligatorium ſub mortali: Ergo quando nullum extaret præceptum de feſtis ſervandis, ſufficeret ipſa conſuetudo ad faciendam obligationem ſub mortali.

256 Secundò ſic propoſitionem impugno. Adeſt præceptum divinum de feſtis ſervandis; & quidem ortum ex Jure naturæ, quo tenemur Deo adhibere fidelitatem, reverentiam, & famulatum: & in Deo eſt Jus exigendi à creaturis rationalibus fidelitatem, quatenus omnium Princeps, & Deus eſt: habet Jus exigendi reverentiam, ut in eum nulla committatur injuria: & habet Ius exigendi famulatum in compenſationem beneficiorum, quæ nobis elargitus eſt; quæ compenſatio fieri debet per gratiarum actionem. Fidelitas eſt præcepta in primo præcepto Decalogi: reverentia in ſecundo, & famulatus in tertio præcepto. Nunc ſic arguo. Quælibet creatura ſub peccato mortali tenetur Dei juri ſatisfacere, quod Deus habet erga ipſam, ratione fidelitatis, & reverentiæ: Ergo etiam tenetur ſub mortali ſatisfacere juri, quod Deus habet erga ipſam, ratione famulatus. Probatur iſta conſequentia; quia ſicuti Deus eſt omnium rerum Princeps, ratione cujus Principatus, & ſupremi dominii jus habet exigendi fidelitatem, & reverentiam; ita eſt omnium rerum Benefactor, conſervator, & cuſtos; ratione quorum titulorum jus habet exigendi famulatum à nobis, quo tenemur gratiam Deo reddere;

dere; ſed, ut creatura rationalis Deo famuletur, conſtitutum eſt tertium Decalogi præceptum, ſervandi ſcilicet feſta: Ergo ſub mortali tenemur feſta ſervare.

257 Tandem ex Concilijs multa opera ſervilia ſunt prohibita in diebus feſti; ſed iſta non prohiberentur, niſi præceptum ſervandi feſta obligaret ſub mortali: Ergo præceptum ſervandi feſta obligat ſub mortali, etiam præciſo ſcandalo, & contemptu Eccleſiæ. Patet major, ex Concilio Romano ſub Eugenio II. ubi habentur hæc verba: *Conſtat, omnes omninò obſervare, ut in die Dominico nullus audeat operationes, mercationeſque peragere, præterquam in cibariis rebus; ita ut liberè poſſint, ac debitè in eo ſecundùm poſſibilitatem omnes ad Eccleſiam concurrere, &c. Qui verò ruſtica opera in die Dominico agere præſumpſerit, contra divina præcepta egiſſe non dubitet.* Secundo ex Concilio Arelatino ſub Carolo Magno cap. 16. *Probibetur, ne in diebus Dominicis publica mercata, neque cauſationes, diſceptationeſque exerceantur.* Idem habetur in Conc. Pariſiēſi ſub Gregorio IV. Ex quibus prohibitionibus deducitur obligatio ſub mortali feſta ſervandi, præciſo quocunque ſcandalo, & contemptu Eccleſiæ; nam ſi ultra actiones illicitas præſtitas contra hoc præceptum, extaret etiam publicum ſcandalum, vel Eccleſiæ contemptus, tunc graviori peccato peccaret, qui feſta non ſervaret.

ARTICVLVS LIII.

Exponitur ſenſus quinquageſimætertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſimatertia damnata Propoſitio. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor, ſimul à diverſis celebrantibus audit.*

258 Senſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd in quocunque caſu poſſit quis ſatisfacere præcepto de audiendo Sacro in diebus feſtivis, quando ſimul à diverſis Sacerdotibus celebrantibus audit duas, vel quatuor partes. Ut ſi ſint duo Sacerdotes celebrantes, unus qui ſit in elevatione Hoſtiæ, & alter in initio Miſſæ; tunc dicunt Authores hujus propoſitionis, quòd qui ſimul audiret medietatem Miſſæ ab illo celebrante, qui manet in elevatione Hoſtiæ, & ſimul alteram medietatem ab altero Sacerdote incipiente Miſſam, ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro. Et etiam ſatisfaceret, ſi ſimul quatuor partes à diverſis Sacerdotibus audiret; præſertim ſi celebrarent in viciniorîbus Altaribus.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

259 PRæceptum de audiendo Sacro in diebus Dominicis, & aliis feſtivis diebus eſt Eccleſiaſticum, obligans ad obſervantiã ipſius ſub peccato mortali. Hoc præceptum deducitur *ex diſt.*1. *cap. Miſſas, de Conſecrat.* Ut hoc præceptum adimpleatur, & fidelis eidem ſatisfaciat, tria requiruntur. Primum moralis, & humana præſentia, qua ſcilicet audiens humano modo aſſiſtat, corpore quidem, & mente: unde phyſica præſentia, & verborum auditio non eſt neceſſaria, nec viſio ceremoniarum Miſſæ. Quare ſit, quòd qui dormiret, vel loqueretur in toto Miſſæ curſu, non ſatisfaceret præcepto; quia mens ipſa diſtraheretur à Sacri auditione. Secundum eſt debita intentio, & attentio; quæ intentio debet eſſe ſaltem virtualis, & interpretativa; quòd ſcilicet ad Eccleſiam quis accedat cum intentione audiendi Sacrum, & præcepto ſatisfaciendi: nec voluntariè propter librorum lectionem, picturæ contemplationem, &c. debet ſe ab auditione Sacri diſtrahere; aliàs Miſſam non audiret, nec præcepto ſatisfaceret. Tertium, & quidem præcipuum, quod requiritur ad ſatisfaciendum præcepto de audiendo Sacro, eſt, ut integra Miſſa audiatur; vel ſaltem, quòd pars notabilis non omittatur. In hoc tertio requiſito ſtat aſſertio damnatæ propoſitionis.

260 Hic adverto contra quoſdam præſumentes aſſerere, in Eccleſiis Regularium fideles non ſatisfacere præcepto de audiendo Sacro, quòd ſcilicet huic præcepto ſatisfieri poteſt, ſive Miſſa audiatur à Sacerdote ſeculari, ſive in Parochiis, & Cathedralibus, ſive in Regularium Eccleſiis, & in quibuſcunq; privatis Capellis (dummodo privatæ Capellæ pro aliquibus diebus ſolemnibus non ſint ſuſpenſæ.) Ratio hujus communiter aſſignatur, quia Eccleſia dum præcipit auditionem Sacri in diebus feſtivis, nullam facit mentionem de loco, ubi Sacrum audiendum eſt, ſed auditionem Sacri tantùm præcipit.

261 His notatis impugno nunc damnatam propoſitionem. Et pro claritate pono caſum: ſint duo altaria propinqua, in quibus duo Sacerdotes celebrent, unus ſit in Hoſtiæ elevatione; & alter in introitu Miſſæ. Accedat Titius ad Sacrum audiendum, ut ſatisfaciat præcepto; & ſimul attentè ſecundam audiat medietatem unius Miſſæ, quæ eſt ab elevatione Hoſtiæ, & primam medietatem alterius Miſſæ, uſque ad Hoſtiæ elevationem excluſivè. Quòd iſte talis non ſatisfaciat præcepto, ſic probo. Ex illis duobus partibus Miſſæ celebratis à duobus Sacerdotibus nequit integrari unicum ſacrificium; cum illæ duæ partes ſint inter ſe omninò independen-

tes;

tes; nam una dependet ab uno ſacrificio celebrato per unum Sacerdotem , & altera ab altero ſacrificio celebrato per alium Sacerdotem: Ergo qui audit illas duas medietates duarum Miſſarum , non ſatisfacit præcepto de audienda integra Miſſa. Probatur conſequẽtia. Primò , quia ſi quis audiret duas primas medietates duarum Miſſarum, uſque ad Conſecrationem, non audiendo alteras medietates, non ſatisfaceret præcepto; quia tũc duas medias Miſſas audiret, & non unam integram Miſſam: Ergo neque ſatisfaceret præcepto, qui primam medietatem unius Miſſæ audiret ab uno Sacerdote, & ſecundam medietatem ab altero Sacerdote. Antecedens eſt certum , quia duæ primæ medietates faciunt duo ſemiſacrificia. Probatur conſequentia: illæ duæ medietates duarum Miſſarum, in tantùm non ſunt ſatisfactoriæ pro integræ Miſſæ auditione, in quantùm non integrant unum ſacrificium; ſed neque illæ duæ medietates, quarum una ſit prior, & altera poſterior duarum Miſſarum, habent integrare unum ſacrificium: Ergo auditio duarum medietatum duarum Miſſarum, quarum una ſit anterior, & altera poſterior, non ſatisfacit præcepto de audiendo integro Sacro.

262 Probatur ſecundò eadem conſequentia: ſi unus Sacerdos diceret Miſſam uſque ad Conſecrationem Hoſtiæ incluſivè, & alter ſuccederet ad continuandam eandem Miſſam, à Conſecratione Calicis uſque ad finem Miſſæ, neuter ex his Sacerdotibus conficeret integrum ſacrificium: Ergo pariter qui ab uno Sacerdote audiret Miſſam uſque ad Conſecrationem excluſivè , & ab alio ſimul à Conſecratione uſque ad finem Miſſæ, integrum ſacrificium non audiret: quia ſicut à nemine ex his Sacerdotibus pro illo tempore eſſet integrè factum, ita neque eſſet integrè auditum: Ergo defectu integritatis ſacrificii pro illo tempore, quo quis duas, vel quatuor medietates audiret, jam præcepto audiendi integrum Sacrum non ſatisfaceret.

ARTICVLVS LIV.

Exponitur ſenſus quinquageſimæquartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſimaquarta Propoſitio. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad ſe minorem.*

263 SEnſus hujus dãnatæ propoſitionis eſt, quòd in caſu alicujus urgentis neceſſitatis, ut eſſet infirmitas, vel breviarii amiſſio

pro aliquo die, ita ut quis excuſetur à recitatione Matutini, & Laudum pro illo die, etiam debeat excuſari à recitatione aliarum horarum: & pro ratione Authores hujus propoſitionis aſſignant; quia pars major trahit ad ſe minorem.

Oppugnatio Propoſitionis.

264 SPecialem de hac materia efformavi quæſtionem in 7. diſp. de Juſt. & Jure. Et ex ibi dictis ſuppono, obligationem recitandi divinum officium ex duplici capite oriri in Eccleſiaſticis perſonis, vel ratione beneficii, vel ratione ſacrorum ordinum. Ex utroque capite obligatio eſt ſub mortali, niſi urgentes cauſæ excuſent ab ipſius officii recitatione. Ex his cauſis infirmitas, præſertim, quæ ſit in capite, ob gravem febrim, eſt urgens neceſſitas excuſandi à divini officii recitatione. Magna occupatio in publicis negotiis, & quidem neceſſaria, ut eſſet occupatio in concionando, & concionator per plures horas indigeret ſtudio, vel in ipſis concionibus faciendis magnus labor adhiberetur. Et tandem amiſſio breviarii in itinere, in quo caſu, cùm Eccleſiaſticus memoriter neſciret officium, non teneretur illud recitare. Ad impoſſibile nanque nemo tenetur, nec cum tanto onere Eccleſia præcipit: ut conſtat *ex can. Clericus victum.*

265 Quantùm ſpectat ad obligationem beneficiorum in officii divini recitatione extat Bulla Leonis X. in Conc. Lateran. ſeſſ. 9. §. *ſtatuimus*: ubi decernit, quòd Beneficiarii non percipiant fructus provenientes ex beneficio, & quidem pro rata, ſi officium divinum omittant: & hæc rata fructuum fuit poſtea per quandam Pii V. Bullam explicata.

266 Suppono pro majori claritate impugnationis hujus propoſitionis, præceptum de recitando divino officio, eſſe præceptum ſupra materiam dividuam plures partes habentem; ut eſt præceptũ de quadrageſimali jejunio, quod eſt ſupra omnes, & ſingulos dies quadrageſimæ, ita ut quilibet dies Quadrageſimæ, diviſus ab alio, cadat ſub præceptum. Officium nanque divinum in ſeptem partẽ diviſum eſt, in Matutinum, & Laudes, in primam, tertiam, ſextam, nonam, Veſperas, & Completorium; ita ut quælibet ex his partibus cadat ſub præceptum. Unde præceptum quando cadit ſupra materiam dividuam obligat ad ſingulas partes, etiam pro ut una eſt ab altera diviſa; ita ut tot peccata committerentur, quot omitterentur materiæ præceptæ. Hac præmiſſa doctrina, ut neceſſaria ad noſtrum propoſitum,

267 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Obligatio recitandi

tandi officium divinum eſt obligatio cadens ſupra materiam dividuam: Ergo quando quis non poteſt ob gravem neceſſitatem recitare Matutinum, & Laudes, & poteſt ceteras horas recitare, ad illas, quas recitare poteſt, tenetur. Antecedens eſt certum, quia ſicuti officium divinum eſt in plures partes diviſum, ſic præceptum de ipſo recitando obligat ad ſingulas diviſim recitandas, ita ut recitatio unius partis non dependeat à recitatione alterius, nec omiſſio unius ab omiſſione alterius. Probatur conſequentia: quando materia præcepta eſt diviſa, dum quis non poteſt uni parti, etiam majori ſatisfacere, & poteſt alteri parti, etiam minori, debet pro hac parte ſatisfacere. Quod probatur duplici paritate à me adducta loc.cit.diſp.7.de Juſtitia, & Jure. Prima paritas eſt iſta. Adeſt præceptum jejunandi in tota quadrageſima: qui ob infirmitatem non poteſt jejunare per plures dies, etiam pro majori parte, & poteſt pro alia Quadrageſimæ parte jejunare, pro illa parte, pro qua poteſt, tenetur jejunare; quia dies Quadrageſimæ ſunt materia dividua, & ſinguli cadunt ſub præceptum jejunii. Secunda paritas ſit iſta: habeat Titius debitum, aut obligationem ſolvendi mille; at ipſe in bonis ſuis habeat tantùm quingentos aureos; eſtò obligatio Titii ſit ad mille, quia non poteſt ad mille, & inſuper poteſt ad reſtituendos quingentos aureos, ut ſatisfaciat ſuæ obligationi, & debito, tenetur ſolvere quingentos illos aureos. Ita pariter, quia materia divini officii recitandi eſt dividua, & plures continet partes; ſi quis non poteſt unam partem recitare, eſtò majorem, ut eſſent Matutinum, & Laudes, & poteſt alias recitare, ad illas, quas recitare poteſt, tenetur. Unde videtur, rationabiliter fuiſſe, ut ſcandaloſam, damnatam ſupradictam propoſitionem; quia hac admiſſa, tolleretur obligatio recitandi ſingulas horas officii.

ARTICVLVS LV.

Exponitur ſenſus quinquageſimæquintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſimaquinta damnata Propoſitio. *Præcepto communionis annuæ ſatisſit per ſacrilegam Domini manducationem.*

268 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd ex vi præcepti ſumendi, ſaltem ſemel in anno, communionem, non habeatur obligatio illam ſumendi dignè, ideſt ſine peccato; unde Authores iſtius propoſitionis volunt, quòd poſſit quis ſatisfacere præcepto ſemel in anno ſumendi communionem, etiam ſi illam ſa-

crilegè ſumat. Quamvis hæc fuerit antiqua Doctorum aliquorum opinio,in praxi tamen ſcandaloſa videtur; eo prorſus modo, quo ſcandaloſa,& meritò damnata 14. propoſitio ab Alex.VII. ubi aſſerebatur: *quòd qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

Oppugnatio Propoſitionis.

269 QVanquam hoc Euchariſtiæ Sacramentum ſit duntaxat neceſſarium neceſſitate præcepti, & non medii neceſſitate,ut ſunt Baptiſmus,& Pænitentia; tamen negari non poteſt, immò certum eſt apud omnes Doctores, hoc Sacramentum involuere duplex præceptum,divinum ſcilicet,& Eccleſiaſticum. Vnde in adultis,poſtquam pervenerunt ad perfectum rationis uſum, dicitur Sacramentum neceſſarium neceſſitate præcepti, divini nimirum,& Eccleſiaſtici. De præcepto divino circa hoc Sacramentum conſtat ex illo Joan.6. ubi habetur. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis,non habebitis vitam in vobis.* Idem conſtat ex Luc.22.*Hæc facite in mei commemorationem*. Quare Chriſtus Dominus omnibus impoſuit hoc præceptum de ſuo corpore manducando in memoriam ſuæ paſſionis, quòd eſt Euchariſtiam ſumere. Quare Apoſt. Paulus 1. Cor. 11. ait: *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc,& calicem bibetis,mortem Domini annunciabitis*. De communione ſumenda ſaltem ſemel in anno à quibuſcunque fidelibus, poſtquam ad annum diſcretionis pervenerint, præceptum extat Eccleſiæ, ex ſpeciali decreto Innocentii III. emanatum in Later. Concilio, *ex cap ſæpè*:& nunc habetur in Decretal. *Cap.Omnis de Pœnit.& remiſſ.*his verbis: *Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit,ſemel ſaltem in anno confiteatur,ſuſcipiens reverenter,ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum.* Ex his ultimis verbis Concilii

270 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Dum Conciliũ Lateranenſe citatum præcipit omnibus Chriſti fidelibus, quòd ſemel in anno ſumendum ſit Sacramentum Euchariſtiæ,ſaltem in Paſcha,ſimul præcipit,ut reverenter ſumatur: Ergo quoties quis Euchariſtiam reverenter non ſumit, non ſatisfacit præcepto de annua communione; Sed qui ſumit communionem indignè, non ſumit illam reverenter; cùm vel ſumat ex certa malitia factæ confeſſionis invalidæ;vel abſolutè abſque prævia confeſſione: Ergo per ſacrilegam communionem non ſatisfit præcepto annuæ communionis. Probatur antecedens: nam intentum Concilii eſt, præcipere annuã communionem, ut Deus,ſemel ſaltem in anno,veniat in memoriam fide-

Digitized by Google

fidelium,& colatur:ut exprimunt illa verba cit. Apoſtoli ; *Quotieſcunque manducabitis, &c.* & verba Lucæ 22. *Hoc facite in mei commemorationem*. Et inſuper, ut fideles Corpore Chriſti reficiantur; ſed Deus colitur à fidelibus,& iſti Corpore Chriſti reficiuntur,quãdo reverenter illud ſumunt: Ergo dum Concilium exprimit illam particulam *reverenter*, intendit præcipere, communionem eſſe ſemel in anno reverenter faciendam : Ergo dum ſacrilegè fidelis illã ſumit, præcepto non ſatisfacit.

Eò vel maximè : hoc Concilium loquitur cohærenter ad doctrinam Apoſtoli 1.Cor.11.ubi ait.*Itaque quicunque manducaverit panem hunc,vel biberit calicem Domini indignè,reus erit Corporis,& Sanguinis Domini* ; Sed cum reitate Corporis, & Sanguinis Domini nequit ſtare ſatisfactio præcepti de communione ſumenda ſemel in anno: quia dum ipſa præcipitur ab Eccleſia, præcipitur eo modo,quo Chriſtus eam divino præcepto præcepit ; ut ſcilicet dignè ſuſcipiatur in ſui memoriam: Ergo Conc. cit. præcipit annuam communionem,ut ly *reverenter*, ſeu dignè cadat ſub præceptum. Hinc Scotus noſter *in 4.diſt.27.ar.un.§.De ſecundo*,ait.*Et etiam quãdo vult exercere actus aliquos, quibus debetur reverentia ſpecialis, ut quando vult communicare, habita opportunitate Sacerdotis,nullus debet ſine confeſſione communicare ; & in ſimilibus ſimile eſt judicandum*.

271 Deinde : præceptum Eccleſiaſticum de ſumenda Euchariſtia ſemel in anno,debet conformari præcepto divino,quo illa abſolutè præcipitur fidelibus ; ſed à Chriſto fuit Euchariſtia abſolutè præcepta,ut dignè ſumatur:aliàs indignè ſumentes ſunt Rei Corporis,& Sanguinis Domini : Ergo dum ab Eccleſia præcipitur ſemel in anno, præcipitur,ut dignè ſumatur. Minor oſtenditur ex immediato Chriſti præcepto notato in Joan.6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis,non habebitis vitam in vobis*. Quomodo ergo, ex præcepto Chriſti poteſt habere vitam æternam , qui carnem Chriſti per Euchariſtiam indignè ſumit? Ergo ſignum eſt , quòd Chriſtus vult,ut ſumatur, & dignè ſumatur : Ergo dum Eccleſia præcipit, Corpus Chriſti per Euchariſtiam eſſe ſumendum ſemel in anno, ſimul præcipit,quòd ſumatur, & dignè ſumatur: ac per conſequens per ſacrilegam communionem non ſatisfit præcepto annuæ communionis.

ARTI-

ARTICULUS LVI.

Exponitur ſenſus quinquageſimæſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſimaſexta damnata propoſitio. *Frequens confeſſio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.*

272 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd abſolutè ſit nota prædeſtinationis, vel ſignum ejus, frequens confeſſio, & communio, etiam in iis, qui gentiliter vivunt, ideſt in moribus depravatis, & corruptis. Unde volunt Authores iſti, quòd eſtò quis depravatè, & indignè vivat, abſque propoſito vitam corruptam mutandi in honeſtam, ſi frequenter ſuſcipit Sacramenta confeſſionis, & communionis, hujuſmodi Sacramentorum frequentia eſt prædeſtinationis ſignum.

Oppugnatio Propoſitionis.

273 SVppono, inter fideles alios eſſe eos, qui verè contriti accedunt ad Sacramentalē confeſſionē cum propoſito amplius non peccādi; & ſic verè pœnitentes accedunt ad ſuſcipiendam communionem: & alios eſſe eos, qui ſola conſuetudine, abſq; ſupernaturali dolore, & abſque propoſito, ad Sacramentalem accedunt confeſſionem; & ſic indignè etiam ſacram ſumunt communionem. Primi nanque certitudinem habere non poſſunt de eorum prædeſtinatione; cùm nemo certus ſit, an odio, vel amore ſit dignus; ſed ſolam ſpem ſuæ prædeſtinationis habere poſſunt. Secundi, qui ſcilicet indignè accedunt, etiam cum frequentia ad Sacramenta confeſſionis. & communionis; licèt habere debeant ſpem æternæ prædeſtinationis, quatenùs Deus miſericors eſt, & nemo debet de ſua ſalute deſperare; tamen per vitam depravatam, & frequentiam ſacrilegiorum poſſunt evidenter cognoſcere, viam illam conducere ad ſui perditionem. Neque frequentia illa Sacramentorum, indignè ſuſceptorum, poteſt in ſe eſſe prædeſtinationis ſignum. Et quanquam ab omnibus ferè Theologis frequentia Sacramentorum enumeretur inter prædeſtinationis ſigna, non tamen eſt talis, ut indignè, & ſacrilegè exercita, ſed ut dignè, & reverenter exhibita; quatenus ad Sacramenta, quis accedit verè de peccatis contritus, cum interno propoſito denuò non peccandi; & inſuper Deo unitur amicabiliter per

gratiam

gratiam Sacramentalem,quam recipit: & in hoc internò propoſito debet uſque in finem vitæ perſeverare,ut æternam conſequatur ſalutem.Quibus poſitis,

274 Nunc impugno damnatam propoſitionem. In iis,qui gentiliter vivunt,ſeu qui depravatam vitam ducunt,vel in Sacramentorum frequentatione, illa dignè ſuſcipiunt,cum dolore, & propoſito requiſitis,ut donum Dei, ſeu gratiam Sacramentalem recipiant: vel illa indignè ſuſcipiunt, abſque dolore nimirum, & propoſito requiſitis,ut vitam depravatam relinquant. Si dicatur primum:Ergo quamvis gratiam Sacramentalem recipiant, dum dolorem habent de peccatis,cum propoſito ampliùs non peccandi; quia tamen vitam illam depravatam nonrelinquunt, nequit in iſtis ſignum prædeſtinationis haberi. Probatur iſta aſſumpta conſequentia:nam ſignum prædeſtinationis in iis deduci poteſt, qui quamvis lapſi in culpam mortalem,ita reſurgunt, ut culpam illam ampliùs non reaſſumunt; & propoſitum de cetero non peccandi,adimplent quantùm poſſunt;imminò conantur illud adimplere: Ergo quando vitam depravatam proſequuntur, eſtò Deus det gratiam Sacramentalem pro illo actu ritè exercito,ſcilicet cum dolore, & propoſito exactis ad ritè, & dignè Sacramenta ſuſcipienda; quia poſtea vitam illam depravatam non relinquunt,ſignum prædeſtinationis colligere non poſſunt. Vltraquamquòd etiam impoſſibile, ſaltem moraliter, videtur,quòd qui quotidie, vel ſæpius confitetur de peccatis cum dolore, & propoſito exactis, & communionem quotidie ſumit, quòd depravatam vitam ducat; nam ſtare non poteſt moraliter dolor perfectus de peccatis,cum propoſito non peccandi, & continua vita depravata. Vel ſi ſtat vita continua depravata, impoſſibile eſt moraliter, quòd frequentia Sacramentorum ſit cum interno dolore,& propoſito, per quæ gratia Sacramentalis ſuſcipitur.

275 Si verò dicatur ſecundum (quo modo ſumenda videtur damnata propoſitio): Ergo potiùs ſignum reprobationis, quàm prædeſtinationis eſſet illa Sacramentorum frequentia. Probatur iſta conſequentia: quia ſignum prædeſtinationis tunc colligitur, quando probabiliter argui poteſt, aliquem ex prævìis actibus meritoriis eſſe conſecuturum vitam æternam. Et tunc colligitur ſignum reprobationis, quando probabiliter arguitur, aliquem ex prævìis actibus demeritoriis eſſe conſecuturum æternam damnationem; ſed quando quis depravatam vitam ducit, & indignè frequentat Sacramenta,actus,quos exercet,ſunt demeritorii, & ex iis argui poteſt,eum,qui indignè talia frequentat Sacramenta, eſſe cõſecuturum æternam damnationem:nam ut dicit Apoſt.1. ad Cor.9. *Qui manducat,& bibit indignè,judicium ſibi manducat, & bibit, non diju-*

diiudicans Corpus Domini: Ergo in eo, qui depravatam vitam ducit, & indignè Sacramenta frequentat, nequit dari ſignum, & nota prædeſtinationis, ſed reprobationis: præſertim quia illa depravata vita ad perditionem conducit.

Eò velmaximè:tunc colligi poteſt ſignum prædeſtinationis in aliquo, quando in eo frequentia Sacramentorum ſtat cum mandatorum obſervantia; ſed in iis, qui gentiliter viuunt, ſeu depravatam vitam ducunt non ſtat mandatorum obſervantia; immò mandatorum contemptus: Ergo in iis, qui ita viuunt, nequit ſtare ſignum prædeſtinationis.

276 Ultra has rationes, contra hanc damnatam propoſitionem militant determinationes Trid. Concilii ſeſſ.6. cap.12. ubi habetur: *Nemo quoque quandiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeo præſumere debeat, ut certò ſtatuat, ſe omninò eſſe de numero prædeſtinatorum, quaſi verum eſſet, quòd juſtificatus, aut ampliùs peccare non poſſit, aut ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam, niſi ex ſpeciali revelatione, ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.* Si igitur ex citato Concilio, nemo eſſe poteſt certus, quòd ſit de numero prædeſtinatorum, niſi ex ſpeciali revelatione ei facta de ſua prædeſtinatione; quo modo poſſet ſignum prædeſtinationis habere, quando pravam, & corruptam vitam ducit? Frequentia illa Sacramentorum facit præſumptionem in eo, qui infert probabiliter, ſe eſſe prædeſtinatum, dum corruptam, & depravatam ducit vitam. Argumentum ex hoc Concilio viget à fortiori: ſi dum quis eſt juſtificatus non eſt certus, ſe non poſſe ampliùs peccare, vel quòd ſi peccaverit, certam habebit reſipiſcentiam: dum vitam gentiliter, & depravatè ducit, poteſt ſaltem probabiliter judicare, ſe eſſe reprobatum. At cum hac probabilitate reprobationis non poteſt ſtare prædeſtinationis ſignum: Ergo in iis, qui depravatè viuunt, eſtò frequentent Sacramenta, iſta frequentia Sacramentorum non eſt ſignum prædeſtinationis.

277 Quòd autem nemo poſſit eſſe certus, ſe eſſe de numero prædeſtinatorum, eſtò honeſtè vivat, & quantùm poteſt, mandata ſervet, conſtat in eadem ſeſſ. ejuſdem Concilii Can.15. ubi habetur: *Si quis dixerit, hominem renatum, & juſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.* Concilium in hoc Can. loquitur de iis, qui verè juſtificati ſunt, qui non debent ex fide credere, ſe certò eſſe ex numero prædeſtinatorum: Ergo multò minùs poſſunt credere, habere ſignum prædeſtinationis propter Sacramentorum frequentiam, qui gentiliter, & moribus depravatis viuunt. Nam illi, qui juſtificati ſunt ex fide,

fide,credere poſſunt, ſe eſſe in gratia, licèt certò ſcire non poſſint,ſe eſſe in gratia confirmatos,ita ut non poſſint ampliùs peccare:& iſti, qui gentiliter,& depravatis moribus vivunt,non ſunt juſtificati,neque per indignam frequentiam Sacramentorum juſtificari poſſunt: Ergo ex tali frequentia nequit colligi ſignum prædeſtinationis in iis, qui moribus depravatis,& gentiliter vivunt.

278 Ex hac Concilii doctrina hoc demonſtrativum efformo argumentum. Majorem connexionem habet actus juſtificationis cum prædeſtinatione, quàm frequentia Sacramentorum, indignè ſuſceptorum ab iis,qui moribus depravatis vivunt, cũ ſigno prædeſtinationis: nàm ille eſt actus conducens ad prædeſtinationẽ, licèt non certò habendam; frequentia autem illa conducit ad reprobationem; Sed non obſtante tali connexione,quia homo adhuc eſt liber ad peccandum, & peccare poteſt, immò poſtquam peccaverit, non eſt certus de reſipiſcentia; nequit eſſe certus de futura prædeſtinatione: Ergo ex frequentia Sacramentorum, indignè ſuſceptorum,qui depravatis moribus, & gentiliter vivunt,nequeunt ex tali Sacramentorum frequentia colligere,& deducere notam,vel ſignum prædeſtinationis. Quare concludendum eſt, frequentiam illam confeſſionis,& communionis in iis,qui gentiliter vivunt,non eſſe notam prædeſtinationis.

ARTICULUS LVII.

Exponitur ſenſus quinquageſimæſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſima ſeptima damnata Propoſitio.*Probabile eſt,ſufficere attritionem naturalem,modò honeſtam.*

279 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd probabilis judicetur ſententia affirmans, ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ ſufficere naturalem attritionem, dummodo hæc ſit honeſta. Hæc opinio adverſatur Concilio Tridentino, & ut ſcandaloſa, & temeraria damnata eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

280 SVppono pro majori intelligentia impugnationis hujus damnatæ propoſitionis,dolorem naturalem de peccatis illum eſſe,qui habetur ex motivo naturali humano, ex timore ſcilicet infamiæ ex peccato illo reſultantis apud homines, & non elicitur ex

motivo timoris Dei peccatū illud vindicantis. Dolor verò ſupernaturalis habetur ex motivo ſupernaturali, & ex eodē motivo elicitur, quatenus Deus poteſt peccatū illud, quod eſt ejus offēſa vindicare. Hic autem dolor ſupernaturalis alius eſt perfectus, & eſt contritio, qua hominem pœnitet peccatorum, præcisè quia offenſa Dei ſunt; & alius eſt imperfectus, & dicitur attritio ſupernaturalis, per quem pœnitet peccatorum ob eorum turpitudinem, vel ob metum gehennæ, & pœnarum: quæ attritio eſt ſupernaturalis, & donum Dei (vt loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap 4.) ſi excludat voluntatem peccandi, & includat ſpem veniæ peccatorum; ſi hanc voluntatem peccandi non excludit, eſt purè naturalis; & ut melius dicam, eſt dolor fictus. Ex hoc

281 Notandum eſt cum Scoto Doctore noſtro in 4. diſt. 1. qu. 5. §. *contra iſtam opinionem, in fine: quòd in fictè pœnitente, ceſſante fictione nihil eſt, quod ſufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ; alioquin non oporteret talem fictè confeſſum de eiſdem peccatis aliàs confiteri.* Quibus verbis inſinuat Doctor ſubtilis, quòd dum quis vèrum, & ſupernaturalem dolorem non habet de peccatis; ſed tantùm naturalem, dicitur fictè confiteri: & ſi poſt confeſſionem ceſſaret fictio, non haberetur effectus veræ pœnitentiæ per illud Sacramentum fictè factum. Sicut haberetur ſi quis fictè ſuſciperet baptiſmum, qui eſt medium neceſſàrium ad ſalutem, & eſt initerabilis, ceſſante fictione, effectus baptiſmi, ſcilicet gratia, & peccatorū remiſſio. Ex hac ratione deducunt omnes Theologi Scotiſtæ, quod eſtò alia Sacramenta, præſertim baptiſmus, confirmatio, & ordo, poſſint eſſe valida, ideſt valdè recipi, & informia, ſcilicet ſine effectu Sacramentorum, qui eſt gratia; tamen hoc pœnitentiæ Sacramentum nequit eſſe validum, & informe; cùm conditiones requiſitæ ad valorē hujus Sacramenti, materia ſcilicet ritè confeſſa, cum requiſito dolore, etſi non perfecto, ſaltem imperfecto ſupernaturali, & forma, cum debita miniſtri intentione, requirantur etiam ad effectum Sacramenti: & è contra; quæ ſcilicet ad effectum requiruntur, ſunt etiā ad valorem neceſſariæ. Quare ſi ex defectu doloris ſupernaturalis, vel ex defectu propoſiti, Sacramentum non cauſat gratiam, neque validum diceretur; quia defectus hic doloris ſupernaturalis ſpectat ad integritatem materialem Sacramenti: & quando materia non eſt integra formaliter, nequit eſſe validum Sacramentum. Actus nanque pœnitentis (vt habetur ex Conc. cit.) ſunt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ, & ideo tam ad effectum, quàm ad valorem Sacramenti requiruntur.

282 Ab hac Theologorum controverſia præſcindit præſens damnata propoſitio: nam eſtò Thomiſtæ affirment, quòd ex defectu for-

formalis doloris quandoque haberi poſſit Sacramentum validum, quò ad eſſentiam, quia non deficit pars eſſentialis Sacramenti; tamen volunt, quòd Sacramentum ipſum non cauſet gratiam; quia deficit dolor ſupernaturalis ad effectum gratiæ requiſitus. Propoſitio verò damnata facit ſenſum, quòd dolor purè naturalis ſufficiat tam ad valorem, quàm ad effectum Sacramenti: & inſuper dicit probabile eſſe, quòd ſufficiat ad veram pœnitentiam attritio naturalis. Quò ad utramque partem damnata manet ſupradicta propoſitio.

283 Probatur falſitas ipſius, quò ad primam partem, quòd ſcilicet abſolutè non ſufficiat naturalis attritio ad veram pœnitentiam. Vel ſufficeret naturalis attritio tantùm ad valorem Sacramenti: vel etiam ſufficeret ſimul ad valorem, & ad effectum Sacramenti; ſed neutrum eſt dicendum: Ergo non ſufficit naturalis attritio ad veram pœnitentiam. Probatur minor, quò ad primam partē. Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ illa attritio eſt ſufficiens, quæ ſpectat ad eſſentialem hujus Sacramenti integritatem; ſed attritio purè naturalis, ex humano ſcilicet motivo habita, non ſpectat ad Sacramenti integritatem: & ipſa ſola interveniente, & dolore ſupernaturali ſecluſo, non eſſet eſſentialiter integrum Sacramentum pœnitentiæ: Ergo ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non ſufficit attritio naturalis. Probatur minor ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. incip. *Docet præterea Sancta Synodus, &c.* vbi habentur hæc verba: *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempè contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur: hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Ex hac doctrina Concilii arguo ſic. Concilium vult, quòd illi actus pœnitentis ſpectant ad integritatem Sacramenti, & ad plenam, & perfectam remiſſionem peccatorum; ſed attritio purè naturalis non ſpectat ad Sacramenti integritatem, neq; per ipſam poteſt haberi perfecta peccatorum remiſſio: Ergo per ſolam naturalem non eſſet integrum Sacramentum pœnitentiæ; ac per conſequens eſſet invalidum.

284 Quòd non ſpectet ad integritatem Sacramenti patet, quia illa attritio ad talem integritatem, & valorem ſpectat, quæ eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti; ſed purè naturalis attritio nō eſt impulſus Spiritus Sancti, nec donum Dei: cùm hæc non ſit ob pœnarum, & gehennæ metum, cum excluſione voluntatis peccandi, & cum ſpe veniæ (quomodo eſſet ſupernaturalis, ut idem Conc. cap. 4. aſſerit); ſed tantùm eſſet ob metum naturalis infamiæ. Major etiam eſt certa, nam attritio in materia Sacramenti ſuccedere de-

bet loco perfectæ contritionis: Ergo debet eſſe donum Dei : ut loquitur Conc.cap.4.cit. *Non adhuc inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat*.

285 Ex his facilè impugnatur ſecundum membrum argumenti principalis, quòd ſcilicet attritio naturalis neque ſufficiat ad valorem ſimul Sacramenti, & ad effectum ejus ſcilicet ad gratiam. Primò ex illis verbis relati Concilii cap. 3. *Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem, ex Dei inſtitutione requiruntur*; Sed attritio purè naturalis non habet diſponere ad perfectam peccatorum remiſſionem: Ergo neque ad effectum Sacramenti, qui eſt gratia, quæ à Deo infunditur in actu, quo peccata remittuntur. Ex eo nanque, quòd naturalis attritio, quæ non eſt diſpoſitio ad juſtificationem, cùm non proveniat ex Spiritus Sancti impulſu, non ſufficiat ad valorem Sacramenti; à fortiori neque ſufficere poteſt ad effectum gratiæ Sacramentalis; quia plus requiritur ad effectum gratiæ Sacramentalis, quàm ad ſolam Sacramenti integritatem, & valorem, ut omnes concedunt Theologi.

286 Infero tandem ex his, quæ dicta ſunt, eſſe omninò improbabile, attritionem naturalem ſufficere ad valorem, & effectum Sacramenti pœnitentiæ; nam quoties eſt improbabile, actum aliquem per ſe diſponere ad juſtificationem, eſt improbabile, actum illum ſufficere ad valorem, integritatem, & effectum Sacramenti; ſed cùm attritio purè naturalis, non ſit impulſus Spiritus Sancti, ſed tantùm oriatur ex humano motivo, non poteſt diſponere ad juſtificationem: Ergo eſt improbabile, quòd attritio naturalis ſufficiat ad integritatem, valorem, & effectum Sacramenti pœnitentiæ.

ARTICVLVS LVIII.

Exponitur ſenſus quinquageſimæoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſimaoctava damnata propoſitio. *Nemo tenetur confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.*

287 Senſus hujus damnatæ propoſitionis eſt; quòd dum confeſſarius, ut remedium opportunum tradat pœnitenti, velit ipſum interrogare, an habeat conſuetudinem de tali peccato, volunt Authores hujus damnatæ propoſitionis, quòd pœnitens non teneatur fateri conſuetudinem illam. V.G. ut confeſſarius cognoſcat, an Titius, qui confeſſus eſt, ſe commiſiſſe adulterium, habeat con-

conſuetudinem tale adulterium committendi, interroget Titium, dicendo:*habeas conſuetudinem adulterandi?* volunt Authores iſtius propoſitionis, quòd Titius non teneatur hanc conſuetudinem fateri, ſi illam habet. Falſitatem ipſius nunc oſtendam.

Oppugnatio Propoſitionis.

288 ADverto, conſuetudinem peccandi, eſſe actuum replicationem, ex qua habitus peccaminoſus generatur: unde peccator ex frequentibus actibus adulterandi generat habitum adulterandi: ex frequentibus actibus furandi habitum furandi generat; ita loquendo in quacunque peccati ſpecie. Ultra hunc habitum conſuetudo ponit in peccatore ſpecialem peccati malitiam; vel nimirum ſumptam ex recidivitate, qua non vult occaſionem peccandi fugere; vel ſumptam à carentia propoſiti, quod habere debet peccator de ampliùs non peccando. Quare ſi quis conſuetudinem haberet furandi, adulterandi, blaſphemandi, fornicandi, &c. ultra habitum, qui generaretur ex actuum frequentatione, ipſa cõſuetudo diceret ſpecialem malitiam additam habitui, quæ ſpecialis malitia, vel eſt recidivitas ipſius peccatoris, qua non vult ab occaſione peccandi aufugere, & peccatum ipſum relinquere, vel eſt carentia propoſiti, quia nimirum non proponit, ſicut debet, ampliùs non peccare. Ex hac doctrina patet falſitas fundamenti, quo Authores iſtius damnatæ propoſitionis nitebantur, illam defendere; nimirum, quòd bis idem peccatum deberet confiteri; quia volebant, conſuetudinem non eſſe diverſam malitiam ab ipſis peccatis; quod omninò falſum eſſe demonſtravi ſuperiori doctrina.

289 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Supponamus, Titium habere conſuetudinem committendi adulterium cum Berta, accedat ad confeſſarium, & dicat: *Commiſi adulterium cum Berta.* Eò ipſo, quod ſtat in actuali confeſſione, fit ſubditus ſacramentaliter eidem confeſſario, & confeſſarius munus Judicis exercet; ſed Judex in exercitio Judicis Jus habet interrogandi Reum de delicto, de circumſtantiis delictum aggravantibus, & de conſuetudine circa tale delictum: Ergo confeſſarius habet Jus interrogandi pœnitentem de delicto, circumſtantiis delictum aggravantibus, & de conſuetudine delinquendi; ſed ſtante tali Jure interrogandi in confeſſario, inſurgit debitum, & obligatio ex parte pœnitentis reſpondendi ad interrogata; aliàs peccaret ſaltem contra obedientiam præſtandam confeſſario tanquam Judici: Ergo dum confeſſarius de conſuetudine peccandi interrogat, tenetur pœnitens conſuetudinẽ ipſam fateri. Probatur minor: ſi confeſſarius tale Jus non haberet,
non

Digitized by Google

non poſſet certificari, ad quamnam flecteret ſententiam, vel ad abſolutionem ſcilicet à peccatis, vel ad negationem abſolutionis; nam dum ipſe non eſt certus, an peccato confeſſo nova ſit adjuncta malitia, ratione cujus confeſſarius deberet, vel pœnitentem non abſolvere, ut reſipiſcat, vel graviorem applicare ſatisfactionem, ut pœna culpæ commenſuretur; non poteſt rectum judicium efformare: Ergo confeſſarius habet illud jus interrogandi Reum de delicto, circumſtantiis, & conſuetudine delinquendi.

290 Deinde: confeſſarius eſt Iudex, medicus ſpiritualis, & Conſiliarius, præſertim in iis, quæ ad animam ſpectant. Ut Iudex, habet Ius ex officio pœnam condignam infligendi pro delictis, & delictorum conſuetudine, circumſtantiis, &c. Ut medicus ſpiritualis tenetur animæ infirmitati adhibere opportuna medicamenta. Vt Conſiliarius in rebus ad animam pertinentibus, tenetur conſilium præbere pœnitenti, quomodo in futurum ſe debeat gerere in occaſionibus removendis, in abſtinentia à peccatis, in propoſito ſervando non ampliùs peccandi: & in his conſiliis, ipſum pœnitentem monere, ut Eccleſiam, oratoria, & devotiones frequentet; ſed hæc omnia præſtare non poſſet confeſſarius, niſi poteſtatem haberet interrogandi de conſuetudine peccati; nam ob talem conſuetudinem, peccatum indiget majori ſententia Iudicis, majori, & urgentiori medicamento; & tandem majori conſilio: Ergo dum confeſſarius interrogat pœnitentem de alicujus peccati conſuetudine, tenetur pœnitens conſuetudinem illam fateri.

Eò vel maximè, quia confeſſarius, ut Iudex, poteſtatem habet interrogandi circa propoſitum pœnitentis, ſi firmum fuit de relinquendo peccato, vel occaſione conducente ad peccatum, vel cōſuetudine ipſa peccandi; ſed ſtante tali poteſtate interrogandi circa propoſitum, tenetur pœnitens fateri propoſitum ipſum: Ergo dum confeſſarius interrogat circa propoſitum, tenetur pœnitens propoſitum fateri; ſed conſuetudo peccandi eſt indicium carentiæ propoſiti: Ergo dum confeſſarius interrogat de conſuetudine alicujus peccati, tenetur pœnitens illam fateri.

291 Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap 4. de contritione, ait: *Declarat Sancta Synodus, hanc contritionem, non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum, & incboationem; ſed veteris etiam odium continere; juxta illud Ezech. 18. Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Ex qua doctrina ſic arguo. Confeſſarius, ut cognoſcat pœnitentem, an propoſitum habeat, ex vera contritione, novam vitam ſumendi, & veterem deteſtandi, debet de tali propoſito interrogare pœnitentem, & hic veritatem tenetur

fateri;

fateri; ſed interrogando de propoſito, interrogat ipſum de conſuetudine; quia conſuetudo peccandi, ultra habitum peccaminoſum, dicit carentiam propoſiti,& peccatoris recidivitatem;quæ ſunt conditiones retardantes confeſſarium à forma abſolutionis præſtanda, & reddentes ipſum pœnitentem incapacem abſolutionis,donec reſipiſcat,& executioni mandet propoſitum ipſum de non peccando: Ergo confeſſario interroganti de peccati conſuetudine tenetur pœnitens illam fateri.

Ultraquamquòd, ſupponamus confeſſarium interrogare Titium de alicujus peccati conſuetudine, V.G.de adulterii conſuetudine: vel Titius negat, ſe talem conſuetudinem habere, vel affirmat, vel tandem dicit, ſe non habere obligationem reſpondendi. Si primo modo reſpondet, mentitur Titius in confeſſione: & per tale mendacium maximam infert injuriam Sacramēto. Si affirmat, tunc confeſſarius certificatur de Titio,quòd ſcilicet non adimplevit propoſitum de cetero non peccandi, ac novam vitam inchoandi: & ita confeſſarius pœnitentem ipſum, ut recidiuum poteſt non abſolvere, ob carentiam propoſiti. Si tandem tertio modo reſpondet; quia ponit in praxi, quod damnatum eſt, obſtinationem oſtendit, & ſic, ut ſcandaloſus,& obſtinatus non erit abſolvendus: Ergo concludendum eſt, quòd confeſſario interroganti de alicujus peccati conſuetudine, tenetur pœnitens conſuetudinem illam fateri.

292 Tandem,ut judicium rectum proferat confeſſarius,tenetur pœnitens conſuetudinem fateri, quæ ſpecialem malitiam addit ſupra numerum peccatorum, ut tota cauſa eidem confeſſario innoteſcat. Quod colligitur ex Trid.Conc.ſeſſ.14.cit.cap.5.incip.*Ex inſtitutione Sacramenti*, ubi ait: *Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie,ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Quare, ut rectum habeat judicium confeſſarius de cauſa, poteſt pœnitentem de peccati alicujus conſuetudine interrogare, & ipſe pœnitens tenetur veritatem fateri.

ARTICVLVS LIX.

Exponitur ſenſus quinquageſimænonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinquageſimanona damnata Propoſitio. *Licet, Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium; qualis V.G. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut indulgentiæ.*

293 Sen-

ſtat duplex impotentia confitendi omnia peccata ſecundùm ſpeciem,numerum, & circumſtantias: una phyſica, qua facta omni diligentia, alia peccata memoriæ occurrere non poſſunt, ita ut phyſicè ſit impoſſibile, illa in memoriam venire: & alia eſt impoſſibilitas tantùm moralis, qua ſcilicet quis cognoſcit hoc peccatum fuiſſe à ſe commiſſum; ſed ob aliquod urgens impedimentum, nequit illud confiteri; & prudenter judicat, inconveniens ſecuturum ex illius peccati confeſſione præponderare integritati confeſſionis: Ut ſi quis eſſet in articulo mortis conſtitutus, & in memoria haberet omnia peccata, & quia putat ei non ſupereſſe tempus recipiendi abſolutionem, aliqua confitetur peccata, & aliqua non; tunc, habito dolore de non confeſſis, cum propoſito illa confitendi, ſi commodè poteſt confiteri, jam faceret integram confeſſionem formaliter; quia impotentia illa moralis excuſat pœnitentem ab integritate materiali confeſſionis, ratione evidentis periculi. His omnibus ex doctrina Concilii, & omnium Theologorum notatis,

296 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Ab integritate confeſſionis, vel materialis, vel formalis nemo excuſari poteſt, niſi in urgenti neceſſitate; Sed non eſt urgens neceſſitas magni populi concurſus, ratione feſtivitatis, vel indulgentiæ, aut Jubilei: Ergo ratione magnæ feſtivitatis, Indulgentiæ, & Jubilei, nequit quis excuſari ab integritate confeſſionis: Ergo ob hoc motiuum nequit confeſſarius ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos. Probatur major: integritas confeſſionis eſt de divino præcepto, à quo nemo excuſari poteſt,niſi in urgenti neceſſitate; vel ſcilicet phyſicæ, vel moralis impoſſibilitatis: ut quando in memoriam peccata non veniunt: vel quando ſi memoriæ occurrunt, impoſſibile eſt moraliter, quòd illa omnia pœnitens poſſit confiteri, & confeſſarius illa omnia diſtinctè audire: Ergo in hac urgenti neceſſitate tantùm, remaneret confeſſio integra formaliter,& ſufficiens recipiendi abſolutionem. Probatur nunc minor principalis: magnus populi concurſus in die feſtivitatis,vel Indulgentiæ, non habet vim excuſandi ab integritate materiali confeſſionis, quando hæc phyſicè haberi poteſt: nam ſi uno die confiteri non poteſt totus populus, poterit commodè alium expectare diem, in quo integrè confiteatur. Nec prudenter confeſſarius poteſt judicare, non poſſe confeſſionem transferri in alium diem, quando pro hoc præſenti die confiteri non poteſt; cùm non cognoſcat in pœnitente periculum in mora; ſicut evenit in eo, qui conſtitutus eſt in periculo, vel articulo mortis.

297 Neque dicas, præceptum charitatis prævalere præcepto integritatis confeſſionis: unde dum exercenda erit charitas, excuſatur

Digitized by Google

ſertim quando confeſſarius de ea interrogat. Rationes circa hoc,& motiva ex Concilio Tridentino ibi aſſignavimus. Nunc, quantùm ſpectat ad præſentem damnatam propoſitionem, noto, peccare contra legem Dei, eſſe peccare contra præcepta ab ipſo Deo emanata, ut à creatura rationali obſerventur: peccare contra legem naturæ eſſe peccare contra præcepta naturalia abipſa natura exorta, quatenus iſta, præciſa quacunque lege prohibente, naturaliter mala ſunt:peccare tandem contra legem Eccleſiæ,eſſe peccare contra præcepta Eccleſiaſtica, fidelibus impoſita, ut per ipſorum obſervantiam in ſtatum, & viam ſalutis reponantur.

300 In hac re ſuppono, prudens judicium confeſſarii ſe extendere ad cognoſcendum in pœnitente ſpem emendationis, quam meliori modo cognoſcere non poteſt, niſi ex propoſito de cetero non peccandi. Quando confeſſarius videt,pœnitentem conſuetudinem habere peccandi (quodcunque peccatum ſit, ſive contra legem Dei, ſive naturæ, ſive Eccleſiæ) poteſt prudenter judicare, hunc pœnitentem non habere firmum propoſitum de cetero non peccandi; & ſic in eo non eſſe ſpem emendationis. Quapropter credere non debet pœnitenti dicenti ore, ſe dolere de peccatis, & propoſitum habere de cetero non peccandi: quia magis ſtare debet confeſſarius prudenti ſuo judicio, quàm dicto pœnitentis, qui per conſuetudinem peccandi pluries confeſſarium decepit. Si Titius nanque accederet ad confeſſarium, & diceret conſuetudinem habui peccandi peccato mollitiei;nunc propoſitum facio non ampliùs peccandi, & doleo de hac conſuetudine peccatorum: Quia ex manifeſtatione conſuetudinis, prudenter judicare poteſt confeſſarius, quòd in præteritis confeſſionibus, vel ab ipſo, vel ab aliis confeſſariis fuerit pœnitens monitus de tali conſuetudine, ut illam relinquat; ideo prudenter inferre poteſt, quòd verba illa à pœnitente ore prolata, non ſint ex corde, & ex firmo propoſito; & ſic poteſt abſolutionem negare, vel illam differre; donec per ſubſequentem confeſſionem videat, ſi pœnitens reſipiſcat,& ſe à tali conſuetudine abſtinuerit. Quòd ſi abſtinuerit, certificatur confeſſarius de emendatione pœnitentis,& eum abſolvit: & ſi non abſtinuerit,cognoſcit, ſe prudenter geſſiſſe in neganda,vel ſuſpendenda abſolutione. Hoc notato,

301 Impugno nunc damnatam propoſitionem. In dubio, an pœnitens habeat propoſitum de cetero non peccandi, requiſitum ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, vel illud non habeat;dum confeſſarius habet prudens judicium, quo judicat, & credat, pœnitentem non habere propoſitum illud, debet abſolutionem negare, vel differre, donec majorem habeat certitudinem de tali propoſito;Sed

Idipſum colligitur ex Lateran. Concilio cap. *Omnis utriuſque ſexus. Prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo, ad ſalvandum ægrotum*. Et in eodem capite ait: *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati*. At negare, vel ſuſpendere abſolutionem ei, quem confeſſarius cognoſcit non habere ſpem emendationis, ex conſuetudine cognita peccandi, eſt remedium potiſſimum ſanandi ægrotum in anima, ſeu removendi peccatorem à conſuetudine illa peccandi: Ergo neganda eſt, vel ſuſpendenda abſolutio pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi, quando nulla habetur ſpes emendationis, eſtò pœnitens dicat, ſe dolere de peccatis, & quòd habeat propoſitum non peccandi de cetero.

ARTICVLVS LXI.

Exponitur ſenſus ſexageſimæprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexageſimaprima damnata Propoſitio. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.*

303 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd quando quis verſatur in proxima occaſione peccandi: Ut V. G. ſi quis haberet in domo ſua concubinam, quam poteſt dimittere, & expellere è domo ſua, & non vult illam dimittere; dicunt Authores hujus damnatæ propoſitionis, quòd aliquando iſte talis poſſit abſolvi.

Oppugnatio Propoſitionis.

304 HÆc damnata propoſitio tangit occaſionem peccandi, quæ valdè periculoſa eſt ei, qui in illa verſatur; immò impeditiva eſt hujuſmodi occaſio ad malum vitandum. Duplex eſſe poteſt occaſio peccandi; remota nimirum, & proxima. Remota eſt illa, quæ quamvis inducere poſſit ad peccandum, non tamen frequenter cum peccato conjungitur; cùm impediri poſſit per aliquod extrinſecum: ut ſi quis concubinam haberet in hac Civitate, cum qua non poſſet frequenter conjungi; vel quia iſta concubina habeat alios viros concubinarium impedientes, vel ipſe concubinarius eſt aliis applicatus negotiis, quæ à frequentia ſe conjungendi cum concubina ipſum retardent. Proxima verò occaſio eſt illa, quæ ſi e-

quen-

eum, & proiice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gebennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te. Juxta D.Chriſoſtomi expoſitionem, dexter oculus, & manus dextera intelliguntur de concubina eiicienda, ne totum corpus ſimul, & anima mittantur in gehennam. D.Auguſtinus, Athanaſius, Hilarius, & alii exponunt hunc textum pro occaſione proxima peccandi, quæ expellenda, & removenda eſt. Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. ait: *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes, erraverunt à fide. Tu autem, ò Homo Dei, bæc fuge.* Et prima Epiſt.ad Corint.6.ait: *Fugite fornicationem.* Quem Apoſtoli textum omnes Patres, & Theologi exponunt, nedum de fuga peccati, ſed etiam de proxima occaſione peccandi. Qui enim in proxima occaſione peccandi manet, & ea utitur ad peccandum, peccat, & firmum habet propoſitum peccandi; ſed non eſt abſolvendus, qui firmum habet propoſitum peccandi: Ergo dum quis occaſionem proximam habet peccandi, & poteſt illam fugere, & non vult illam fugere, ſed in ea vult verſari, nullo modo eſt abſolvendus; aliàs abſolveretur à peccato ille, qui oſtenderet, ſe velle in futurum peccare: quod omninò rationi (ob pertinaciā peccatoris,) & divino præcepto diſſonum eſſe. Et conſequenter falſum eſt, quòd poſſit aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere.

ARTICVLVS LXII.

Exponitur ſenſus ſexageſimæſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexageſimaſecunda damnata Propoſitio. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut boneſta non fugiendi occurrit.*

307 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd dum quis aliquam utilitam percipit ex occaſione proxima peccandi, non tenetur occaſionem illam fugere, & auferre. Ut ſi V.G. concubinarius utilitatem reciperet à concubina, vel propter domus gubernationem, vel alia ſervitia præſtita; tunc (ut dicunt Authores hujus propoſitionis) non teneretur concubinarius concubinam è domo expellere, ut occaſionem proximam peccandi fugiat. Hæc damnata propoſitio eſt ſimilis illi, quæ ſub num. 41. damnata fuit ab Alexandro VII.

Oppu-

occaſionem, tenetur occaſionem illam fugere. Probatur major: in evidenti periculo mortis æternæ propter peccatum, quiſque tenetur hoc periculum vitare, poſtpoſita quacunque obveniente utilitate; ſed qui manet in evidenti periculo peccandi ex proxima occaſione, ſtat in evidenti periculo mortis æternæ propter peccatum: Ergo nemo poteſt ſe voluntariè poni in evidenti periculo peccandi, propter quodcunque emolumentum, & temporalem utilitatem. Hoc à pari evidentiſſimè oſtendi poteſt. Si in mari proiiceretur ſumma notabilis pecuniæ Titii propter tempeſtatem, ſi Titius vellet ad illam recuperandam ſe exponere periculo mortis, ſe proiiciens in mare; tunc imprudenter Titius ageret, ſe evidenti periculo mortis exponendo, ob commodum, & utilitatem temporalem. Ita ſimiliter, quia poſitus in occaſione proxima peccandi ſtat in evidenti periculo æternæ mortis propter peccatum, imprudenter ageret, ſi occaſionem peccandi non removeret, propter temporalem utilitatem.

310 Deinde: qui non vult fugere occaſionem proximam peccandi, quando in ea manet, ne temporalem amittat utilitatem, magis amat temporale commodum, quàm animam ſuam; ſed nemo licitè poſtponere poteſt animam ſuam commodo temporali: Ergo nemini licet, propter commodum temporale, retinere occaſionem proximam peccandi.

Eò vel maximè: quando occaſio fugi poſſit (ut ſupponitur ex damnata propoſitione) ſemper eſt fugienda, ne periculum incurratur cadendi in lethale peccatum, vel perſeverandi in illo, ſi jam homo cecidit propter talem occaſionē: Ergo utilitas illa, quæ ad bona fortunæ pertinet, cùm non ſit præferenda bonis animæ, non poteſt excuſare hominem à non fugienda proxima occaſione peccandi, quando illam fugere poteſt. Ex hac damnata propoſitione plures dependent, tanquam particulares ab hac univerſali. Vnde omnes caſus, quibus prætenditur, hominē excuſari à non fugienda occaſione proxima, quando poteſt, & debet, ex cauſa utilitatis reſultantis à tali occaſione proxima, per ea, quæ uſque nunc dicta ſunt, facilè confutantur.

ARTICULUS LXIII.

Exponitur ſenſus ſexageſimætertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexageſimatertia damnata Propoſitio. *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.*

 311 Sen-

311 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd in aliquibus caſibus poſſit quis licitè quærere directè proximam peccandi occaſionem, quando ſcilicet ex tali occaſione peccandi reſultare poſſit bonum aliquod, vel ſpirituale, vel temporale noſtrum, vel proximi. Ut ſi quis vellet adire infideles, ut poſſit eos convertere, etiamſi certò ſit in proxima occaſione ſuæ propriæ ſubverſionis, talem occaſionem licitè quærere poteſt, ut bonum ſpirituale proximi acquiratur. Vel ſi adire vellet, ut commodum temporale habeat pro ſe, vel etiam ſpirituale, propter charitatem exercitam; & ſit in proxima occaſione ſuæ ſubverſionis, propter ſuam inconſtantiam. Vel ſi quis adiret domum moribundi, in qua eſſet Berta, cum qua poſſet peccare, & occaſionem proximam peccandi haberet: in his caſibus, volunt hujus propoſitionis Authores, quòd poſſit quis licitè quærere occaſionem proximam peccandi, pro bono ſpirituali, vel temporali ſui, vel proximi. Falſitas autem hujus propoſitionis evidenter oſtendetur.

Oppugnatio Propoſitionis.

312 ALiud eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi, & aliud eſt illam tantùm indirectè quærere, vel in illam involuntariè incidere. Tunc quis directè quærit occaſionem proximam peccandi, quando illam in primaria intentione vult, & media ponit ad illam conſequendam: ut ſi quis certò ſciret in domo Caii eſſe Bertam, cum qua peccare poſſet, ſi petit adire domum Caii, directè quærit occaſionem proximam peccandi; quia certò ſcit, per ingreſſum illum in domum Caii, poſſe cum Berta copulam habere. Tunc tantùm indirectè quærit occaſionem proximam peccandi; quando non ex primaria intentione vult occaſionem illam; ſed aliquid aliud, ad quod conſequendum de concomitanti occurrit occaſio illa: Vt ſi quis vellet domum Caii adire, cauſa viſitationis, vel negotiationis; & in domo Caii ſit Berta, quæ tribuat proximam peccandi occaſionem; tunc occaſio iſta non eſt directè intenta, & petita; ſed directè fuit intenta viſitatio, vel negotiatio. In hoc caſu etiam dicitur, quòd quis involuntariè incideret in proximam occaſionem peccandi, & præter ejus intentionem; licèt, ſi peccaret, voluntariè peccaret. Qui enim involuntariè ſe ponunt in proxima occaſione peccandi, quia directè illam non quærunt; non faciunt actionem illicitam, ſive pro bono ſpirituali ſui, & proximi, ſive pro bono ſui temporali: ut ſi quis ex primaria intentione vellet adire Infideles, vel Paganos, animo illos ad fidem Chriſti reducendos: vel ad bonum aliquod temporale recuperandum, abſque ullo

timore

timore propriæ ſubverſionis à fide; quia directè tantùm intenderet in fidelium, vel Paganorum converſionem; tunc iſte talis non faceret illicitam actionem; aliàs nemo apud Paganos, & Infideles mitteretur ex directo motivo illos ad fidem reducendi. Qui verò ſe ponit voluntariè in proxima occaſione peccandi, directè illam quærendo, & intendendo; tunc actionem per ſe illicitam facit; quia periculo peccandi ſe exponit: Vt ſi quis adiret Infideles, vel Paganos, cum periculo abnegandi fidem, quam profeſſus eſt; tunc quia directè quæreret talem occaſionem, actionem illicitam faceret; quia operaretur cum directa intentione peccandi.

313 Ex his colligitur, quòd quando quis non eſt vir conſtans in fide, & de eo timeri poteſt, quòd ſi adiret Infideles, poſſet probabiliter fidem ſuam amittere, propter charitatem exercendam pro ſe, & pro aliis; tunc prohibendus eſt, ne Infideles adeat; cùm in probabilitate mali obventuri, non ſit permittenda actio charitatis erga alium. His notatis,

314 Impugno nunc damnatam propoſitionem, & pono alium caſum magis familiarem. Sciat quis, in domo Caii eſſe Bertam, cum qua peccare poſſet, ſi in domum illam iret; ita ut ingreſſus in domum illam ſit proxima occaſio peccandi; quærat iſte talis ingreſſum in domum Caii, ex quo ingreſſu poſſet ei obvenire bonum aliquod temporale, ratione negotiationis, vel bonum ſpirituale ingredientis, vel Caii, ſi domum illam ingrediendo actum aliquem charitatis exerceret. In hoc caſu non deberet iſte talis quærere ingreſſum illum, qui ei eſſet proxima occaſio peccandi pro tali bono ſpirituali, vel temporali obventuro. Quod ſic probo. Iſte talis quærens occaſionem proximam peccandi pro bono illo ſpirituali, vel temporali obventuro, ſe exponit directè periculo proximo peccandi; Sed pro quocunque bono ſpirituali, vel temporali, nemini licitum eſt ſe exponere periculo proximo peccandi; quod patet ex illo Matt. 16. *Quid enim prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur:* Ergo nemini licitum eſt quærere proximam occaſionem peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali ſui, vel proximi. Probatur major: qui quærit directè occaſionem proximam peccandi, ita illam quærit, ut ſi ei veniret occaſio peccandi, peccaret; Sed qui ita quærit occaſionem, ut ſi veneret occaſio peccandi peccaret, ſe exponit directè periculo proximo peccandi; immò, & ipſi peccato ſe exponeret: Ergo tunc ſe exponeret periculo proximo peccandi, & quidem directè. Qui ergo directè quærit occaſionem proximam peccandi, directè non intendit recedere ab occaſione, ſicut debet ab illa recedere; ſed occaſionem vult, & quærit; Sed pro quocunque bono hujus mundi, ſicut non

eſt licitum malum committere, ita neque eſt licitum quærere occaſionem malum illud committendi: Ergo in nullo caſu licitum eſt quærere directè occaſionem peccandi.

315 Deinde: bonum ſpirituale animæ propriæ præferendum eſt cuicunque bono, ſive temporali ſui ipſius, ſive ſpirituali, vel temporali proximi: & hoc quidem exigitur omni jure; cùm hoc bonum ſit altioris ordinis. Hoc inſuper exigitur à charitate, quæ magis inclinat ad bonum animæ propriæ, quàm alterius. Iccircò in diſp. 7. de Juſt., & Jure cum Doctore noſtro Scoto dixi, quòd potiùs parvulus mori deberet ſine baptiſmo, quàm pro ipſo baptizando tradatur pœcunia Sacerdoti nolenti baptizare, niſi cum pecunia, & ſimoniacè: nam non ſunt facienda mala, ut eveniant bona: neque tunc charitas exercenda erit pro alio, cum detrimento animæ propriæ. Sic in caſu dicendum, quando adeſt occaſio proxima peccandi, & peccatum ratione talis occaſionis directè volitæ, & quæſitæ, eſſet inevitabile; tunc licitè nemo poteſt directè occaſionem proximam peccandi quærere, pro quocunque bono ſpirituali alterius, vel temporali ſui, & proximi: adeoque falſa omninò videtur, & ſcandaloſa propoſitio ſupra adducta ex num. 63.

ARTICVLVS LXIV.

Exponitur ſenſus Sexageſimæquartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexageſimaquarta damnata Propoſitio. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

316 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt duplex. Primus, quòd ſit capax abſolutionis, qui abſolutè ignorat Myſteria Fidei. Secundus, quòd etiam capax ſit abſolutionis, qui ex ignorantia culpabili, & vincibili ignoret Myſteria Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quò ad unum, & alterum ſenſum propoſitio iſta huic ſubjacet damnationi.

Oppugnatio Propoſitionis.

317 SVppono, aliam eſſe ignorantiam invincibilem, aliam vincibilem, & culpabilem. Ignorantia invincibilis illa eſt, quæ adhibita quacunque diligentia vinci, & ſuperari non poteſt: ut ſi quis

quis vellet ſcire, ubi latet aliquis theſaurus, & omnem adhiberet diligentiam illum inveniendi, & non poſſet ipſum invenire; tunc iſte talis invincibiliter theſaurum illum ignoraret. Ignorantia verò vincibilis habetur, vel quando nulla adhibetur diligentia aliquid ſciendi, vel ſi aliqua adhiberetur diligentia, hæc non eſſet conducens, & ſufficiens ad rei cognitionem, ſed per majorem diligentiam ſuperari poſſet. Hæc ignorantia vincibilis dicitur etiam culpabilis, quia eſt ex culpa ejus, qui diligentiam non adhibet, vel requiſitam non præſtat ad rem cognoſcendã: ut ſi quis Deum ignoraret, & non adhiberet diligentiam ipſum cognoſcendi; tunc diceretur iſte talis vincibiliter, & culpabiliter Deum ignorare.

318 Suppono inſuper, fidem neceſſariam eſſe, tum neceſſitate medii, tum neceſſitate præcepti, ad juſtificationem habendam, & vitam æternam conſequendam. Quod patet ex Apoſt. ad Rom. 5. *Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Idem teſtatur Apoſt. ad Hebræos 11. ubi enumerat fideles veteris teſtamenti, & effectus mirabiles habitos per fidem. Et initio hujus cap. dicit: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium.* Hinc Trid. Concilium ſeſſ.6. cap.8. dicit: *Cùm verò Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit, ut ſcilicet per fidem, ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium pervenire.*

319 Suppono tandem, fidelem credere debere, ſicut oportet, omnia myſteria revelata, quæ ab Eccleſia proponuntur credenda; præſertim illa, quæ in ſymbolo Apoſtolorum proponuntur credenda, & aliqua ex his myſteriis tenetur credere explicitè, ut ſunt iſta; *Deum eſſe trinum, & unum: Deum eſſe incarnatum: Deum eſſe remuneratorem.* Hæc tria myſteria explicitè credenda ſunt, ut quis poſſit juſtificari, & per gratiam juſtificationis vitam æternam poſſit obtinere. His omnibus notatis,

320 Impugno nunc primam partem damnatæ propoſitionis. Non poteſt eſſe abſolutionis capax, qui non adhibet medium neceſſarium ad juſtificationem habendam per Sacramentum pœnitentiæ; ſed qui ignorat myſteria Fidei, non adhibet medium neceſſarium ad habendam juſtificationem per Sacramentum pœnitentiæ: Ergo qui ignorat myſteria Fidei incapax eſt abſolutionis. Patet major, quia medium neceſſarium ad juſtificationem eſt etiam medium

neceſſa-

Digitized by Google

neceſſarium ad abſolutionem. Probatur minor: qui ignorat myſteria Fidei, ignorat Deum remuneratorem bonorum, & per conſequens gratiæ juſtificationis; ſed dum quis ignorat Deum remuneratorem gratiæ juſtificationis, non adhibet medium neceſſarium ad juſtificationem obtinendam: quia hujuſmodi ignorantia eſt impeditiva juſtificationis: Ergo &c.

321 Propter hanc cauſam, ne ob ignorantiam myſteriorum Fidei quis præſumat abſolutionem à confeſſario, Sacroſancta Synodus Tridentina mandavit Epiſcopis, ut curent, in qualibet Parochia ſuæ Diœceſis inſtrui pueros in fidei rudimentis. Hæc ſunt verba Concilii ſeſſ.24.de reform.cap.4.incip.*Prædicationis munus*, ubi in fine habetur: *Iidem etiam, ſaltem Dominicis, & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curabunt: & ſi opus ſit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellant, non obſtantibus, &c.* Vnde illi, qui myſteria fidei, & præſertim culpabiliter ignorant, non ſunt abſolvendi. Neque circa ipſa myſteria fidei admitti poteſt ignorantia invincibilis; cùm quilibet fidelis poſſit omnem adhibere diligentiam ad ipſa myſteria ſcienda.

322 Impugno nunc ſecundam damnatæ propoſitionis partem. Qui ex ſua culpa, & negligentia ignorat hæc duo myſteria, Trinitatis nimirum, & Incarnationis, ſi accedit ad confeſſarium cum tali ignorantia culpabili, & confeſſarius non advertit ad talem ignorantiam, facit confeſſionem illicitam; ſed qui facit confeſſionem illicitam, redditur incapax abſolutionis: Ergo qui ignorat illa duo myſteria, Trinitatis nimirum, & Incarnationis ex ſua culpa, & negligentia, eſt incapax abſolutionis: Ergo quando confeſſarius advertit ad talem ignorantiam, præſertim culpabilem, debet abſolutionem negare. Probatur major: Confeſſionem facit illicitam, qui, quod credere tenetur, ignorat; & multò magis, ſi id ſua culpa ignorat; ſed quilibet fidelis tenetur credere omnia fidei myſteria, & explicitè illa duo Trinitatis, & Incarnationis; & ea ſua culpa, & negligentia ignorat: Ergo qui ſua culpa hæc duo myſteria Trinitatis, & Incarnationis ignorat, dum accedit ad confeſſarium facit confeſſionem illicitam. Qui nanque tali laborat ignorantia culpabili, ut neſciat, Deum eſſe trinum, & unum, Incarnatum eſſe, & remuneratorem eſſe: quæ myſteria explicitè credenda ſunt; ignorat, Deum daturum gratiam omni credenti, & verè pœnitenti; & per eandem gratiam vitam æternam. Quomodo ergo facere poteſt licitam confeſſionem, qui ignorat quid ſit per confeſſionem à Deo accepturus. Si inſuper ignoret eum, qui hanc virtutem Sacramento pœnitentiæ dederit; & Sacerdoti hanc conceſſerit poteſtatem? Chriſtus

itaque

itaque hoc inſtituit Sacramentum, hanc dedit abſolvendi poteſtatem Sacerdotibus, & ipſe fidelibus daturus eſt Regnum æternum, ſicut Nobis illud promiſit. Vnde Apoſt. ad Hæbræos 11. dixit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Quare qui accedit ad Deum per confeſſionem, & non credit quia eſt, ſcilicet Trinus, & unus, & incarnatus, & quòd ſit remunerator; quatenus hæc myſteria ignorat; jam indignè accedit, & nullam facit confeſſionem; ac per conſequens non eſt abſolvendus.

ARTICVLVS LXV.

Exponitur ſenſus ſexageſimæquintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexageſimaquinta damnata Propoſitio. *Sufficit illa myſteria ſemel crediďiſſe.*

323 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis ſequitur ex antecedenti damnata propoſitione, in qua Authores illius dicebant, quòd ſit capax abſolutionis, qui ignorat myſteria fidei, & etiam ſi culpabiliter, & ex propria negligentia ignoret myſteria Trinitatis, & Incarnationis. Hæc enim propoſitio dicit, quòd ſufficiat, ut fidelis ſemel in vita crediderit illa myſteria.

Oppugnatio Propoſitionis.

324 SUpponendum eſt, eos, qui in fide Chriſtiana vivunt, ad differentiam Synagogæ Hæbræorum, debere credere, Deũ eſſe Trinum, & eſſe Incarnatum. Suppono inſuper (ut dixi contra 17. propoſitionem damnatam ab Innoc. XI. & contra primam damnatam ab Alex. VII.) quòd adſit Præceptum fidei, quo obligamur ad credendum omnia fidei myſteria revelata, & ab Eccleſia propoſita, ut credantur: quod præceptum non habet ſemel in vita obligare, ſed frequenter; præſertim quando tenemur confiteri peccata; quia tunc credere debemus, Deum nobis peccata remittere per pœnitentiæ Sacramentum. Videnda ſunt ea, quæ dixi art. 17. hujus tractatus.

325 Nunc breviter impugno hanc ultimam damnatam propoſitionem. Ex Apoſt. ad Rom. 1. & aliis in locis, ubi ſæpè repetit, *Iuſtus ex fide vivit*. Juſtus hìc ſumitur pro fideli; Sed qui vivit ex fide non ſufficit ei, ut ſemel in vita credat myſteria Trinitatis, & Incarnationis;

nis; ſed neceſſe eſt,ut frequenter ea credat;præſertim in diebus Deo dicatis, ut ſunt dies feſtivi: & quando à Deo aliquid accipiendum ſperamus; ut quando per Sacramentum pœnitentiæ ſperamus remiſſionem peccatorum, & gratiam: Ergo fideli non ſufficit, ut ſemel in vita credat myſteria Trinitatis, & Incarnationis. Omnia argumenta à me propoſita articulo illo 17. cit.contra 17. damnatam propoſitionem, militare poſſunt contra hanc propoſitionem, quæ in re eadem eſt. Quare huic materiæ pro ſecundo Tractatu finem impono ad Laudem Omnipotentis Dei Beatæ Mariæ ſemper Virgini, Sancti Patris noſtri Franciſci, ac omnium Sanctorum, qui in Cœlis regnant. Amen.

Tenor ſententiæ damnationis ſexaginta quinque Propoſitionum ab Innocentio XI. damnatarum.

Quicunque autem cujuſvis conditionis ſtatus, & dignitatis illas,vel illarum aliquam conjunctim,vel diviſim defenderit,vel ediderit,vel de eis diſputativè publicè, aut privatim tractaverit,vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini Iudicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcunque conditionis,dignitatis,& ſtatus,etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem,ut ab injurioſis contentionibus Doctores,ſeu Scholaſtici, aut alii quicunque in poſterum ſe abſtineant,& ut paci,& charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuſcriptis, quàm in Theſibus,diſputationibus,ac prædicationibus,caveant ab omni cenſura,& nota,nec non à quibuſcunque conviciis contra eas propoſitiones,quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sancta Sede recognitæ, ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

Franciſcus Riccardus S. Rom. & Vniverſ. Inquiſ. Notarius.
Loco ✠ Sigilli.

Præmiſſum Decretum fuit publicatum 4. *Martii* 1679.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS TERTIUS.

In trigintatres Articulos diviſus:

De trigintatribus Propoſitionibus ab Alex. VIII. damnatis.

Primum Decretum præfati Pontificis.

F*Eria quinta die* 21. *Auguſti* 1690. *In Congreg. Gener. S. Rom. & Univerſ. Inquiſ. habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. Alexandro Divina Providentia Papa Octavo.*

Sanctiſſimus D. N. Alexander Papa VIII. non ſine magno animi ſui mœrore audivit duas Theſes, ſeu Propoſitiones, unam denuò, & in malorum fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere. Et cùm ſui Paſtoralis Officii munus ſit, Oves ſibi creditas à noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum Theſium, ſive Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis D. D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſedulò commiſit, qui pluries re maturè diſcuſſa, infraſcriptis Theſibus, ſeu Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

ARTICULUS I.

Exponitur ſenſus primæ Propoſitionis in hoc Decreto, & ejus falſitas demonſtratur.

Prima damnata Propoſitio. *Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali. Formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ mortalis.*

1 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd homo non teneatur amare Deum ultimum finem, neque in principio ſuæ vitæ, neque in totius vitæ decurſu. Hæc propoſitio, ut hæretica da-

mnata eſt, quò ad hanc ultimam partem. Aliæ tres partes priores non ſolùm damnationi non ſubjacent, ſed notiſſimæ ſunt apud omnes Theologos.

Oppugnatio Propoſitionis.

2 DE bonitate objectiva, quòd conſiſtat in convenientia objecti cum natura rationali, eſt notum apud omnes Theologos; quia ſicut illud objectum malum eſt, & quidem malitia morali, quod naturæ rationali eſt diſconveniens; ita illud eſt bonum moraliter, quòd naturæ rationali eſt conveniens. Actus verò tunc eſt moraliter bonus, quando conformitatem dicit cum regula morum. Quæ regula duplex eſt, una interna, & altera externa: interna regula eſt conſcientia; eſtque etiam regula proxima: externa verò eſt lex, quæ etiam regula remota dicitur. Hujuſmodi bonitas objectiva eſt ratio, qua voluntas inferior trahitur ad amorem ipſius, ob excellentiam, & bonitatem ipſius objecti. Vnde quantò major eſt bonitas, & ſuperexcedens objectum, majori conatu habet movere rationalem appetitum ad ipſum objectum amandum, & poſſidendũ. Bonitas tandem ſupernaturalis, quæ in Deo eſt, habet Deum conſtituere ultimum finem cujuſcunque rationalis creaturæ: nam cùm ultimus finis ſit ille, ad quem omnes actus diriguntur, & ipſe non ſit ad alium finem dirigibilis; Iccircò omnes actus humani ad divinam bonitatem, ut ad ultimum finem dirigendi ſunt. Dupliciter actus morales humani dirigi poſſunt ad Deum, ut ad ultimum finem, vel intenſivè, vel tantùm interpretativè, ſeu prælativè. Primo modo diriguntur, quando creatura rationalis ita amat Deum ſuper omnia, ut impoſsibile ſit majorem poſſe adhibere conatum ad illum diligendum: & aliunde Deus amatur quantùm amabilis eſt. Secundo modo diriguntur ad Deum, quantùm poteſt humana natura, præferendo ipſum Deum cuicunque creaturæ. Quare dum creatura amat Deum ultimum finem, quamvis deceat ipſum amare intenſivè, ſufficit tamen ſi ipſum amet interpretativè, & prælativè, præferendo ipſum Deum cuicunq; creaturæ; quod eſt ipſum amare ſuper omnia, quomodo amandus, & diligendus eſt. Quare ipſe Chriſtus Matt. 10. dixit: *Qui amat Patrem, aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Per quæ verba ſignificare voluit, quòd amor erga ipſum præferri debet amori erga quamcunque creaturam, etiam erga Parentes proprios. Per hoc patet veritas trium primarum partium hujus propoſitionis.

3 Quantùm ſpectat ad ultimam partem damnatam, ut hæreticam, ſuppono, neminem poſſe ſalvari, niſi ſua deteſtetur peccata,

quæ

quæ offenſa Dei ſunt; per quæ homo cum Deo inimicitiam contraxit, & quæ hominem æterna pœna, & gehenna dignum conſtituit. Nec poſſe ſalvari, niſi Deo reconcilietur in perfecta amicitia, per quam Deus ſimul peccata remittit, & gratiam confert, quæ vinculum amicitiæ ponit inter Deum, & hominem. Hæc omnia ex Tridentino Concilio ſeſſ.6.cap.7.colliguntur, ubi habetur: *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem, gratiæ, & donorum. Unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Et hoc deduxit Conc. ex Apoſt. ad Titum 3. ubi ait: *Ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.*

4 Ut veritas catholica magis eluceſcat in hac damnata propoſitione, adverto, charitatem habitualem, per quam homo conjungitur in amicitia cum Deo, & per quam fit particeps, & conſtituitur hæres vitæ æternæ, *eſſe theologicam virtutem ſupernaturalem in ſubſtantia, qua diligimus Deum propter ſeipſum*, ideſt quatenus bonus in ſeipſo eſt, ad quem omnes actus boni dirigendi ſunt. Hæc autem habitualis charitas una eſt ex tribus theologicis virtutibus, quæ per baptiſmum à Deo infunduntur. Quare ſupra illud Apoſtoli ad Rom.5. ubi ait: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; dicit Concilium cap. cit. ſeſſ. 6. *Unde in ipſa juſtificatione, cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur: Fidem, Spem, & Charitatem. Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque unit perfectè cum Chriſto, neque Corporis eius viuum membrum efficit, qua ratione veriſſimè dicitur, Fidem ſine operibus mortuam, & otioſam eſſe.*

5 Hac præmiſſa doctrina, adverto cum omnibus Theologis, adeſſe particularia præcepta, tum Fidei, tum Spei, tum Charitatis, ut dixi impugnando primam damnatam propoſitionem ab Alexan. VII. Et hoc charitatis præceptum duplicem includit amorem: erga Deum ſuper omnia diligendum; & erga proximum diligendum propter Deum. Prout amorem formalem includit, eſt præceptum affirmatiuum, quod habet quidem obligare frequenter, & in determinatis temporibus; ſed non ſemper, & pro ſemper: hæc nanque eſt natura affirmativi præcepti. Prout verò includit negationem odii, tum Dei, tum proximi, eſt præceptum negatiuum; & hoc obligat ſemper, & pro ſemper; cùm ſemper, & pro ſemper teneamur non habere odio Deum, nec proximum. His omnibus notatis, adverto, Deum amandum eſſe, non ſolùm charitatis amore, qui

Digitized by Google

completus, & perfectiſſimus eſt, ſed etiam amore Fidei, & Spei, quo homo Deo conjungitur per Fidem, & Spem, per actus credendi, & ſperandi.

6 Nunc ex præmiſſa hac doctrina impugno damnatam propoſitionem. Primò, Deum eſſe amandum amore Fidei ſupernaturalis. Ex Apoſt. ad Hæbr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quòd ſit, & remunerator ſit.* Secundò, de amore Fidei ſimul, & Spei conſtat ex Eccleſ. 2. *Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum: qui timetis Dominum, ſperate in illum.* Tertiò de amore Charitatis, ex eodem Eccl. 7. conſtat, ubi habetur: *In omni virtute tua dilige eum, qui fecit te.* In Deuter. 11. habetur: *Ama itaque Dominum Deum tuum, & obſerva præcepta eius.* Ex Matth. 22. habetur ex verbis Chriſti datis, reſpondendo ad interrogata Phariſæorum, qui ſcire volebant, quod erat mandatum magnum in lege? Chriſtus Dominus reſpondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua.* Idem teſtatur Joannes cap. 15. Ex his authoritatibus ſic inſurgo contra præfatam damnatam propoſitionem. Adeſt præceptum rigoroſum de Deo diligendo ſuper omnia: Ergo qui dixerit, nos huic præcepto non teneri, ut hæreticus damnandus eſt; ſed propoſitio iſta damnata aſſerit, nos non teneri, nec in principio, nec in decurſu vitæ mortalis ad Deum ultimum finem diligendum, ad quem diligendum adeſt præceptum: Ergo meritò, ut hæretica damnata fuit iſta propoſitio.

Eò vel maximè: ſi homo non teneretur Deum in principio, & decurſu ſuæ vitæ mortalis diligere ſuper omnia, nimirum, ut ultimum finem, quomodo poſſet à Deo, quem non diligit, remiſſionem peccatorum in hac vita, & gratiam, & in altera gloriam, ac vitam æternam ſperare? Quænam merita fidelis habere poteſt, conducentia ad vitam æternam, ſi in toto curſu ſuæ vitæ amore Dei careat? Hinc Apoſt. ad Hæbr. 6. ait: *Non enim iniuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Quæ verba intelligenda ſunt, quòd Deus non obliviſcatur operum bonorum, quæ facta ſunt ex Dei dilectione: Ergo quoties facta ſunt abſque Dei dilectione, nequeunt remunerationem expectare. Quare dicit Apoſt. ad Corint. 13. *Si linguis hominum loquar, &c.* & concludit: *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt:* Ergo quoties homo non teneretur per charitatem Deum ſuper omnia diligere toto tempore vitæ ſuæ, quæcunque opera bona, quæ faciat, vana ſunt, & nihil ipſi proderunt.

7 Ex eo, quòd extat præceptum divinum de Deo diligendo ſuper omnia, ut colligitur expreſsè ex relatis authoritatibus, Sacroſancta

croſancta Synodus Tridentina anathematizat eos, qui dicunt, nos non teneri ad obſervantiam præceptorum: quod exprimit Can. 20. ſeſſ. 6. his verbis: *Si quis, hominem iuſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit, non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ; ſed tantùm ad credendum; quaſi verò Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis mandatorum: anathema ſit.* Concludendum eſt igitur, nos teneri, vel in principio, vel in decurſu noſtræ vitæ mortalis diligere Deum ultimum finem: & aliter ſentientes, ut hæretici reputandi ſunt.

ARTICVLVS II.

Exponitur ſenſus ſecundæ Propoſitionis in hoc Decreto, & ejus falſitas demonſtratur.

Secunda damnata Propoſitio. *Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale, eſt transgreſſio libera diuinæ legis. Philoſophicum quantumuis graue in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt graue peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque mortale diſſoluens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

8 Senſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd peccatum philoſophicum, quatenus eſt in eo, qui Deum ignorat, vel actu de Deo non cogitat, dum peccat, licèt ſit grave peccatum in genere malitiæ moralis, non eſt tamen offenſa Dei, neque mortale, neque amicitiam Dei diſſolvit, neque eſt dignum pœna æterna. In multis hæc propoſitio peccat. Primò, quia aſſerit, quòd poſſit dari ignorantia de Deo. Secundò, quia aſſerit, quòd ille qui peccat, & non actu cogitat de Deo, committat peccatum tantùm philoſophicum, ſeu morale, ut naturæ rationali diſconveniens. Tertiò, quia aſſerit, peccatum philoſophicum non eſſe offenſam Dei, neque mortale diſſolvens amicitiam Dei, & dignum æterna pœna. Quò ad hæc tria videtur damnata propoſitio. Quò ad priores partes, quæ ſunt deſcriptiones utriuſque peccati, philoſophici nimirum, & Theologici, propoſitio non ſubiacet damnationi, immò eſt communiſſima omnium Theologorum ſententia.

Oppugnatio Propoſitionis.

9 Non ſunt omittenda quædam digna notatu pro præſentis materiæ intelligentia; quæ à me tacta ſunt in 2. lib. ſent. diſp.

diſp. de peccatis. Primò ſciendum eſt, peccatum aliud eſſe originale, quod ſcilicet culpa alterius committitur, & per quandam ſubordinationem, quæ habetur in uno homine tanquam capite, transfunditur ad alios; & hoc fuit peccatum ab Adam commiſſum in legis divinæ trangreſſione, à nobis contractum, quatenus ab eodem Adam procreati ſumus: & aliud eſſe perſonale, quod nimirum propria culpa committitur. Unde primum Adæ peccatum ipſi fuit perſonale, quia à ſe, ſua culpa fuit commiſſum; at Poſteris ejus fuit originale, quia culpa Adæ fuit ab ipſis contractum. Hoc perſonale peccatum eſt duplex, aliud eſt actuale, quod conſiſtit in aliquo actu contra legem, vel in actus omiſſione: & alterum eſt habituale, quod ſcilicet habitualiter perſeverat, donec per pœnitentiam retractetur; & hoc peccatum dicit reatum ad pœnam. Quare dum quis actu committit adulterii peccatum, vel fornicationis, vel omiſſionis ſacri, vel recitationis officii, &c. hoc peccatum eſt actuale: ſi verò craſtina die hoc ipſum peccatum, quod nunc eſt actuale, perſeverat, ſit habituale: nam licèt actus ſit tranſactus, remanet tamen in anima reatus ad pœnam, donec per pœnitentiam remittatur.

10 Peccatum hoc perſonale, ſive ſit actuale, ſive habituale, in carentia debitæ rectitudinis conſiſtit, quæ deberet ineſſe actui, & propter malitiam formalem non ineſt. Quod colligitur ex D. Auguſtino lib. 12. de Civit. cap. 7. ubi ait: *Nemo quærat cauſam efficientem humanæ pravitatis; non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt, ſed defectio.* Idem habetur ex D. Amb. lib. de Iſaac, & anima cap. 7. *Quid eſt malitia, niſi boni indigentia?* Et D. Anſel. lib. de Concord. Præſcientiæ cum libero arb. cap. 1. ait: *Non eſt iniuſtitia qualitas, aut actio, aut aliqua eſſentia; ſed tantùm abſentia debitæ iuſtitiæ.*

11 Secundò ſciendum eſt, hanc malitiam peccati deſumendam eſſe à difformitate ad regulam morum; ſive hæc regula ſit proxima, & interna, ut eſt conſcientia; ſive regula remota, & externa; & hæc eſt lex, quæ per lumen naturale cuicunque rationali creaturæ manifeſtatur, juxta illud Apoſt. ad Rom. 2. *Opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Quare D. Auguſtinus exprimens, hanc peccati malitiam eſſe à difformitate ad regulam morum deſumendam, ait, definiendo ipſum peccatum, *quòd ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Unde colligitur, peccatum in eſſe mali moralis eſſe tale, quia eſt contra legem, quæcunque ſit lex, ſive poſitiva humana, ſive divina, ſive naturalis, ſive Dei æterna: dummodo ſit contra rationis dictamen, & naturæ rationali diſconveniens, & regulæ morum difformis, ſemper malum eſt, etiam ſecluſa quacunque externa prohibi-

hibitione. Quòd autem peccatum ſit malum moraliter, quia difformitatem dicit ad regulam morum, patet ex Apoſt. ad Rom. 4. ubi ait: *Ubi non eſt lex, neque prævaricatio*: & cap 7. ait: *Peccatum non cognovi, niſi per legem*. Et ſubiungit D. Auguſtinus lib. de duabus animabus contra Manich. *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod iuſtitia vetat*. Et D. Amb. lib. de Paradiſo cap. 8. ait: *Quid eſt aliud peccatum, niſi legis divinæ prævaricatio, & cœleſtium mandatorum inobedientia?* Quare ſecluſa quacunque lege, ſive externa prohibente, ſive interna dictante, hoc eſſe rationi diſſonum, nulla videretur moralis malitia in actu.

12 Theologi tandem aliam aſſignare ſolent peccati diviſionem, nimirum in philoſophicum, ſeu morale, & in Theologicum, & mortale, ſeu demeritorium. Peccatum philoſophicum illud eſt, cujus malitia naturaliter cognoſci poteſt, ut virtuti contrarium: unde ſi nulla daretur revelatio, aut externum præceptum, ne aliquid fiat, quia actus ille eſſet naturaliter virtuti oppoſitus, diceretur malus moraliter, & philoſophicè; quia eſſet naturæ rationali diſconveniens. Hoc autem peccatum dicitur philoſophicum, quia ad philoſophos ſpectat conſiderare actum in genere moris, ſi ſit conformis, vel difformis rectæ rationi. Peccatum verò Theologicum eſt illud, quod ultra malitiam moralem actus, dicit etiam averſionem à Deo, & converſionem ad Creaturas, dicit Dei offenſam, expulſionem gratiæ, & pœnæ æternæ condignitatem. Dicitur hoc peccatum Theologicum, quia ad Theologos ſpectat conſiderare actum in ordine ſupernaturali gratiæ, & gloriæ, vel carentiæ gratiæ, & gloriæ, &c. & hoc peccatum nobis innoteſcit per revelationem, quatenus præcepta Dei fuerunt revelata, & ab Eccleſia propoſita, contra quæ, vel homo peccat poſitivè, vel actum præceptum omittit. Sit exemplum utriuſque peccati pro majori claritate. Si quis nullam haberet de Deo cognitionem, neque de ejus lege, & aliunde cognoſceret, quòd actus venerei eſſent illiciti, occiſio, furtum, &c. quia ſunt naturæ humanæ repugnantes; tunc ſi actus venereos exerceret, vel occideret, vel furtum faceret, &c. iſta peccata, abſque ulla legis cognitione, dicerentur peccata philoſophica, quatenus eſſent actus naturæ rationali repugnantes. Si verò ultra hanc cognitionem repugnantiæ illorum actuum cum natura rationali, ei innoteſceret per revelationem, vel Eccleſiæ manifeſtationem, quòd illi actus ſint contra legem Dei, & importent injuriam Dei, expulſionem gratiæ, & impedimentum ad gloriam; ac inſuper condignitatem ad pœnam æternam; tunc peccata illa dicerentur Theologica. Hac præmiſſa doctrina,

13 Impugno nunc primam partem damnatæ propoſitionis: & probo

probo, non poſſe dari ignorantiam invicibilem de Deo ex iis; quæ dixi in 2. diſp. primi libri ſent. Primò ex illo Sap. 13. *A magnitudine enim ſpeciei, & Creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Secundò ex D. Auguſtino, tractatu in Joan. *Hæc eſt vis veræ divinitatis, ut Creaturæ rationali, iam ratione utenti, non omninò, ac penitùs poſſit abſcondi.* Tertiò ex Tertulliano lib. 1. cōtra Marcionem: *Prima animæ rationalis dos, Dei notitia eſt.* Quartò tandem efficaci ratione demonſtratur, & quidem à poſteriori, & cohærenter ad doctrinam cit. ex Sap. Quilibet certam habet cognitionem, hunc mundum, & ornatum ejus eſſe conditum: non ab aliqua Creatura: Ergo à Creatore; ſed hic Creator eſt Deus: Ergo quilibet poteſt cognoſcere, Deum eſſe. Demum ignorantia invincibilis excuſat à peccato; Sed qui Deum verum ignorat, non excuſatur à peccato; aliàs Gentiles excuſarentur à peccato, qui adorantes falſos Deos, putant, illos eſſe veros Deos: Ergo qui ignorat verum Deum, nequit ignorantiam invincibilem de vero Deo habere.

14 Impugno nunc ſecundam partem damnatæ propoſitionis, & probo, quòd ille, qui peccat, & actu non cogitat de Deo, non committat peccatum philoſophicum, ſed verè Theologicum. Peccatum philoſophicum præſcindit à revelatione, ratione cujus cognoſcatur, peccatum eſſe offenſam Dei, averſiuum à Deo, impeditiuum acquiſitionis beatitudinis, & inductiuum pœnæ æternæ; Sed qui peccat, & in actu peccati non cogitat de Deo, jam cognovit, peccatum ipſum eſſe Dei offenſam, averſiuum à Deo, &c. Ergo dum peccat, & non actu cogitat de Deo, committit verum peccatum theologicum, & non purè philoſophicum. Probatur aſſumptum. Supponamus, Titium eſſe in actuali fornicatione; in priori ad ipſum actum fornicationis cognovit, fornicationem illam eſſe offenſam Dei, averſivam à Deo, & pœnæ æternæ condignam: dum actu peccat, non cogitat iſtas formalitates actus, neque ipſum Deum, qui in illo actu offenditur. In hoc caſu, quia Titio innotuerat malitia illius actus, ut averſiva à Deo, & offenſa Dei, ac pœnæ æternæ condigna, jam peccatum committit, pro ut eſt Dei offenſiuum, à Deo averſiuum, & pœna æterna condignum; Sed peccatum ſuperaddens has formalitates, eſt peccatum theologicum: Ergo qui peccat, & actu non cogitat de Deo, committit peccatum theologicum. Aliud nanque eſt peccare, abſque prævia cognitione Dei: & aliud eſt peccare, non cogitando de Deo, dum actu peccatur. Peccare primo modo eſt peccare, abſque eo, quòd cognoſcatur, peccatum eſſe Dei offenſiuum, impeditiuum beatitudinis, & condignum pœna æterna. At peccare ſecundo modo, ſcilicet abſque actuali cogitatione de Deo, eſt peccare ex prævia cognitione, quòd peccatum ſit

offenſa

offenſa Dei, impeditiuum beatitudinis, & pœnæ æternæ condignũ: Adeoque qui peccat, & actu de Deo non cogitat, non committit peccatum philoſophicum, ſed verè theologicum.

15 Impugno nunc, & probo, quòd qui peccat, vel ignorãdo Deũ, vel non cogitando de Deo graviter peccat, quòd ſcilicet offendat Deum, diſſolvat amicitiam Dei, & ſit pœna æterna dignus, eſtò hoc peccatum ſit philoſophicum. Qui peccant, ignorando Deum, vel non cogitando de Deo, vel ſciunt Dei leges, & præcepta: vel non. Si dicatur primum: Ergo jam per legum, & præceptorum cognitionem certò ſciunt, peccatum eſſe offenſam Dei, inductiuum pœnæ æternæ, & averſiuum à Deo: Ergo qui committit tale peccatum, non ſolùm graviter peccat, ſed Deum offendit, diſſolvit amicitiam Dei, & eſt dignus pœna æterna: Ergo quamvis concederetur, peccatum illud eſſe philoſophicum, hoc tamen, quia eſſet commiſſum ab eo, qui legem cognoſcit, eſt offenſa Dei, & amicitiam Dei diſſolvit, &c. Si dicatur ſecundum: Ergo ex repugnantia, quam cognoſcunt in illis pravis actibus, & oppoſitione naturæ rationali, tenentur actus illos fugere: Ergo dum illos non fugiunt, committunt peccatum, quod eſt Dei offenſiuum, & diſſolvit amicitiam Dei. Probabatur iſta conſequentia: natura rationalis, cùm debeat ſe conformare dictamini rationis, tenetur fugere malum ipſi naturæ repugnans; ſed malum, quod eſt naturæ repugnans, eſt offenſa Dei, & diſſolvit amicitiam Dei: Ergo dum quis non fugit actus naturæ rationali repugnantes, ſi illos committit, Deum graviter offendit, & diſſolvit amicitiam Dei.

16 Tandem concludo contra hanc damnatam propoſitionem, ex his omnibus dictis, eum, qui actu peccat, vel Deum ignorando, vel de Deo actu non cogitando, peccare peccato theologico. Primò, quia ignorantia illa de Deo eſſet omninò vincibilis: & ſic peccans contra Deum vincibiliter ignoratum, Deum offendit, & amicitiam Dei diſſolvit, & ſit pœna æterna dignus. Secundò, quia non cogitando de Deo, non deſtruit præviam Dei cognitionem ejuſdem mandatorum: & inſuper, quòd actus ille prauus, qui committitur, ſit offenſa Dei, & pœna æterna dignus: Ergo ex nullo capite cenſeri poteſt peccatum non offenſiuum Dei, neque pœna æterna dignum; Ac per conſequens meritò iſta ſecunda propoſitio fuit, ut ſcandaloſa, temeraria, & piarum aurium offenſiva, damnata.

Tenor ſententiæ damnationis iſtarum duarum Propoſitionum ab Alexandro Octavo damnatarum.

QUibus peractis, Sanctiſſimus, omnibus plenè, & maturè conſideratis, primam Theſem ſeu Propoſitionem declaravit hæreticam, & ut talem damnandam, & probibendam eſſe, ſicut damnat, & probibet ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Secundam Theſem, ſeu Propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam; & uti talem damnandam & probibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ita ut quicunque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publicè ſeu privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio etiam quacunque dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatus etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam Theſem, ſeu Propoſitionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus S.R.& Univerſ.Inquiſ. Not.

Loco ✠ Sigilli.

Præmiſſum Decretum fuit publicatum 24. *Auguſti* 1690.

Sequuntur aliæ Propoſitiones ab eodem Alex.VIII. damnatæ:

Feria 5. *die* 7. *Decembris* 1690.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſ. Inquiſ. habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D.N. Alexandro Divina Providentia Papa Octavo, &c.

Sanctiſſimus D.N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. prædictus. Pro Paſtorali cura Ovium à Chriſto Domino ſibi commiſſa, de earum ſalute ſollicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimium pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris; & deinde Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis D.D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſ-

ſi,

ſi, eique ſedulò, ac pluries incumbentes, ſuper una quaque ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſigillatim detulerunt.

ARTICVLVS I.

Exponitur ſenſus primæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Prima damnata Propoſitio. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.*

17 Senſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd ad peccatum formale, & ad demeritum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas actualis, & formalis peccantis, ſed ſufficiat libertas in cauſa, quatenus ſcilicet voluntas nunc peccans continebatur in voluntate Adami peccantis. Hæc propoſitio facit peccatum actuale perſonale neceſſarium, quod erroneum eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

18 Ex dictis in præterito articulo conſtat, quid, & quotuplex ſit peccatum; & inſuper differentia, quæ eſt inter originale, & perſonale peccatum. Nunc circa peccatum formale, ut ab originali diſtinctum, eſt ſermo. Ad peccatum nanque formale requiritur plena, & actualis voluntatis libertas, qua liberè ſe determinat ad hunc actum potiùs, quàm ad alium; & ad hanc potiùs partem contradictionis, quàm ad aliam: unde ſicut homo peccat, ita potuit non peccare, ſi liberè non ſe determinaſſet ad peccandum. Quare indubitatum eſt apud omnes Theologos, ex doctrina D. Auguſtini, *Non eſſe peccatum, niſi voluntarium.* Quod expreſsè ex pluribus Scripturæ locis colligitur. Primò ex Jer. 7. ubi habetur: *Hæc gens non audivit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam, ideo projecta eſt à Deo.* Secundò ex lib. Num. 14. *Amalec, & Cananæus ante vos ſunt, quorum gladio correntis, eò quòd nolueritis acquieſcere Domino.* Tertiò ex Geneſi 4. *Quare iratus es? & quare concidit vultus tuus? Nonne ſi benè egeris, recipies, ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Quartò ex Amos Proph. 3. *Quærite bonitatẽ, & non malitiam, & invenietis.* Quintò colligitur iſta veritas ex D. Ambroſ. in expoſit. ſupra Pſalm. 40. *Homini dedit eligendi arbitrium, quod ſe-*

quatur, ante hominem vita, & mors: ſi deliqueris, non natura in culpa eſt, ſed eligentis affectus. Sextò D. Hieron. in Dial. contra Pelag. ait: *Hoc eſt, quod in principio dixeram, in noſtra eſſe poteſtate peccare, et non peccare, ut liberum ſervetur arbitrium*. Septimò ex D. Auguſtino lib. 3. cap. 1. *Neque ulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura, neceſſitaſque dominatur*. Et lib. 2. cap. 1. ait: *Habemus liberum voluntatis arbitrium, et nonniſi eo peccamus*. Et in Epiſt. 46. contra Pelagium, ait: *Si non eſt gratia Dei, quomodo ſalvat mundum? Si non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Ex his doctrinis, quæ contra Pelagianos, & Calviniſtas militant, infertur, hominem ſua libertate peccare, ita ut non ſit neceſſitatus ad peccandum, ex eo, quòd primò homo peccavit. Quibus doctrinis præmiſſis, contra quas militare videtur damnata propoſitio,

19 Nunc ipſam propoſitionem impugno. Primò: Peccatum Adæ nullam in nobis neceſſitatem poſuit ad peccandum; ſed adhuc nos liberos in ſtatu naturæ lapſæ reliquit ad peccandum, vel non peccandum: Ergo ad peccatum formale, vel demeritum requiritur voluntatis peccantis libertas, & non ſufficit libertas in cauſa, quæ fuit in primo homine peccante. Probatur aſſumptum: peccatum Adæ fuit carentia Juſtitiæ originalis; ſed hujuſmodi carentia non eſt neceſſitas in ſtatu naturæ lapſæ inhærens voluntati, ipſam neceſſitans ad peccandum; nam peccatum ipſum Adæ, quamvis transfuſum in Poſteros, poſt Baptiſmum eſt deletum, & nec in Baptizatis moraliter perſeverat: Ergo illud Adæ peccatum nullam in nobis neceſſitatem poſuit ad peccandum.

Eò vel maximè: Juſtitia originalis amiſſa per primum peccatum, ſi perſeveraſſet, non fuiſſet in homine neceſſitas ad non peccandum; aliàs Adam liberè illam non amiſiſſet: Ergo carentia ejuſdem originalis juſtitiæ non eſt in homine neceſſitas ad peccandum. Probatur iſta conſequentia, ex regulis dialecticis: quando forma conjungibilis eſt cum aliquo actu, carentia formæ eſt conjungibilis cum oppoſito actus; & è contra; ſed juſtitia originalis eſt forma; peccatum originale eſt carentia iuſtitiæ originalis: Ergo ſi iuſtitia originalis non eſt neceſſitas ad non peccandum, neque originale peccatum erit neceſſitas ad peccandum.

20 Deinde: primus homo Adam non fuit neceſſitatus ad peccandum, ſed ſua libertate peccavit, ut dixit D. Auguſtinus de vera Relig. cap. 14. loquendo de peccato Adæ: *Quoniam ſi neceſſitate feciſſet, nullo peccati crimine teneretur*: Ergo pariter, omnes homines ab Adam procreati propria libertate peccant; aliàs de eis idem Auguſtini dictum militare videretur: quòd ſcilicet, *ſi neceſſitate feciſſent, nullo peccati crimine tenerentur*. Conſequentia ſequitur, quia

pecca-

peccatum non eſt imputabile, niſi quando eſt formale,& perſonale; ſed eſt tale, quando propria libertate committitur: Ergo peccatum formale eſt liberum à propria peccantis libertate.

21 Tandem oſtenditur falſitas hujus propoſitionis ex Concilio Tridentino ſeſſ.6 can.5. ubi habetur: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum,& extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, immò titulum ſine re; figmentum denique à Satana invectum in Eccleſiam, anathema ſit.* Idem habetur in can.6.ejuſdem ſeſſionis: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe; adeout ſit proprium ejus opus, non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.* Hi Canones facti fuerunt contra Calviniſtas, qui liberum negabant arbitrium; ſed hæc propoſitio damnata ponens, ad peccatum formale,& demeritum ſufficere libertatem in cauſa, ſeu in primo homine peccante, videtur negare libertatem creatam in peccando; & adſtruit neceſſitatem peccandi: Ergo coincidit cum opinione Calvini; ac per conſequens meritò, ut temeraria, & in fide ſuſpecta damnata fuit. Contra hanc propoſitionem directè militant ſupradictæ authoritates, tum ex Scriptura, tum ex Sanctis Patribus ſupra relatis. Contra Authores hujus propoſitionis multum facit D. Auguſtinus lib. de natura,& Religione, ubi ait in cap. 14. *Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Et quidem loquitur de voluntario perſonali, ſeu perſonæ peccantis, & non de voluntario in cauſa, ſeu in primo homine Adamo; quod clarè inſinuat lib.2.de lib.arb.cap.1. dicens: *Illud bonum, quo commendatur ipſa juſtitia in damnandis peccatis, rectèque factis honorandis, quomodo eſſet, ſi homo careret libero voluntatis arbitrio?* Ergo dum peccatum damnatur, ſignum eſt, quòd ad illud non ſufficit ſola libertas in cauſa, ſed eſt neceſſaria libertas peccantis.

ARTICVLVS II.

Exponitur ſenſus ſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Secunda damnata Propoſitio. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali.*

22 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd qui operatur ex ignorantia invincibili juris naturæ, in ſtatu naturæ lapſæ,

ſæ, non excuſatur à peccato pro formali, quod eſt contra præceptum, & legem. Prætendunt Authores hujus propoſitionis, quòd illi, qui operantur ex ignorantia invincibili juris naturæ (quæ, per ipſos, oritur ex pœna peccati originalis) neceſſitantur ad peccandum; quod quidem erroneum eſt, & in fide ſuſpectum, immò hæreticum.

Oppugnatio Propoſitionis.

23 SUppono, ignorantiam invincibilem eſſe negationem cognitionis, quæ moraliter vinci, & expelli non poteſt. Ut ſi quis omnem adhibeat diligentiam, an extet præceptum circa alicuius rei obſervantiam, vel prohibitionem, ne aliquid fiat; & notitiam de tali legis obſervantia habere non poſſit; tunc diceretur obſervantiam illam, vel rei prohibitionē invincibiliter ignorare. Ignorantiam vincibilem eſſe negationem cognitionis, quæ vinci, & expelli poteſt. Ut ſi quis neſciret, an hoc ſit præceptum, & cadat ſub lege; & ut poſſit de hoc veritatem ſcire, nullam adhiberet diligentiam; tunc tale præceptum vincibiliter ignoraret.

24 Suppono inſuper, non eſſe moraliter poſſibilem ignorantiam invincibilem Juris naturæ (ut prætendunt Authores huius damnatæ propoſitionis;) cùm nemo poſſit reperiri, qui non cognoſcat, mendacium, furtum, adulterium, &c. & inſuper non cognoſcat, hos actus eſſe malos, inhoneſtos, & contra regulam morum: & inſuper nemo eſt, qui nō cognoſcat hoc principium, *quod tibi non vis alteri ne feceris, &c.* Ubi adverto, quòd peccatum, aliud eſt pro formali, & aliud pro materiali. Peccatū pro formali eſt actualis diſformitas ad regulam moris, dictantem, hoc eſſe illicitum: adeoque fugiendum. Ut ſi ratio, vel prudentia dictaret, nunc extare præceptum obligans ad audiendum Sacrum; nunc non audire Sacrum eſt peccatum pro formali; quia nunc omiſſio Sacri dicit actualem diſformitatem ad regulam morum, & nunc extat præceptum de audiendo Sacro. Peccatum verò pro materiali eſt opus aliquod non oppoſitum actu regulæ morum; quatenus intellectus non iudicat, hìc, & nunc aliquid eſſe faciendum. Ut ſi extaret præceptum de auditione Sacri, & intellectus iudicaret hìc, & nunc non vigere hoc præceptum, tunc omittens Sacrum, peccaret tantùm peccato materiali, quatenus eſt opus contra præceptum; non verò peccaret peccato pro formali; quia iudicat non extare hìc, & nunc tale præceptum; ac per conſequens non diceret diſformitatem ad regulam morum. Hæc autem ignorantia invincibilis iuris naturæ in ſtatu naturæ lapſæ non eſt poſſibilis, ut dictum eſt. At gratis admiſſa, hæc habet excuſare operantem ex ipſa à peccato formali.

25 Quod

25 Quod ſic oſtenditur contra damnatam propoſitionem. Suppoſito, quòd detur hujuſmodi ignorantia invincibilis juris naturæ in ſtatu naturæ lapſæ, hæc ignorantia daretur in pœnam peccati originalis; Sed pro ut daretur in pœnam peccati originalis, habet excuſare operantem ex ipſa à peccato formali; quia ſtante ipſa, operans non difformaretur à regula moris; cùm non poſſet cognoſcere, an hoc cadat ſub lege, vel ſub præcepto: Ergo ſuppoſita ignorantia invincibili juris naturæ, hæc excuſat operantem ex ipſa à peccato formali.

Eò vel maximè: operans ex ignorantia invincibili, præſtat liberum conſenſum, quo voluntas operatur ex eo, quòd putat, nunc non extare præceptum obligans ad ejus obſervantiam; Sed non imputatur ad peccatū formale voluntati operanti, ex eo, quòd judicat, nunc non extare præceptum obligans ad ſui obſervantiam: Ergo voluntas, quæ operatur ex ignorantia invincibili excuſatur à peccato pro formali. Probatur minor: ex D. Auguſtino lib. 3 de lib. arb. cap. 19 ubi ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras*. Sit hoc exemplum in D. Auguſtini authoritate. Neſciat quis, an extet præceptum de auditione ſacri: ſi omnem adhibet diligentiam, ut ei innoteſcat, extare præceptum de auditione ſacri, & nullam notitiam de tali præcepto habere poſſit; tunc ei non imputatur ad culpam omiſſio ſacri; quia tunc invincibiliter ignorat præceptum. At ſi ille dubitans an extet, vel non, præceptum de audiendo ſacro, non adhibet diligentiam, ut ei innoteſcat, extare tale præceptum de auditione ſacri; tunc quia negligit quærere quod ignorat, ei imputatur ad culpam: Ergo dum quis invincibiliter ignorat, extare aliquod præceptum, ſi operatur ex tali ignorantia invincibili, excuſatur à peccato pro formali.

ARTICVLVS III.

Exponitur ſenſus tertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Tertia damnata propoſitio. *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.*

26 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd non ſit licitum ſequi probabiliſſimam opinionem inter probabiles; nec illam, quæ ſimpliciter opinio eſt. Vnde putaſit Authores, quòd ſemper certa ſit tenenda. Quare præſumunt tollere de medio receptum uſum probabiliſtarum.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

27 HÆc propoſitio pendet ex iis, quæ dicta ſunt in primo, ſecundo, tertio, & quarto articulo ſecundi tractatus hujus operis contra primas quatuor propoſitiones damnatas ab Inn. XI. Ubi dictum eſt, non eſſe licitum in Sacramentorum adminiſtratione ſequi opinionem minùs probabilem, præſertim quando minùs tuta eſt, & exponit Sacramentum periculo illud invalidandi. Nec eſſe licitum Judici judicare, juxta opinionem minùs probabilem; quia ex tali judicio læditur majus jus alterius, quod habet ad rem judicatam: & Iudex in ferenda ſententia, juxta minùs probabilem opinionem, facit contra juſtitiam. Nec agens juxta opinionem tenuiter probabilem prudenter agit; quia cùm judicet oppoſitam opinionem magis congruere, & minorem involuere formidinem, ſemper actio facta, juxta opinionem tenuiter probabilem eſſet actio imprudens. Si quis nanque mihi diceret vix poſſe probari, exceſſum octo unciarum pro ſerotina cenula jejunii, non frangere jejunium: & ratio id probans non convincit, nec ſolvere poteſt rationes ad oppoſitum; tunc ſi in praxi hanc ponerem opinionem, imprudenter agerem; quia me exponerem periculo frangendi jejunium Eccleſiaſticum, ratione talis exceſſus. Nec tandem excuſari poteſt infidelis ab infidelitate, ductus opinione minùs probabili; quia tenetur infidelis, qui laborat ignorantia vincibili circa myſteria noſtræ fidei, adhibere majorem diligentiam, ut majorem habeat certitudinem, quænam ſit vera fides. Unde donec formidaret, non excuſaretur à peccato infidelitatis non credens myſteria noſtræ fidei, ductus opinione minùs probabili. Hæc omnia videri poſſunt loc. ſupra cit.

28 Nunc ſuppono, propoſitionem probabiliſſimam illam eſſe, quæ vel nititur majori Doctorum ſequela, vel Patrum, & ſcripturæ teſtimoniis, vel urgentiſſimis rationibus; & qua faciliùs rationes in oppoſitum ſoluuntur, ita ut, quaſi certa exiſtimanda eſt, quia vix formidinem, & dubietatem admittit. Unde ſi quis adhiberet omnem diligentiam, etiam circa materiam honeſtatis actus, & cognoſceret, non eſſe opinionem magis tutam, quàm illa, quæ probabiliſſima eſt; ſi hanc relinqueret, & operaretur, juxta minùs probabilem, imprudenter, & cum periculo ſe exponendi peccato, ageret: quia cùm rationes urgentiſſimæ, Patrum, & ſcripturæ teſtimonia, ac Doctorum ſequela reddant quaſi certam opinionem illam probaliſſimam; iccirco qui eam relinqueret, ſe periculo peccandi exponeret.

29 Impugno nunc ex his hanc damnatam propoſitionem. In quacun-

quacunque materia,etiam circa honeſtatem actus,illam opinionem licet ſequi, quæ ceteris communior, & tutior eſt;& inſuper quæ habet excludere omnem formidinem ; ſed ſola probabiliſſima opinio communior eſt ceteris , & tutior , ac omnem excludit formidinem: Ergo probabiliſſimam licet ſequi, ne periculo peccandi ſe exponat. Ratio nanque probabilitatis vix adaptari poteſt opinioni probabiliſſimæ, quæ magis certitudini propinqua eſt , quàm minùs probabilis; cùm ferè omnem habeat excludere formidinem. Ultraquamquòd, quando certa opinio haberi non poteſt , & voluntas tenetur operari , nec utramque partem contradictionis ſuſpendere licitè poteſt;tunc ad probabiliſſimam ſe determinare debet,quæ opinioni certæ eſt magis propinqua : Ergo licitè operatur , qui juxta probabiliſſimam operaretur ; cùm prudens judicium in caſu haberetur; præſertim quia periculum peccandi evitaretur.

ARTICULUS IV.

Exponitur ſenſus quartæ Propoſitionis , & ejus falſitas demonſtratur.

Quarta damnata Propoſitio. *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis , ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.*

30 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd Chriſtus Dñs, dum pro nobis mortuus eſt, dedit ſemetipſum oblationem Deo, ſeu in ſacrificium , non pro ſolis electis , ſed pro omnibus , & ſolis fidelibus. Videtur autem,verba Cõſecrationis Sanguinis Chriſti Domini anſam præbuiſſe fautoribus hujus propoſitionis,aſſerendi Chriſtum Dominum eſſe mortuum , & ſemetipſum dediſſe oblationem pro omnibus, & ſolis fidelibus, & non pro infidelibus.

Oppugnatio Propoſitionis.

31 FAlſitas hujus damnatæ propoſitionis pendet ex eo , quod contra multos hæreticos exagitatur à Catholicis in materia de auxiliis, & libero arbitrio. Ubi cum Apoſt. 1. ad Timot. 2. adverto , *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et hoc quidem volũtate illa primaria,& à Theologis antecedenti vocata, per quam omnibus confert auxilia ſufficientia ad ſalutem conſequendam . Ex qua Apoſtoli doctrina evidenter , & clarè deducitur , Deum neminem hac ſua primaria voluntate excluſiſſe à gloria : inſuper per eandem voluntatem dedit omnibus,

abſque excluſione, media ad ipſam gloriam conſequendam. Quare adverto, hanc eſſe differentiam communiter aſſignatam à Theologis inter auxilia ſufficientia, & efficacia:priora ſunt illa, quæ dant poſſe operari, & potentiam diſponunt ad iuſtificationem: poſteriora verò dant actualem operationem. Unde etſi aliquibus hominibus ſint denegata auxilia efficacia, nemini tamen, eſtò infidelis ſit, vel Paganus, vel obcæcatus, &c. denegata ſunt auxilia ſufficientia, quibus paulatim poſſunt ſe diſponere ad agnitionem veritatis, ut Apoſtolus locutus fuit.

32 Ex his deducimus, illa verba Matth.26. & Marci 14 à Chriſto Domino prolata; nimirum,*qui pro vobis, & pro multis*,ut omnes volunt Theologi, in hoc ſenſu eſſe ſumenda: ſcilicet *pro vobis*,ideſt pro Apoſtolis, quos in Cœna communicavit. *Et pro multis*, ideſt pro multitudine hominum; aut pro toto complexo generis humani. Vel dicendum, quòd ſi ſenſus eſt exceptiuus,non eſt talis quò ad ſufficientiam, ſed tantùm quò ad efficaciam: cùm indubitatum ſit, Sanguinem à ChriſtoDomino effuſum efficacem fuiſſe tantùm pro illis, qui ſalvati ſunt, & ſalvantur; non pro reliquis hominibus; eſtò pro aliis ſufficientiam habebat, ut virtute eius potuiſſent ſalvari;& hoc quidem, quia auxilia habuerunt ſufficientia ad ſalutem conſequendam. Non pro omnibus fuit efficax, quia non omnes gratiæ auxiliis cooperati ſunt. Pro omnibus verò fuit ſufficiens; quia omnibus fuerunt conceſſa auxilia ſufficientia, per quæ ſalutem æternam conſequi potuiſſent. Ex his

33 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Pro illis Chriſtus Dñs dedit ſemetipſum oblationem Deo, pro quibus voluit liberè mori,& à ſervitute peccati liberare;ſed non pro ſolis,& omnibus fidelibus, ſed etiam pro infidelibus voluit liberè mori, & eos voluit à ſervitute peccati liberare: Ergo Chriſtus Dominus pro omnibus, etiam infidelibus,dedit ſemetipſum oblationem Deo.Probatur minor: Dominus Jeſus Chriſtus pro illis voluit liberè mori, pro quibus Eccleſia orat, ut à ſervitute peccati liberentur, & ad veram fidei agnitionem perveniant; ſed Eccleſia orat tam pro fidelibus, quàm pro infidelibus: Ergo tam pro fidelibus, quàm pro infidelibus Chriſtus Dominus voluit liberè mori.

Eò vel maximè: ſicut omnes, tam fideles, quàm infideles in Adam peccaverunt,ita per ſecundum Adam,Chriſtum,omnes tam fideles, quàm infideles vivificati ſunt: Ergo pro omnibus, tam fidelibus, quàm infidelibus Chriſtus mortuus eſt: nam ipſe mortuus eſt pro illis, qui peccaverunt in Adam:omnes nanque redemit: Ergo pro omnibus dedit ſemetipſum oblationem.

Deinde ex 1.Jo:2.habetur: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*,

Digitized by Google

ſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Et ex D. Anſelm.in Pſalm.118.habetur: *Myſticus ſol ille Iuſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, omnibus reſurrexit.*

34 Hoc ipſum confirmatur ex doctrina D. Clementis Romani lib.2. Conſt. Apoſt. cap. 59. his verbis: *Ex ore Domini noſtri Ieſu Chriſti, audivimus,& perfectè ſcientes dicimus,quæ ſit voluntas Dei beneplacens, & perfecta per Ieſum Chriſtum nobis demonſtrata, ut nullus intereat, ſed univerſi homines unanimi ſententia credentes ei, & unanimi laudem ferentes in eum, vivant in æternum.* Secundò, ex D.Proſpero ſuper illud Apoſtoli 1.ad Timot.2. habetur: *Qui dicit, quòd non omnes velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendum eſt altitudine gratiæ Dei, qui & omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem venire veritatis, & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos prædeſtinavit*. Ex quibus Patrum doctrinis apertiſſimè deducitur, quòd pro omnibus, non ſolùm fidelibus, ſed infidelibus etiam, Chriſtus Dominus mortuus ſit, & ſemetipſum dedit oblationem Deo.

35 Modus autem, quo omnes pervenire poſſint ad agnitionem veræ fidei, ut cognoſcatur, Chriſtum Dominum etiam pro infidelibus mortuum fuiſſe, eſt à Doctore noſtro Scoto relatus q.1. Prol. §. *contra autem*: ſcilicet Deus excitat infideles ad dolendum,& diſplicendum de peccatis commiſſis contra legem naturalem: deinde dat auxilia ad eandem legem ſervandam, ad eleemoſynas faciendas, & alia opera moraliter bona, præſertim pietatis, & charitatis: & tandem ad rogandum, & aliquid à Deo impetrandum. Quibus à Gentilibus, & infidelibus peractis, dat Deus auxilia ad Chriſti fidem recipiendam. Adducit Doctor noſter loco cit. exemplum de Cornelio, qui ſervando legem naturæ,& opera bona faciendo,præſertim elargiendo eleemoſynas, fuit ab Angelo monitus, & ab Apoſtolo inſtructus ad veram fidem acceptandam. Quantum afferat præjudicium divinæ bonitati, & clementiæ ſupradicta damnata propoſitio, ex iis, quæ dicta ſunt, apertè colligitur. Quare ſi Sanguis Chriſti Domini non omnibus profuit, nec omnibus prodeſt, non exoritur ex deficientia valoris pro omnibus, etiam infidelibus; ſed quia iſti ad auxilia collata non præbuerunt conſenſum: unde ſi damnantur, eorum culpa damnantur; juxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum.* Concludendum igitur eſt, Chriſtum Dominum dediſſe ſemetipſum oblationem Deo, non pro omnibus, & ſolis fidelibus, ſed etiam pro omnibus infidelibus.

ARTICVLVS V.

Exponitur ſenſus quintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quinta damnata Propoſitio. *Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Ieſu Chriſto influxum: adeoque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.*

36 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis ſequitur ex antecedenti propoſitione, ex qua Authores ipſius inferunt, Paganos, Iudæos, Hæreticos, & quoſcunque infideles nullum gratiæ influxum à Chriſto Domino accipere: quare nuda voluntas in iis eſt, inermis, & ſpoliata omni gratia ſufficienti; ita ut ſi velint, non poſſint ſalvari.

Oppugnatio Propoſitionis.

37 INdubitatum eſt inter omnes Theologos, in Deo dari voluntatem antecedentem, conſequentem, ſigni, & beneplaciti, teſtante Apoſtolo ad Rom. 12. *Ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Volũtas antecedens eſt illa, quæ verſatur circa objectum ſecundùm ſe ſumptum, non veſtitum circumſtantiis. Conſequens eſt illa, quæ verſatur circa objectum omnibus circumſtantiis veſtitum. Pono exemplum utriuſque voluntatis adductum à Scoto noſtro in 1. ſent. diſt. 46. ad primum. Rex V. G. vult omnes milites incolumes, & ſalvos: aliquos verò ex his vult morituros. Illa voluntas, qua vult omnes ſalvos, eſt antecedens; quia terminatur ad milites præſcindentes à circumſtantiis bonitatis, vel malitiæ ipſorum: illa verò, qua vult aliquos morituros, dicitur conſequens; quia vult mortem ipſorum, ob malitiam, & iniquitatem eorum. Ita in caſu Deus, præſcindendo à meritis, & demeritis hominum, vult voluntate antecedenti omnes homines ſalvos fieri: prævisis verò aliquorum demeritis, & perſeverantia eorum in malo, vult iſtorum mortem: non quia ipſe Deus de ſua primaria voluntate velit iſtorum mortem; ſed ſolùm de conſequenti, quatenus iſti mali ſunt. Voluntas beneplaciti eſt illa, qua Deus vult aliquid eſſe, quia ſic ipſe vult. Voluntas tandem ſigni eſt illa, qua Deus ſigna oſtendit, ſe hoc, vel illud velle: quæ ſigni voluntas oſtenditur per ſcripturam teſtamenti, vel per alia ſigna, quando vocat peccatores ad pœnitentiam, quæ ſigna oſtendunt, Deum velle peccatores

res

res ad pœnitentiam. In Deo nanque, ut dictum eſt in præterito articulo, eſt voluntas antecedens ſalvandi omnes homines; quæ quidem voluntas verè eſt in Deo; nam per hanc Deus vult, quòd ejus ſerventur mandata, pro quorum obſervantia confert omnibus media ſufficientia: cùm nos ex nobis ſufficientes non ſimus ad mandata ſervanda, juxta illud Apoſt. 2. ad Cor. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

38 Hac præmiſſa doctrina, ſuppono, Chriſtum Dominum mortuum eſſe pro generis humani redemptione; unde canit Eccleſia: *Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo, &c.* & quidem mortuus eſt, ut ſalvos nos faceret: quare influxum quendam moralem Chriſtus Dominus in omnes filios Adæ præbuit, ob merita ſuæ mortis, & paſſionis; quatenus ex filiis iræ, propter Adæ peccatum, facti ſumus filii gratiæ adoptionis. Hic autem influxus Chriſti, ſi non omnibus prodeſt, non exoritur, quia omnibus deeſt; cùm ab omnibus tum fidelibus, tum infidelibus participabilis ſit; ſed exoritur ex prava hominum voluntate reſiſtente vocationi, internæ inſpirationi, & divinæ gratiæ auxilio excitanti, & moventi ad benè operandum. Unde fit, quòd qui damnantur, propria culpa damnantur, non verò ex defectu auxiliorum gratiæ, & influxus Chriſti Domini: quod expreſsè docuit D. Hieron. dicens: *Velle eſt meum, & currere eſt meum, ſed ipſum meum, ſine Dei auxilio non erit meum.* Ex qua doctrina ſignificatur, influxum Chriſti Domini in omnes eſſe, & omnibus præparata eſſe auxilia ſufficientia, ut Sanguis Chriſti omnibus proficiat. Quibus notatis,

39 Impugno nunc damnatam propoſitionem duplici medio Theologico. Deus condidit præcepta, ut ſtante eorum obſervantia, omnes ſibi ipſis promererentur gratiam, & gloriam: quibus præceptis obligavit, tum fideles, tum etiam Paganos, Iudæos, Hæreticos, & quoſcunque infideles: à lege enim, & præceptis Dei nemo excuſari poteſt; Sed niſi Pagani, Iudæi, &c. reciperent influxum à Chriſto Domino, non poſſent iſti obligari ad legis, & præceptorum obſervantiam; cùm dicere poſſent: *Quid nobis prodeſt certare, ſi coronam certaminis non ſperamus?* Ergo Pagani Iudæi, &c. verum à Chriſto Domino influxum recipiunt, quo poſſunt, ſi velint, primò converſionem, deinde juſtificationem, & ultimò gloriam promereri. Probatur minor: niſi Pagani, Iudæi, &c. reciperent influxum à Chriſto Ieſu, ſalus æterna eorum eſſet omninò deſperata, nec illam poſſent ſperare per mandatorum obſervantiam; Sed dum eſt ſalus eorum deſperata, non poſſunt obligari ad mandatorum obſervantiam: Ergo dum influxum non reciperent à Chriſto Domino, jam obli-

obligari non poſſent ad præceptorum obſervantiam.

Secundò: Pagani, Iudæi, &c. quibus, vel non eſt prædicatum Evangelium, vel ſi eſt prædicatum, non credunt prædicanti, habent legem naturalem, per cujus obſervantiam poſſunt paulatim devenire ad veræ fidei cognitionem; ſed non devenirent ad veræ fidei cognitionem, niſi per auxilia divinæ gratiæ, quæ ipſis communicata ſunt, moventia, & internè excitantia ad credendum: Ergo Pagani, Iudæi, &c. non habent nudam, & inermem voluntatem, ſed adiutam gratia Chriſti ſufficienti, ratione cujus ſuſcipere poſſunt ulteriorem influxum Chriſti Domini, promerendi gratiam, & gloriam. Minor eſt certa, & determinata à Conc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 3. dicente: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Ex quibus colligitur, quòd ſi quidam ex Paganis, Iudæis, Hæreticis, & Gentilibus veniunt ad catholicam fidem recipiendam, hoc eſt mediante auxilio divinæ gratiæ, quo nemo ſpoliatus eſt.

40 Patet falſitas hujus propoſitionis ex pluribus Scripturæ teſtimoniis, quibus oſtenditur, Chriſti Domini influxum ſe extendere ad omnes, & ſingulos homines, etiam ad Paganos, Iudæos, &c. Primò ex Evang. D. Ioan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ly nanque *illuminare*, fit per auxilia divinæ gratiæ, omnibus, etiam infidelibus conceſſa, quibus illuminantur, & recipiunt Chriſti Domini influxum. Secundò ex Apoſtol. 1. ad Tim. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Idem 2. ad Tim. 2. *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione ſua ſancta: non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu, ante tempora ſecularia. Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem per Evangelium.* Idem ad Rom. 3. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Tertiò ex Epiſt. 1. Ioan. 2 *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Quartò tandem ex Evang. Lucæ 19. ubi habetur: *Venit ergo filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Omnes iſtæ authoritates univerſaliter loquuntur, non pro ſolis electis, nec pro ſolis fidelibus, ſed etiam pro infidelibus. Quare ſicut omnes peccaverunt, quatenus ly *omnes* includit etiam Paganos, infideles, Iudæos, &c. ſic omnes recipiunt à Chriſto Domino influxum, per quem credentes ſalvi eſſe poſſunt. Unde eorum voluntas nequit dici omni prorſus auxilio deſtituta,

iner-

Digitized by Google

Inermis, & nuda; cùm nemini ſint denegata auxilia, ſaltem ſufficientia ad ſalutem.

Ad hoc multùm facit doctrina D. Auguſtini de verbis Apoſt. Serm. 1., ubi ait: *Humanus ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere: Attende Evangelium. Venit ergo filius hominis quærere, & ſalvare, quod perierat. Perierat homo per voluntatem, venit Deus homo per gratiam liberatricem;* Sed omnes homines, tum fideles, tum infideles perierant: Ergo ad omnes homines ſalvandos, tum fideles, tum infideles, Chriſtus venit: & ſic etiam infideles influxum à Chriſto Domino recipiunt.

ARTICVLVS VI.

Exponitur ſenſus ſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Sexta damnata Propoſitio. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quàm pernicioſa eſt; ſic ut proinde meritò poſſimus petere, à gratia ſufficienti libera nos Domine.*

41 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd gratia ſufficiens in hoc ſtatu naturæ lapſæ, non ſolùm non ſit utilis, ſed ſit pernicioſa: quare poſſumus à Deo petere; *à gratia ſufficienti libera nos Domine*. Hæc propoſitio negat utilitatem, quam habere poſſumus à gratia ſufficienti: & aſſerit, quòd ſit nobis pernicioſa. Utrumque temerarium, & ſcandaloſum eſt, ut oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

42 GRatia ſufficiens, ut ab efficaci diſtincta, communiter à Theologis definitur, quòd ſit illa, quæ dat poſſe benè operari: & quanquam ſola efficax ſit cum actuali operatione conjuncta, cum qua operatione nõ eſt actu conjuncta gratia ſufficiens; tamen hæc eſt conjuncta cum potentia ad operandum, & coniungibilis cum actuali operatione. Quia gratia ſufficiens quandoq; movet, vel excitat, vel illuminat voluntatem ad benè operandum. Theologi etiam vocant gratiam excitantem, coadiuvantem, & inſpirantem, efficacem, ex eo, quòd per ipſam habetur actualis operatio, ad quam voluntas ſuum præſtat liberum conſenſum: & huiuſmodi gratia efficax à Deo datur ad omnes actus ſupernaturales, quos voluntas denudata auxilio ſupernaturali non poſſet attinge-

re,

re, ob naturalem improportionem,quam habet cum ipſis actibus.

43 Advertendum eſt inſuper, ſatis controverſum eſſe inter Theologos catholicos contra hæreticos, an homo poſſit ſolis naturæ viribus ſe diſponere ad gratiam excitantem, prævenientem, & coadiuvantem? In qua re contra Semipelagianos concludunt, ad hanc gratiam, non poſſe hominem ſolis naturæ viribus ſe diſponere, ſed requiri auxilium gratiæ moventis, in ſe ſufficiens, ad arbitrium diſponendum: quare naturaliter, ſeu poſitum in puris naturalibus creatum arbitrium, nequit ad gratiam excitantem ſe diſponere. Unde dixit Hieremias cap.5.*Converte nos Domine,& convertemur.* Et in Pſalmo 84. habetur: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Et ex Zach.cap.1.*Convertimini ad me,& ego convertar ad vos.* Quomodo homo poſſet ad Deum converti, ſi nudum eſſet arbitrium, omni gratia deſtitutum, ipſum diſponens ad converſionem? Hinc benè inferunt Theologi, arbitrium non eſſe auxilio ſufficienti deſtitutum, per quod poſſet ſe diſponere ad recipiendam gratiam efficacem excitantem,moventem,& coadiuvantem ad actus ſupernaturales efficiendos. Noto, quòd in fine orationis Hierem. Prophetæ conſtat,quòd ly *convertimini ad me*, ex Zach.deſumptum,ſit ex divinæ gratiæ auxilio: dum dicitur:*converte nos,Domine,ad te,& convertemur.* Hinc Concilium Trid.ſeſſ.6. cap.5. ait: *Declarat prætérea, ipſius Iuſtificationis exordium in adultis à Deo per Chriſtum Ieſum, præveniente gratia ſumendum eſſe: hoc eſt ab ejus vocatione, &c.* & infra ſubdit: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem,neque homo ipſe nihil omninò agat,inſpirationem illam recipiens: quippè qui illam & abiicere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei movere ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit: unde in Sacris literis,cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus: Converte nos, Domine,ad te, & convertemur;Dei nos gratia præveniri confitemur.* Ex his ergo

44 Impugno nunc primam partem damnatæ propoſitionis, & probo utilitatem gratiæ ſufficientis. Gratia ſufficiens diſponit liberum arbitrium ad obſervantiam legis naturæ,poſitam in noſtra poteſtate; ad reſiſtendum tentationibus; & ad arbitrium movendum, ut benè operetur; Sed hujuſmodi diſpoſitio utilis eſt homini ad ulteriorem gratiam recipiendam: Ergo Gratia ſufficiens, per quam homo ſic diſponitur, utilis eſt. Probatur major: liberum arbitrium nudè ſumptum, omni gratia ſufficienti denudatum, non poteſt propriis viribus ſe diſponere ad obſervantiam legis naturæ,ad reſiſtendum tentationibus,&c. aliàs obſervantia legis naturæ, & reſiſtentia tentationibus eſſent actus meritorii ſolius arbitrii creati;quod contra

tra

tra Pelagianos eſt ab Eccleſia damnatum in Cõcilio Carthagin. ſub Cœleſtino I. quorum Pelagianorum errores, antea damnati fuerant ab Inn. I. Ergo gratia ſufficiens, omnibus data, habet diſponere hominem ad legis naturæ obſervantiam, & ad reſiſtendum tentationibus.

Eò vel maximè: ad hoc militat Concilium Arauſicanum cap. ultimo, ubi habetur circa finem: *Hoc ſalubriter profitemur, quòd in omni bono opere nos non incipiamus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuvamur; ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui inſpirat priùs, ut Sacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum cum ipſius adiutorio, ea, quæ ſibi ſunt placita, adimplere poſſimus*: Ergo quæcunque opera bona, quæ diſponunt liberum arbitrium ad gratiam excitantem, & adiuvantem, ad gratiam juſtificationis, & ad actus quoſcunque ſupernaturales, ſunt à libero arbitrio, non nudè ſumpto, ſed gratia ſufficienti adiuto. Hoc ipſum determinavit idem Concilium per plures Canones antecedentes.

45 Deinde: ſi gratia ſufficiens non eſſet utilis cuicunque rationali creaturæ, poſſet quis dum eſt in occaſione peccandi, ex ſolis naturæ viribus non peccare; Sed hoc eſt falſum: Ergo in ſuperanda tentatione peccandi, quando quis reperitur in illa occaſione, utilis eſt gratia ſufficiens. Probatur primò major; quia tunc iſte talis cognoſceret, peccatum eſſe malum, & ob talem malitiam illud fugeret: Ergo quoties non fugeret peccatum, ut adiutus gratia ſufficienti; tunc occaſionem illam peccandi aufugeret, & non peccaret, ex ſolis viribus naturæ. Probatur nunc minor principalis: fuga illa peccati, dum quis eſt poſitus in proxima occaſione, eſt actus ſuperans naturales, & nudas vires humani arbitrii: & icciercò Pſalmiſta ajebat in Pſal. 26. *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me.* Sciebat namque David, quòd voluntas denudata auxilio Dei, proclivis eſſet ad malum; & icciercò auxilium à Deo petebat. Hinc D. Ambroſius in Pſal. 43. ait: *Quis eſt tam fortis, ut nequàquam in tentationem moveatur, niſi Dominus ei adiutor aſſiſtat*: Ergo falſum eſt, quòd occaſiones peccandi fugimus, ex ſolis viribus naturæ. Totum hoc à gratia ſufficienti præſtatur, qua Gentiles etiam quædam opera bona moralia faciunt, quibus quandoque diſponuntur ad gratiam efficacem vocantem, illuminantem; excitantem, & adiuvantem. Ex his concludimus, utilem eſſe gratiam ſufficientem, utilem eſſe in iis, quæ ſunt in ordine ſupernaturali, & ſunt diſpoſitiones ad ulteriorem gratiam.

46 Impugno nunc ſecundam partem propoſitionis, & probo, quòd gratia ſufficiens non ſit pernicioſa. Gratia ſufficiens

non eſt impeditiva gratiæ efficacis; immò eſt inductiva ad efficacem: Ergo non eſt nobis perniciosa: unde temerè quis diceret, *à gratia ſufficienti libera nos Domine*. Probatur aſſumptum: quoties voluntas per gratiam ſufficientem movetur ad opus bonum faciendum, confertur ei auxilium gratiæ efficacis: ut colligitur ex relata authoritate Zachar. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et ex D. Auguſtino q. 2. ad Simplicianum habetur: *Cujus Deus miſeretur, ſic eum vocat, ſicut ſcit illi congruere, ut vocantem non reſpuat*: Ergo gratia ſufficiens inductiva, & non impeditiva eſt gratiæ efficacis. Idem confirmatur ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. ubi habetur: *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adiuvat, ut poſſis.* Deus nanque ſi jubet, ut facias, ſupponit, te per auxilium gratiæ ſufficientis poſſe mandata ſervare, tentationes ſuperare, &c. jubendo, ut petas, quod non poſſes, paratus eſt ad majora tibi conferenda auxilia, ut poſſis urgentioribus reſiſtere tentationibus: & tandem adiuvat, ut poſſis, quia cognoſcendo naturæ impotentiam, tibi auxilium ſufficiens tentationibus reſiſtendi, & mandata ſervandi conceſſit. Tandem concludo, eos, qui gratiam ſufficientem ſpernunt, quæ de natura ſua dat poſſe operari, ut temerarios reputandos eſſe: hæc nanque ſufficiens gratia pernicioſa non eſt; ſed utilis ad ulteriorem gratiam recipiendam.

ARTICVLVS VII.

Exponitur ſenſus ſeptimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Septima damnata propoſitio. *Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi: ſi Dei, charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.*

47 Senſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd actio humana deliberata, quæ ſcilicet fit ex pleno conſenſu voluntatis, ſi eſt dilectio Dei, eſt charitas Patris, ideſt gratia iuſtificans: ſi verò eſt dilectio mundi, eſt concupiſcentia carnis, ideſt peccatum. Quare Authores huius propoſitionis prætendunt duo. Primum, quòd actus amoris erga Deum non diſponat ad gratiam, ſed ſit ipſa gratia. Secundum, quòd omnis dilectio mundi ſit peccatum. Vtrumque autem eſt falſum, & ſubiacet huic damnationi.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

48 SVppono, actionem humanam deliberatam illam eſſe, quæ fit pleno conſenſu voluntatis, ita ut voluntas alteram partem omninò recuſet. Inſuper ſuppono, actiones, quæ fiunt ante Iuſtificationem ex inclinatione habitus virtuoſi, ſive naturalis, quæ ſcilicet fiunt ex habitibus, Prudentiæ, Iuſtitiæ, Temperantiæ, &c. ſive habitus ſupernaturalis;ut quæ fiunt ex Fide, Spe, Timore Dei, &c. non eſſe peccata, ſed eſſe diſpoſitiones ad iuſtificationem: nam quæcunque actio bona, facta ex inclinatione virtutis, eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, ut colligitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. can. 7. dicente: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementiùs, quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare, anathema ſit*. Hac doctrina Concilii præmiſſa,

49. Impugno nunc primam partem damnatæ propoſitionis, & probo, quòd actiones humanæ deliberatæ, quæ ſunt dilectio Dei, non ſint charitas Patris, ſeu gratia ſanctificans. Omnis actio quantumvis deliberata, quæ à charitate non procedit, & ipſam charitatem inhabitantem præcedit, eſtò ſit amor Dei, eſt tantùm diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem;ſed diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem non eſt ipſa gratia ſanctificans, ſeu charitas Patris: Ergo actio humana deliberata, quæ eſt dilectio Dei,non eſt gratia ſanctificans, ſeu charitas Patris. Minor patet; cùm nulla diſpoſitio ad formam ſit ipſa forma. Probatur nunc maior: nulla actio humana deliberata, quæ eſt dilectio Dei, procedit à charitate, niſi ſupponat hominem Iuſtificatum per inhabitantem gratiam;ſed multoties homo in priori naturæ ad iuſtificationem amat Deum, & quidem ſuper omnia: præſertim dum incipit pœnitere, & ſe diſponit ad Sacramentum pœnitentiæ, per quod iuſtificatur: Ergo tunc illa actio, quantumvis deliberata, & ſit Dei dilectio, non procedit à charitate, ante iuſtificationem: ideoque neque eſt ipſa charitas.

Eò vel maximè: poteſt homo non iuſtificatus amare Deum ſuper omnia, & per hunc amorem ſe diſponere ad pœnitendum de peccatis, & ad gratiam ſanctificantem recipiendam; ſed iſte amor Dei, qui eſt ſola diſpoſitio, nequit eſſe gratia ſanctificans, nec effectus gratiæ ſanctificantis; cùm hæc non inhabitet in anima ſubdita peccato, & non iuſtificata: Ergo amor Dei, ut præcisè proveniens à voluntate deliberata, & non elicitus à charitate, nequit eſſe charitas Patris. Probatur maior: in omni actu præcedente ad iuſtifica-

 tionem

tionem debet ineſſe amor Dei, etſi non ex præcepto directè obligante ad diligendum Deum, ſaltem ex præcepto aliarum virtutum, cum quibus connectitur præceptum diligendi Deum; ſed actus præcedens iuſtificationem, nec eſt charitas, nec effectus à charitate elicitus: Ergo amor Dei non eſt charitas Patris. Probatur maior: in omni illo actu præcedente iuſtificationem, ſaltem adeſt deteſtatio peccati, ob eiuſdem turpitudinem, & quatenus eſt offenſa Dei; ſed hic actus deteſtandi peccatum includit amorem Dei, & non provenit à gratia ſanctificante: Ergo in omni actu præcedente iuſtificationem ineſt amor Dei ſuper omnia.

50 Impugno nunc ſecundam partem damnatæ propoſitionis, & probo, quòd aliqua dilectio mũdi nõ eſt cõcupiſcentia carnis, & ſic non eſt mala. Actus, qui diſponit ad iuſtificationẽ, nequit eſſe malus, nec carnis cõcupiſcentia; ſed aliqua dilectio mũdi diſponit ad iuſtificationem; quia mundus diligitur propter Creatorem mundi: & omnis dilectio, quæ eſt propter Deum, nequit eſſe mala: Ergo actio humana deliberata, ſi eſt dilectio mundi, non eſt mala, nec carnis concupiſcentia: Maior patet: quia nullus actus malus diſponit animam ad gratiam; cùm peccatum gratiæ opponatur. Probatur minor: quod cadit ſub præceptum, ita ut eius obſervantia ſit adimpletio præcepti, diſponit ad iuſtificationem, ſi exercetur ab eo, qui manet in peccato mortali; ſed aliqua dilectio mũdi cadit ſub præceptũ: nam adeſt præceptum diligẽdi Parentes ex 4. Decal. præcepto: *Honora Parentes*: Adeſt præceptum diligendi proximum, quicunque ſit: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*, ex Jacobo 2. Adeſt aliud præceptum de dilectione inimicorum: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*; ſed tam Parentes, quàm proximus, quàm inimici ſunt membra mundi: Ergo aliqua dilectio mundi diſponit ad iuſtificationem: quia obſervantia præceptorum ad iuſtificationem diſponit.

51 Ex hac ergo damnata propoſitione, quò ad hanc partem, ſequeretur, quòd qui præcepta Dei ſervaret in peccato mortali, obſervando præcepta, opus malum faceret. Quod dicendum non eſt, ut videbimus in ſequenti articulo. Hinc noto, dilectionem mundi poſſe dupliciter ſumi, vel conſtituendo in ipſo mundo rationem ultimi finis, quatenus creatura amaretur in ordine ad ſe, & non in ordine ad Deum; & tunc iſta dilectio, cùm ſit ex inordinato appetitu, eſt mala, & peccaminoſa: ſic etiam eſſet peccaminoſa dilectio, ſi proximus diligeretur pluſquam Deus, vel ſi diligeretur inordinatè, ob finem nimirum inhoneſtum. At ſi diligitur ordinatè, & ex voluntate Dei præcipientis, vel quia creata voluntas, iuxta regulam morum, & dictamen prudentiæ, vel ex inclinatione aliarum

virtu-

Digitized by Google

virtutum, operatur; tunc iſta mundi dilectio bona eſt, quæ ſi non eſt meritoria, quando caret gratia iuſtificationis, eſt tamen bona moraliter, & ad gratiam ipſam diſponit. Quantùm ad hunc poſteriorẽ ſenſũ damnata nõ eſt propoſitio, ſi ſumatur ſub termino particulari. At quia eſt ſub termino univerſali, nimirum: *Omnis humana actio deliberata,&c. ſi eſt dilectio mundi, eſt concupiſcentia carnis, ideſt mala eſt,* ideo ſub termino univerſali eſt, ut ſcandaloſa, & temeraria damnata. Hæc ſecunda pars magis impugnabitur in ſequenti articulo.

ARTICVLVS VIII.

Exponitur ſenſus octavæ Propoſitionis,& ejus falſitas demonſtratur.

Octava damnata Propoſitio. *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.*

52 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt dependens ex eo, quod multi Hæretici dicebant, omnia opera infidelium eſſe peccata, quod contra Michaelem Bajum damnatum fuit ab Eccleſia. Nunc Authores iſtius faciunt ſenſum modalem, ponendo prædicatum, ut neceſſariò conveniens ſubjecto: & dicunt, quod neceſſarium ſit, infidelem in omni ſuo opere peccare.

Oppugnatio Propoſitionis.

53 ADvertendum eſt, peccata infidelium, vel eſſe directè contra fidem, & iſta dicuntur hæreſes, & actus incredulitatis,vel eſſe cõtra præcepta tum naturæ, tum Dei,& hæc ſunt contra alias virtutes, & honeſtates, quibus opponuntur: ut blaſphemare eſt contra virtutem Religionis; furari, contra virtutem juſtitiæ; fornicari, contra continentiam, &c. Omnia opera infidelium facta contra fidem ſunt actus infidelitatis, ſeu incredulitatis; quæ verò ſiunt contra alias virtutes, propriam, & diſtinctam inducunt ſpeciem. Non ergo omnia peccata infidelium, vel Hæreticorum ſunt hæreſes, ſed ſolùm illa, quæ directè fidei opponuntur.

Adverto inſuper ex regulis ſummularũ, quòd dum propoſitio aliqua eſt modalis de aliquo prædicato neceſſariò cõveniente ſubjecto; tunc prædicatũ dicit talem convenientiam cum ſubiecto,ut impoſſibile ſit oppoſitum prædicati convenire ſubiecto. Vt ſi dicatur: *neceſſe eſt hominem eſſe rationalem, ly neceſſe,* facit ſenſum, quòd impoſſibile

poſſibile ſit,oppoſitum rationalitatis convenire homini. Dum ergo Authores ſupradictæ damnatæ propoſitionis, aſſerunt, *neceſſe eſſe, infidelem in omni opere peccare*, hæc propoſitio facit hunc ſenſum: ita in omni opere peccant infideles, ut impoſſibile ſit non peccare in omni opere. At omninò videtur eſſe falſum,& erroneum. Primò, quia infidelitas ipſa non neceſſitat voluntatem infidelium ad peccandum in omni opere. Secundò, quia ſicuti liberi ſunt infideles ad peccandum,ita etiam ad non peccandum: nec per infidelitatem tollitur arbitrium ipſorum, ſed adhuc in ſua libertate remanet. Et per hoc, quòd quandoque peccant, immò ſæpiùs quàm fideles, non ſequitur,quòd neceſſariò peccant. Unde dum peccant, contingenter peccant, ſed non eſt verum, quòd in omni opere peccant; ſed tantùm in ijs operibus, quæ non ſunt ex inclinatione virtutis, & ſunt contra regulam morum,& dictamen rationis. His notatis,

54 Impugno nunc damnatam propoſitionem, Multa ſunt opera facta ab infidelibus, quæ fiunt ex inclinatione virtutis, vel ex præcepto, quæ, eſtò non ſint meritoria,tamen neque mala ſunt, neque ſunt peccata: Ergo non neceſſariò infidelis in omni opere peccat. Probatur aſſumptum: illa opera, quæ fiunt juxta regulam morum,vel in conformitatem legis,ſunt opera bona moraliter; ut amare Parentes,diligere inimicum,amare proximum,eſſe continentem, reddere alteri,quod ſuum eſt, facere eleemoſynam,&c.Sed illa opera,quæ ſunt bona moraliter,quia legi,& regulæ morum conformantur, nequeunt eſſe mala: malitia nanque moralis conſiſtit in difformitate ad regulam morum; ſicut bonitas conſiſtit in conformitate ad eandem regulam: Ergo iſta opera ab infidelibus facta, ſunt ex inclinatione virtutis, & ex præcepto: adeoque non ſunt mala.

Eò vel maximè: omnia illa opera, quæ poſſunt diſponere, & de facto ſunt diſpoſitiones ad veram fidem,& ad gratiam juſtificantem, non ſunt peccata, ſed ſunt opera moraliter bona; Sed multos actus exercet infidelis, per quos diſponitur ad veram fidèm, & ea mediante diſponitur ad gratiam ſanctificantem: nam multi infideles per actum moraliter virtuoſum, diſponuntur ad cognitionem veræ fidei, qua habita cognitione, fidem ſuſcipiunt, & juſtificantur: Ergo multa ſunt opera infidelium, quæ non ſunt peccata. Tandem per opera illa exercita ab infideli, ut ſunt actus eleemoſynæ,&c. internè inſpiratur ad pœnitendum de peccatis, ad verum Deum cognoſcendum, & veram fidem amplexandam; Sed ſi iſti actus eleemoſynæ infidelium eſſent peccata, non poſſent procedere ex internis inſpirationibus; cùm impium ſit aſſerere, Deum internè inſpirare ad peccata: Ergo multa ſunt opera infidelium, quæ non ſunt peccata. Hoc eſt certum ex illo Danielis conſilio dato Nabuchodonoſor:

noſor: *Nunc Rex conſilium meum placeat tibi*, *peccata tua eleemoſynis redime*. Nabuchodonoſor erat infidelis; ſi nanque eleemoſyna non foret actus bonus, non dixiſſet Propheta *peccata tua eleemoſynis redime*: nam peccata non redimuntur peccatis, ſed operibus bonis.

55 Secundò ex Sacris literis, & Patrum doctrinis impugnatur ſupradicta damnata propoſitio. Multa opera bona facta ab infidelibus in conformitatem divinæ voluntatis, à Deo remunerantur; Sed hoc eſſet falſum, ſi illa opera eſſent peccata: Ergo multa ſunt opera facta ab infidelibus, quæ non ſunt peccata. Probatur major ex illo Ezechielis 29. ubi Propheta teſtatur, Deum remuneraſſe Nabuchodonoſor propter deſtructionem Tyri, quam civitatem devaſtatam Deus volebat. Hæc ſunt verba ſcripturæ: *Ecce dedi Nabuchodonoſor Regem Babilonis in Terram Egypti*, *& accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manibus eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius*. Tum etiam quia: Ad Rom. 2. habetur: *Cùm Gentes, quæ legem non habent*, *quæ legis ſunt*, *naturaliter faciunt*. Ex Sanctis Patribus idem conſtat. Primò ex D. Auguſtino lib. de Spiritu, & lit. cap. 27. habetur: *Eſſe quædam facta infidelium à gratia Chriſti alienorum, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam, non modò vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus; quanquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inveniuntur*, *quæ iuſtitiæ debitam laudum defenſionem mereantur*. Ex eodem Auguſtino 5. de Civit. cap. 15. habetur: *Deum dediſſe Romanis tam amplum Imperium, ut in hac vita remuneraret bonas eorum virtutes*. Secundò, ex D. Hieronym. in Epiſt. 1. ad Galat. habetur: *Multi abſque fide*, & *Evangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè, ut Parentibus obſequantur*. Tertiò ex D. Gregorio homil. 27. in Evangelia, habetur: *Sunt nonnulli, qui diligunt proximos*, *ſed per affectum cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione ſacra eloquia non contradicunt*.

Omnes iſtæ authoritates apertè oſtendunt, quædam opera infidelium, non ſolùm non eſſe peccata, ſed eſſe moraliter bona; immò quandoque propter bonam eorum voluntatem, & obedientiam Deo præſtitam, in hac vita à Deo remunerata ſunt; ut colligitur de Nabuchodonoſor, cui Deus dedit Terram Egypti, & ſpolia ejus, quia Civitatem Tyri deſtruxit, juxta Dei voluntatem; Quare Deus per Ezechielem manifeſtavit, ſe daturum mercedem Nabuchodonoſor: hæc ſunt verba ſcripturæ: *Factum eſt verbum Domini ad me dicens: Fili hominis*: *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna adverſus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus eſt, & merces non eſt reddita*

ei, neque exercitui eius de Tyro, pro ſervitute, qua ſervivit mihi adverſus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus. Ecce Ego dabo Nabuchodonoſor Regem Babilonis in Terra Egypti; & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manibus eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius. Si ergo bona non fuiſſent opera Nabuchodonoſor, Deus pro illis temporalem non dediſſet mercedem: nam opera mala ſunt pœna digna, & non mercede.

56 In hoc etiam adeſt Can.7. ſeſſionis ſextæ Concilii Trid. ubi habetur: *Si quis dixerit, omnia opera, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata, vel odium Dei mereri &c. anathema ſit.* Quare concludendum eſt, infidelem non in omni opere peccare.

ARTICVLVS IX.

Exponitur ſenſus nonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Nona damnata Propoſitio. *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob eius turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.*

57 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd qui odio habet peccatum, non quatenus eſt offenſa Dei; ſed quatenus dicit propriam turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, peccat. Putant Authores iſtius propoſitionis, peccatum tantummodo eſſe odio habendum, pro ut eſt offenſa Dei, ita ut ſi odio haberetur, ob propriam turpitudinē, talis actio eſſet peccaminoſa.

Oppugnatio Propoſitionis.

58 PEccatum in ſe formaliter ſupra entitatem actus voluntatis plures formalitates malitiæ dicit, nimirum turpitudinem actus, difformitatem à regula morum, diſconvenientiam à natura rationali, & offenſionem Dei; & tandem condignitatem ad pœnam æternam. Turpitudinem, difformitatem, & diſconvenientiam dicit in eſſe moris, quatenus eſt contra virtutem, & dictamen rationis. Offenſionem Dei, & condignitatem ad pœnam æternam dicit in eſſe meriti, quatenus Deus in ordine gratiæ quædam condidit præcepta à rationali creatura ſervanda, quæ ſi ſervantur, actus ſunt meritorii (ſi tamen fiant in gratia:) ſi verò non ſervantur ſunt demeritorii, & pœna æterna digni. Fornicatio, furtum, blaſphemia,

&c.

&c. præciſo quocunque præcepto,ſunt actus ex propria natura turpes, quia regulæ morum diſformes, & naturæ rationali diſconvenientes. Unde ſi quis odio haberet fornicationem,furtum, &c. quatenus ſunt actus turpes, diſformes, & rationi diſconvenientes, odio haberet obiectum diſconveniens, & diſforme. Peccatum nanque committitur,quando quis proſequitur obiectum diſconveniens,vel odio habet obiectum conveniens. Hoc ſuppoſito,

59 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam à natura rationali, abſque ullo reſpectu ad Deum offenſum, facit opus juxta dictamen rationis: quia ratio dictat, malum, & diſconveniens eſſe odio habendum; ſed nemo peccat, agendo juxta dictamen rationis: Ergo qui odio habet peccatum, ob ejus turpitudinem, non peccat, etiamſi nullum habeat reſpectum ad Deum offenſum. Probatur minor: quia ratio naturalis dictat, turpe eſſe fornicari, furari, &c. ſi quis odio haberet fornicationem, furtum, &c. ageret iuxta dictamen rationis; & agendo iuxta tale dictamen, prudenter ageret; ſed dum quis prudenter agit, non peccat: Ergo dum quis agit, iuxta dictamen rationis non peccat.

Eò vel maximè: dum quis odio habet peccatum ob eius turpitudinem, odio habet illud, quia adverſatur rationi; ſed nemo peccat odio habendo obiectum, quod rationi adverſatur: Ergo, &c. Probatur minor: nemo peccat, quando per impulſum Spiritus Sancti movetur ad odio habendum aliquod obiectum; ſed per impulſum Spiritus Sancti movetur quis ad odio habendum peccatum ob eius turpitudinem: ut ex Concilio Tridentino colligitur in ſeſſ. 14. cap.4. incip. *Contritio*, ubi habetur: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur; ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad juſtitiam parat*: Ergo nemo peccat odio habendo obiectum, quod rationi adverſatur. Ex hac doctrina Concilii deducitur, attritionem, quæ eſt dolor de peccatis, pro ut iſta dicunt turpitudinem, eſſe impulſum Spiritus Sācti, quo homo peccata illa deteſtatur, & odio habet, cum propoſito de cetero non peccandi, & cum ſpe veniæ; ſed hæc attritio non eſt peccatum: Ergo qui odio habet peccatum, ob eius turpitudinem, abſque ullo reſpectu ad Deum offenſum, non peccat.

60 Deinde: propoſitio iſta damnata videtur ponere implican-

tiam in terminis, quantùm ad rem, licèt non quantùm ad conſiderationem. In re nanque nequit dari odium de peccato, quatenus propriam dicit turpitudinem, quin tale odium, ſaltem virtualiter, & implicitè dicat ordinem ad Deum offenſum. Nam ſicuti peccatum per ſe odibile eſt, tam ob turpitudinem, quàm ob offenſam Deo illatam; quoties quis odio habet illud ob eius turpitudinem, toties odio haberetur, quia offenſa Dei eſt: Ergo ſicuti nō eſt peccatum, ſi odio haberetur, pro ùt eſt offenſa Dei, ita neque peccaret, ſi quis peccatum odio haberet ob eius turpitudinem. Ratio huius eſt, quia peccatum, quod odio habetur ob eius turpitudinem, eſt ſaltem contra legem Dei æternã, vel contra legem naturalem: & ſicuti, qui agit contra legem Dei æternam, vel contra legem naturalem, Deũ offendit: ita qui peccatum odio habet, ut diſſonum legi naturali, vel Dei æternæ, odio habet illud, ſaltem implicitè, & virtualiter, prout eſt Dei offenſiuum. Concludendum eſt igitur, quòd, qui odit peccatũ ob eius turpitudinẽ, eſtò formaliter nõ referat odium illud ad peccatum, ut Dei offenſiuum, quia tamen implicitè, & virtualiter tale odium dicit reſpectum ad Deum offenſum, non peccat. Et eſtò nulla talis eſſet implicantia adducta, adhuc tamen propoſitio ſcandaloſa, & temeraria eſt, quia imputat ad peccatum, quod eſt dignum laude.

ARTICULUS X.

Exponitur ſenſus decimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decima damnata Propoſitio. *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè, ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.*

61 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd qui deteſtatur malum, ſolùm ex intentione conſequendi cœleſtem gloriã, non habet intentionem rectam, & Deo placentem: unde volunt Authores iſtius propoſitionis, quòd intentio deteſtandi malum, & proſequendi bonum, non debeat eſſe ob finem illum beatitudinis conſequendæ; quia Deo diſplicet talis intentio.

Oppugnatio Propoſitionis.

62 SUppono tanquam certum apud omnes Theologos, Deum ab æterno voluntate ſua libera pactum iniiſſe cum creatu-

ris

ris rationalibus, eis conferendi gloriam, ſi ſecundùm legem operantur, ac præcepta, & mandata adimplent. Unde conditionata dicitur iſta voluntas ex parte obiecti, quatenus depuranda eſt conditio à creatura ipſa, liberè cooperante auxilio divinæ gratiæ, ei collato, ad præcepta adimplenda. Quo pacto, & promiſſione à Deo facta, ſicut Deus vult exigere à rationali creatura obſervantiam mandatorum; ita hæc à Deo vult exigere gratiam, & gloriam, ei promiſſam. Nec videtur ulla in Deo imperfectio huiuſmodi promiſſio ab ipſo creaturæ facta; quia liberè, & ex ſuo beneplacito, orto à ſumma pietate, & miſericordia, ſibi hanc impoſuit obligationem; & iccircò quoties creatura ſervat conditiones in contractu promiſſorio inter ipſam, & Deum inito, toties Deo nulla fit iniuria, ſi creatura petit à Deo gloriam. Hinc Apoſtolus 2.Tim.4.ait: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die Iuſtus Iudex*. Et Chriſtus Dominus oſtendens pactum initum cum creatura rationali conferendi gloriam, dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ut habetur ex illo Matth.19.

63 Ex his nunc impugno damnatam propoſitionem: quoties creatura rationalis operatur ex pacto inito inter ipſam, & Deum, poteſt licitè conditiones adimplere, vi eiuſdem pacti, intendendo directè promiſſam ſibi gloriam, ad quā ex legis, & mandatorum obſervantia Jus acquirit; ſed Deo nequit diſplicere actio creaturæ intēta propter finem, ad quem creatura Jus acquirit: Ergo dum creatura deteſtatur malum, & proſequitur bonum, intendendo directè cœleſtem gloriam acquirendam, benè agit, & Deo diſplicentiam non affert. Probatur maior: Deus dum pactum iniit cum creatura, ſe liberè obligavit ad gloriam conferendam, ſi precepta ſua creatura ipſa ſervaverit: Ergo dum creatura ipſa mandata ſervat, bonum ſcilicet proſequendo, poteſt à Deo petere promiſſam ſibi gloriam: Ergo poteſt in illis operationibus licitè, abſque divina diſplicentia, gloriam ipſam intendere.

64 Eò vel maximè: agens propter finem honeſtum licitè agit; & contribuenti talem finem nequit ei diſplicere, quando ſic finem cōferendum promiſit. Quod patet: ſi Caio promiſerat Rex dare mille aureos, ſi ipſe Caius benè ſe gereret in bello, obſervando omnia Regis mandata; tunc Caius, abſque ulla Regis iniuria, atque diſplicentia, poteſt ad nutum Regis ſe benè gerere in bello, intendendo acceptionem mille aureorum; immò etiam petendo ab ipſo Rege mille aureos, ſibi promiſſos. Ita ſimiliter Deus promiſit gloriam creaturæ rationali, ſi mandata eius ſervaret: ſervat creatura mandata Dei: Ergo abſque ulla diſplicentia Dei poteſt intendere glo-

riam ipſam promiſſam; & inſuper ipſam petere. Hinc Apoſt.Petrus dixit Chriſto Domino: *Matth.19.Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?* Neſciebat tunc Petrus promiſſionem à Deo factam æternæ gloriæ ſequentibus Chriſtum. Et iccircò Jeſus reſpondit: *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Si ergo petere promiſſum, non eſt, nec debet eſſe diſplicens promittenti, quomodo poterit diſplicere promittenti ſola intentio operandi, ut promiſſum accipiat? nam minùs eſt operari ex intentione recipiendi promiſſum, quàm petere promiſſum: Ergo abſq; Dei diſplicentia poteſt homo deteſtari peccatum, & bonum proſequi cum intentione cœleſtem gloriam conſequendi.

ARTICULUS XI.

Exponitur ſenſus undecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Undecima damnata propoſitio. *Omne, quod non eſt ex fide Chriſtianæ ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.*

65 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd operationes, quæ nõ fiunt ex fide Chriſtiana ſupernaturali abſque charitate, ſeu gratia ſanctificante, ſunt peccata. Volunt Authores hujus propoſitionis, quòd omnia opera peccatoris ſint peccata; quia eſtò fiant ex fide ſupernaturali, quæ perſeverat in peccatore, cùm tamen non fiunt à charitate, ſunt peccata.

Oppugnatio Propoſitionis.

66 MUltæ ſunt fidelium operationes, quæ fiunt ex fide ſupernaturali, abſque charitate, quæ licèt non ſint meritoriæ, quatenus eis deficit gratia, quæ eſt principium merendi, tamen ſunt bonæ. Ut ſi fidelis credat, ſicut credere debet, quòd quædam actiones ſint medium ad placandum Deum, juſtè contra peccatores iratum; tales actus credendi, eſtò non ſint eliciti à charitate, ſed à ſola fide ſupernaturali, non debent dici peccata: quia iſti actus credendi conducunt peccatores ad obtinendam remiſſionem peccatorum. Unde ſi fide ſupernaturali intellectus inclinaret ad credendum, quòd Deus remitteret peccatum, ſi peccator eleemoſynas faceret, jejunaret, oraret, &c. talis actus credendi, eſtò non eſſet meritorius, eſſet

eſſet tamen moraliter bonus. Quod patet primò: quia eſſet elicitus à fide ſupernaturali. Secundò: quia diſponeretur homo ad jejunandum, orandum, eleemoſynas faciendum, &c. qui actus ſunt moraliter boni, & diſponunt ad gratiam ſanctificantem. Quare fides, qua quis crederet, actus illos jejunandi,&c. eſſe medium ad reconciliandum hominem cum Deo, & ad remiſſionem peccatorum obtinendam, eſſet remota diſpoſitio: jejunium verò, eleemoſyna, &c. eſſent diſpoſitiones minùs remotæ ad gratiam ſanctificantem.

67 Quanquam certum ſit,& in Concilio Trid.definitum,hominem non poſſe ſola fide ſupernaturali juſtificari; ut habetur in Can. 9. ſextæ ſeſſionis, his verbis: *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi, anathema ſit*: tamen fides ipſa ſupernaturalis eſt fundamentum,& radix noſtræ juſtificationis; ita ut, quæ ex fide ſupernaturali operantur, diſponunt ad gratiam ſanctificantem. Unde dicit Apoſt. ad Rom. 11. *Nos juſtificari per fidem*: quæ verba à Patribus Concilii Trid. in ſeſſ. 6. cap. 8. ſic exponuntur: *Ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit; ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium pervenire*. Suppoſita itaque hac catholica veritate, quòd fides ſupernaturalis ſit diſpoſitio ad noſtram juſtificationem,

68 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Opus,quod procedit ex fide ſupernaturali abſque dilectione, ſeu charitate,diſponit ad gratiam juſtificationis; Sed opus, quod diſponit ad gratiam juſtificationis,nequit eſſe peccatum; aliàs peccatum, quod eſt carentia gratiæ juſtificationis, diſponeret ad ipſam juſtificationem: Ergo opus, quod procedit ex fide ſupernaturali, etiamſi hæc non operetur per dilectionem, ſeu per charitatem, non eſt peccatum; immò eſt opus bonum,etſi non meritorium, quia non factum in gratia, eſt tamen bonum moraliter, quia eſt ex inclinatione virtutis ſupernaturalis, & juxta regulam morum. Probatur major: iſta opera, jejunare, orare, non fornicari, eleemoſynas facere, &c. ſi procedunt à cognitione intellectus, quatenus hic credit, huiuſmodi opera eſſe congrua ad placandum Deum offenſum, & ad habendam peccatorum remiſſionem, exoriuntur à fide ſupernaturali inclinante ad talem aſſenſum; Sed iſta opera, etiamſi facta ſine charitate, diſponunt ad ipſam charitatem, ſeu ad gratiam ſanctificationis: Ergo opera, quæ procedunt ex fide ſupernaturali,quæ abſque dilectione operatur, diſponunt ad juſtificationem. Eò

Digitized by Google

Eò vel maximè: per actum credendi, quòd illa opera placant Deum, & inducunt ad habendam peccatorum remiſſionem, diſponitur homo ad jejunandum, orandum, &c. At jejunare, orare, &c. dū proveniunt à ſola fide ſupernaturali, ſunt actus boni: Ergo opera, quæ procedunt ex fide ſupernaturali, abſque charitate, ſunt bona, & non peccata. Probatur minor: jejunare, orare, &c. pro ut à ſola fide procedunt, ſunt ex inclinatione virtutis, & quidem ſupernaturalis, qua homo ad malum inclinari non poteſt; præſertim quia omnes Patres ſentiunt cum Apoſtolo, quòd fides ſit noſtræ ſalutis initium, radix, & fundamentum: quomodo ergo fundamentum æternæ ſalutis poteſt ad malum inclinare, ad malum voluntatem diſponere, & malum operari? Ergo abſolutè dicendum eſt, quòd illa opera, eſtò ſint facta ſine charitate, quia tamen procedunt ex inclinatione fidei ſupernaturalis, licèt non ſint meritoria; quia meritum habetur per gratiam, ſunt tamen moraliter bona: & ſic non ſunt peccata. Hoc impugnari poteſt authoritatibus, tum Concilii Tridentini, tum ſcripturæ, & Patrum relatis in 7. & 8. articulo.

ARTICVLVS XII.

Exponitur ſenſus duodecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Duodecima damnata Propoſitio. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana.*

69 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd in magnis peccatoribus, in quibus omnis amor, tum Dei, tum proximi deficit, etiam fides divina deficit: & volunt Authores illius propoſitionis, quod magni peccatores, ut ſunt blaſphematores, Vſurarii, Concubinarii, homicidæ, &c. ſi credunt myſteria fidei, hujuſmodi actus credendi non ſunt in eis ex fide divina, ſed tantùm ex fide humana.

Oppugnatio Propoſitionis.

70 PRo majori notitia procedendi contra hanc damnatam propoſitionem, ſuppono, fidem infidelitati opponi, ſpem deſperationi, & Charitatem peccato. Omnis nanque forma ſuæ privationi opponitur, ut ſatis conſtat ex phyſicis. Quare ad ingreſſum alicujus privationis in ſubiecto, forma ipſa deperditur. Forma ergo ignis ſuæ privationi opponitur, non verò privationi formæ ligni, vel

vel cineris: unde fit,quòd ad ingreſſum privationis formæ ignis forma ignis tantùm deperditur , non forma cineris , quæ ad formam ignis ſuccedit. Sic in caſu per privationem gratiæ, quæ privatio eſt peccatum in genere,gratia ipſa privatur ſubiectum,non aliis formis ſimul in ſubiecto inhærentibus;quia ceteris formis peccatum ipſum non opponitur; niſi ſit illarum formarum privatio: ut ſi quis peccato deſperationis peccaret,anima privaretur ſpe: ſi peccaret peccato infidelitatis,privaretur fide;cùm ſola deſperatio opponatur ſpei, & ſola infidelitas fidei. Vnde dum quis eſſet continuus fornicatur, publicus blaſphemus, Concubinarius, Vſurarius,&c. cùm iſti actus pravi non opponantur fidei, nec ſint actus infidelitatis, ſed ſoli charitati opponuntur; ideò , eſtò per ipſos actus anima charitate privetur, non tamen privatur fide.

71 Suppono inſuper ex materia de fide in 3. lib. ſent. quòd ut quis credat fide divina,debet credere,*ſicut oportet* , ut exprimitur in Concilio Trid. ſeſſ. 6. can.3. dicente: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione , atque eius adiutorio , hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere, ſicut oportet, ut ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. Credere autem,*ſicut oportet*,eſt credere omnibus fidei myſteriis, prout ſunt à Deo revelata , & ab Eccleſia propoſita , ut credantur . Vt quis verò credat tantùm fide humana , ſufficit, ut credat, quia aliquis dicit , & hoc modo poteſt etiam infidelis credere . His omnibus notatis , quæ ad præſentem materiam neceſſaria ſunt,

72 Impugno nunc damnatam propoſitionem . Magni peccatores, & quidem baptizati, dum quæcunque lethalia committunt, & peccant, non conſtituuntur per illa peccata infideles; Sed ſi deficeret fides in magnis peccatoribus , dum deficit omnis amor , jam iſti peccatores conſtituerentur infideles:Ergo in magnis peccatoribus, quibus deficit omnis amor,non deficit fides. Major patet, quia non eſt infidelis,niſi qui peccat peccato infidelitatis,ideſt non credendo, vel omnibus,vel aliquibus fidei myſteriis. Probatur nunc minor: ſi magni peccatores conſtituerentur infideles per alia peccata , excepto peccato infidelitatis;tunc Chriſtiani Vſurarii,Concubinarii,&c. dicerentur infideles, à conſortio fidelium ſegregandi eſſent , & ab Eccleſia expellendi , & excommunicandi , ut membra diviſa à corpore miſtico Eccleſiæ; Sed hoc eſt abſurdum ; aliàs omnia Chriſtianorum peccata eſſent peccata infidelitatis ; & idem eſſet fornicari, uſuram committere,&c. ac non credere myſteriis revelatis : Ergo eſtò in magnis peccatoribus deficeret omnis amor, non per hoc deficeret fides. Vltraquamquòd : ſit Titius magnus peccator, & credat, *ſicut oportet* omnibus myſteriis revelatis, huiuſmodi actus credendi

dendi nequit procedere à fide humana, nec actuali, nec habituali; quia crederet ex motivo divino, quatenus Deus revelavit, & Eccleſia ea myſteria propoſuit credenda: Ergo eſtò eſſet magnus peccator, non tamen ei deficeret fides.

73 Deinde: hæc damnata propoſitio opponitur directè Tridentino Concilio ſeſſ. 6. can. 28. in quo habetur: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul, & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licèt non ſit viva; aut eum, qui fidem, ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.* Ubi Concilium tria dicit. Primum, quòd amiſſa gratia per peccatum non ſemper amittitur fides, ſed ſolùm, ſi peccatum eſſet infidelitatis. Secundùm, quòd amiſſa gratia, ſeu charitate per peccatum, adhuc perſeveret vera fides, licèt non viva; quia ſine charitate non operatur opus meritorium. Tertium, quòd qui habet fidem ſine charitate, adhuc eſt Chriſtianus; quia talis eſt per fidem: & oppoſitum aſſerentes excommunicantur. Vnde eſtò quis ſit magnus peccator, ſi ei deficit omnis amor, à charitate elicitus, per hoc ei non deficit fides.

74 Nec eſt verum, quòd magnus peccator tunc crederet fide humana; quia vel crederet, *ſicut oportet*, omnibus myſteriis, vel non. Si primum: Ergo talis actus nequit à fide humana provenire; quia credere *ſicut oportet*, eſt credere fide divina ſupernaturali. Si ſecundum, tunc nedum iſte talis eſſet magnus peccator, ſed etiam infidelis; quia ad infidelitatem ſufficit, ut alicui ex articulis non credatur: ut patet de hæreticis, qui eſtò multis credant articulis noſtræ fidei, quia tamen aliis non credunt, ideo actus credendi aliquibus, non eſt ex fide divina ſupernaturali, ſed tantùm ex fide humana. Quare dum Authores hujus propoſitionis ſupponunt, magnum peccatorem eſſe Chriſtianum, & credere omnibus articulis revelatis, dicendum eſt, quòd iſte magnus peccator fide divina, non humana credat.

ARTICVLVS XIII.

Exponitur ſenſus tertiædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Tertiadecima damnata Propoſitio. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate, ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu, licèt beatitudinis, operetur.*

75 Senſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd qui non eſt in gratia, & benè operatur ad beatitudinem obtinendam,

& eiuſ-

& ejuſdem beatitudinis intuitu, peccat. Unde volunt Authores hujus propoſitionis, nullum peccatorem poſſe Deo famulari, & operari, intuitu æternæ mercedis; aliàs eius operationes eſſent peccata.

Oppugnatio Propoſitionis.

76 EX dictis contra decimam propoſitionem damnatam, quæ ſimilis eſt huic, conſtat, Deum pactum iniiſſe cum creaturis ad conferendam gloriam omnibus iis, qui benè operantur, ipſi famulantur per peccatorum deteſtationem, & per mandatorum, præceptorumque obſervantiam: unde ſicut deteſtando peccata, & obſervando præcepta Jus acquiritur ad æternam beatitudinem, ita propter ipſam, tanquam propter finem, poteſt homo licitè operari: & ſi juſtus non eſt, per bona opera ex fide elicita, quæ fundamentum, & radix eſt noſtræ juſtificationis, & facta juxta dictamen rationis, diſponitur ad juſtificationem, qua poſita juſtificatione Jus acquirit ad beatitudinem. Quare Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 31. ait: *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema ſit*: ubi Concilium, licèt loquatur de juſtificato, tamen idem dici poterit de non juſtificato, ſed diſpoſito ad recipiendam gratiam juſtificantem, quæ diſpoſitio fundatur in bonis operibus exortis ab obſervantia legis, & præceptorum Dei, & Eccleſiæ. Unde ſi quis moveretur ad benè operandum, & ad præcepta ſervanda, intuitu recipiendi æternam beatitudinem, non ſolùm hic non peccaret; quia operaretur ex pacto, & promiſſione à Deo facta; ſed etiam gratiam juſtificationis reciperet. Si quis nanque diceret Titio peccatori, convertere ad Dominũ Deum tuũ; quia ipſe Dominus promiſit æternam beatitudinem omnibus ad ipſum accedentibus per pœnitentiam: tunc ſi Titius peccata deteſtaretur, de ipſis dolendo, cum propoſito de cetero non peccandi, & legem, ac mandata Dei ſervaret, intuitu æternæ beatitudinis non peccaret, ſed opera bona faceret; quæ ſi eſſent patrata ante juſtificatiotionem, eſſent diſpoſitiones ad ipſam iuſtificationem. Si poſt iuſtificationẽ, eſſent vitæ æternæ meritoria, quia à gratia ſãctificãte orta.

77 Suppono inſuper, gratiam ſanctificantem, ſeu habitum charitatis tãtùm facere opera meritoria, quæ aliàs facta ſine tali gratia, licèt ſint ad meritũ mortua, ſunt tamen vivæ diſpoſitiones ad gratiã: ut patet de attritione, quam peccator elicit ante pœnitentiam, dolendo de peccatis ob eorum turpitudinem, vel timorem gehennæ, quæ tamen attritio eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem. Hinc colligimus, quòd ille, qui operatur, vel dolendo de peccatis, ut conſequatur beatitudinem, vel ſe diſponendo ad præcepta obſervan-

da eiuſdem beatitudinis intuitu, non peccat, ſed opera bona facit. His notatis,

78 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Vel peccat, qui Deo famulatur intuitu æternæ beatitudinis; præcisè quia caret charitate, ſeu gratia ſanctificante: vel præcisè quia operationes ſuas ordinat ad finem beatitudinis conſequendæ; ſed neutro modo quis peccare poteſt, dum Deo famulatur, intuitu æternæ beatitudinis: Ergo non peccat, qui intuitu æternæ beatitudinis Deo famulatur, eſtò charitate careat. Probatur minor primò: quòd ſcilicet non peccet, quia caret charitate. Qui operatur in conformitatem legis, peccata deteſtando, ac ſe diſponendo ad gratiam, & amicitiam Dei, non peccat, aliàs peccatum eſſet diſpoſitio ad gratiam, quod non eſt dicendum (ut pluries impugnatum eſt;) ſed qui caret gratia, & Deo famulatur, intuitu æternæ beatitudinis, deteſtatur peccata, operatur in conformitatem legis, & ſe diſponit ad gratiam, & amicitiam Dei: Ergo præcisè quia charitate caret, non peccat, ſi Deo famulatur, intuitu æternæ beatitudinis. Probatur eadem minor ſecundò, quòd ſcilicet non peccet, quia ordinat operationes ſuas ad finem conſequendæ beatitudinis. Tum quia finis conſequendæ beatudinis eſt honeſtus, promiſſus, & ex parte Dei liber, ut conferatur eis, qui Jus ad talem finem acquirunt; ſed nemo peccare poteſt, operando propter finem honeſtum, à Deo promiſſum, & liberè à Deo conferendum ei, qui Jus ad illum finem acquirit: Ergo præcisè quia operationes illæ ordinantur ad beatitudinem conſequendam, homo non peccat, ſi operatur intuitu eiuſdem beatitudinis. Tum etiam, quia Deus, ſtante promiſſione facta, tenetur promerentibus beatitudinem, illam conferre: Ergo nullum ei infertur præiudicium, quando homo ipſi famulatur, intuitu eiuſdem beatitudinis.

79 Addo, quòd fideles benè operantes petunt à Deo mercedem ſuarum operationum; unde canit Eccleſia: *Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam*. Hanc petitionem non admitteret, nec vellet Eccleſia, ſi peccatum eſſet. Quare ſi nos docet Eccleſia, ut retributionem petamus de noſtris bonis operibus, ſignum eſt, quòd operari intuitu æternæ beatitudinis non ſit peccatum. Hic iterum referam D. Petri petitionem Chriſto Domino factam, ex Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?* Et Chriſtus Dominus reſpondit: *Vos, qui ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*. Nunc ſic arguo. Si Diuus Petrus petendo mercedem à Chriſto Domino, peccaſſet, non dixiſſet Chriſtus: *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*; ſed potiùs dixiſſet, ſicut dixit Matri filiorum Zebedæi, quæ volebat, ut

unus

Digitized by Google

unius ex filiis eius ſederet ad dexteram Chriſti, & alius ad ſiniſtram in Regno ſuo. Chriſtus Dominus verò conſiderans ambitioſam, licèt gloriæ petitionem, reſpondit: *Neſcitis quid petatis*; ut habetur in Evang.Matth.20. Ad illam verò Divi Petri petitionem, quæ iuſta eſt, & ex promiſſione facta, dicit Hieronymus lib.3. in Matth.cap.19. *Fecimus, quod juſſiſti, quid igitur dabis nobis præmii?* Ergo intuitu æternæ beatitudinis, quæ præmium eſt illorum, qui Deo famulantur, poteſt quis operari, abſque peccato.

ARTICVLVS XIV.

Exponitur ſenſus quartædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quartadecima damnata Propoſitio. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.*

80 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd qui dolet de peccatis ob timorem gehennæ, non habet dolorem ſupernaturalem, ſed purè naturalem; quia timor ipſe gehennæ non eſt ſupernaturalis.

Oppugnatio Propoſitionis.

TAm fidelis, quàm infidelis timorem habet gehennæ; cùm hoc tamen diſcrimine, quòd hic timor in fideli ortum ducit à fide ſupernaturali, à qua regulatur, & dirigitur circa objectum ſupernaturale, quomodo credere debet, Deum daturum æternam gehēnam omnibus peccatoribus, qui ſine gratia moriuntur, juxta illud Chriſti Domini Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*: unde D. Auguſtinus in expoſ. hujus Evang. lib. de fide, & operibus cap. 15. tom. 4. circa medium, ait: *Veritas dicit, quorum non fidem, ſed bona opera defuiſſe declaravit, &c.* Quare ſi fidelis timet gehennam, hic timor à fide ſupernaturali ortum ducit. In infideli verò, qui fide ſupernaturali caret, ortum ducit tantùm à fide humana, vel à ratione dictante, Deum ſuam vindicaturum offenſam; ac per conſequens peccatores damnaturum in ignem æternum.

81 Suppono, nos hìc loqui de fideli, qui credat adeſſe infernum, quo damnati pœnam æternam patiuntur; non verò de infideli, qui nullo modo credit, infernum adeſſe; ut putabant Saraceni, & alii, infernum negantes, in quem animæ peccatorum mittentur, ut æter-

nos percipiant cruciatus, in pœnam commiſſorum criminum. Nam infernum negantes nullum habent gehennæ timorem,nec ſupernaturalem, quia infideles ſunt, nec naturalem, quia non credunt fide humana, infernum adeſſe. His notatis,

82 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Omnis actus directus à fide ſupernaturali, quo timetur,Deum daturum infernum, ſeu pœnam æternam peccatoribus, eſt actus ſupernaturalis; ſed timor gehennæ eſt directus à fide ſupernaturali inexiſtente, & perſeverante in fideli: Ergo timor gehennæ eſt ſupernaturalis. Probatur minor: timor gehennæ, dum includit propoſitum non peccandi de cetero, cum ſpe veniæ, eſt donum Dei; ſed non poſſet eſſe donum Dei,niſi eſſet directus à fide ſupernaturali,qua fidelis credat, Deum daturum gehennam peccatoribus: Ergo à fide ſupernaturali eſt directus. Probatur maior ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. *de Contritione*, ubi circa medium habetur: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam,& magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis,ſed tantùm moventis,quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad juſtitiam parat.* Quæ verba Concilii, non ſolùm declarant, metum gehennæ in attritione non eſſe naturalem, ſed eſſe donum Dei, quatenus talis metus habet excludere voluntatem peccandi,& includit ſpem recipiendi veniam peccatorum.At quis dum timet gehennam, actum ſupernaturalem producit,ex fide nimirum ſupernaturali, & auxilio Dei coadiuvante voluntatem ad timorem illum habendum.Neque ex puris naturalibus haberi poteſt, ſuppoſita fide ſupernaturali, qua credatur, adeſſe infernum, & quòd Deus daturus ſit æternam gehennam peccatoribus morientibus in peccato mortali. Quare ipſum Concilium ſeſſ.6.can.8.anathematizat eos, qui dicunt, timorem gehennæ eſſe peccatum, his verbis: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.* Quoties ergo metus ille gehennæ non eſſet ſupernaturalis, iam non eſſet dolor de peccatis; & ſic poſſet eſſe actus peccaminoſus, quod eſſet contra citatum Concilium. Hoc magis patebit in ſequenti articulo.

ARTI-

ARTICVLVS XV.

Exponitur ſenſus quintædecimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Quintadecima damnata Propoſitio. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

83 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, attritionem, quæ eſt dolor de peccatis ob metum gehennæ, & pœnarum inferni, ſi eſt ſine amore Dei, non eſſe dolorem ſupernaturalem, nec motũ bonum. Quare volunt Authores hujus propoſitionis, peccatorem debere moveri ad dolendum de peccatis per attritionem, ſuppoſito amore Dei ſuper omnia; ita ut ſi dolet de peccatis ob ſolum motum gehennæ, & pœnarum, jam motus ad talem dolorem, nec eſſet bonus, nec ſupernaturalis.

Oppugnatio Propoſitionis.

84 ADvertendum eſt, quòd, dum quis movetur ad dolendum de peccatis ob metum gehennæ, & pœnarum, talis motus eſt, vel interna inſpiratio, vel illuminatio, qua primò intellectus illuminatur ad cognoſcendum peccatum, quod ſit reatus ad pœnam æternam, à Deo infligendam peccatori ad condignam vindictam de offenſa ipſi Deo facta: & deinde intellectus ſic illuminatus proponit voluntati ipſum peccatum ordinatum ad pœnam æternam, ad gehennam, à Deo infligendam: & tandem voluntas ſe determinat, ſtante tali illuminatione, ad dolendum de ipſo peccato, prout eſt inductiuũ pœnæ æternæ. Prima motio eſt auxilium divinæ gratiæ illuminans intellectum, & coadjuvans voluntatem ad elicendum dolorem illum. Sit hoc exemplum pro maiori claritate: dicat Concionator, vel Sacerdos, vel quicunque Chriſtianus Titio peccatori: *Reus es æternæ mortis ob tot peccata, quæ commiſiſti: nil aliud tibi ſupereſt, quàm ut Diabolus rapiat animam tuam, & te ad æternam conducat gehennam*. Audiat hanc locutionem Titius, timore oppreſſus, interiùs illuſtratur, dolet inſuper, ſe peccata commiſiſſe, & propoſitum facit de cetero non peccandi, ne ad æternam damnetur gehennam. Tunc Titius primò internè illuminatur, deinde dolet de peccatis cum voluntate de cetero non peccandi. Hic Titii dolor motum habet à Spiritus Sancti gratia, ipſum Titium illuminante. Et

eſtò

Digitized by Google

eſtò Titius doleat de peccatis ob ipſum gehēnæ,& pœnarum metū, abſque actuali dilectione Dei ; quia tamen voluntatem de cetero peccandi excludit, non habet actum oppoſitum dilectioni : & ideo dolor ipſius eſt bonus motus, & ſupernaturalis: eſt bonus, quia excludit voluntatem peccandi ; & eſt ſupernaturalis , quia ad ipſum voluntas eſt adjuta auxilio divinæ gratiæ.

85 Ex his colligo, aliud eſſe metum gehennæ,& pœnarum,cum propoſito non peccandi de cetero ; & aliud eſſe metum gehennæ, & pœnarum abſque propoſito non peccandi de cetero. Primus metus eſt vera attritio, ſeu imperfecta contritio , ut loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ.14.cap.4.& hæc eſt dolor per impulſum Spiritus Sancti, & eſt donum Dei. Secundus verò eſt naturalis, cum non excludat voluntatem peccandi,& quædam hypocriſis;eo prorſus modo, ac ſi quis ore profiteretur, ſe dolere de peccatis, & animum haberet venenatum, peccata nimirum non relinquendi. Hoc patet de dolore , quem oſtendit Saul Prophetæ Samueli ipſum increpanti de inobedientia ſibi, & Deo præſtita ; qui dum Propheta eum increpabat, Saul reſpondit : *Peccavi*, at (ut notat noſter Lyranus) hæc fuit ſola vox non correſpondens cordi ipſius Regis. De primo dolore patet in Davide , qui dum Natan Propheta eum de adulterio, & homicidio corripiebat,reſpondit:*Peccavi*,& Propheta ſtatim ſubiunxit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Verbo Davidis correſpondebat cor eius , ex interna Spiritus Sancti motione. Verbo verò Saulis nō correſpondebat cor;nam iuxta Lyranum,fuit ficta pœnitentia, ad decipiendum Prophetam: & inſuper fuit abſq; Spiritus Sancti motione. His itaque notatis,

86 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Attritio,quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, licèt non ſit cum actuali dilectione Dei, eſt tamen cum dilectione Dei virtuali ; quatenus actus hic attritionis, ſeu doloris imperfecti ordinatur ad Deum tanquam ad ultimum finem ; Sed quando aliquis dolor eſt cum virtuali dilectione Dei, & ordinatur ad Deum tanquam ad ultimum finem , eſt bonus motus, & ſupernaturalis: Ergo attritio,quæ gahennæ,& pœnarum metu concipitur, eſtò ſit ſine actuali dilectione Dei , eſt tamen bonus motus, & ſupernaturalis. Patet minor : nequit eſſe mala illa actio, quæ ſi non actualiter, ſaltem virtualiter eſt ad Deum directa, ut ad ultimum finem:neque poteſt eſſe indifferens,cùm obiecto conformetur juxta regulam morum , & inclinationem virtutis, ſive moralis, ſive ſupernaturalis : Ergo eſt bona. Probatur nunc major: tunc attritio concipitur cum virtuali dilectione Dei,quando dicit propoſitum de cetero non peccandi, ſeu quando excludit voluntatem peccandi; quia tunc tale propoſitum eſt virtualis dilectio

Dei;

Dei ; cùm propoſitum ipſum ſit formaliter velle Deum non offendere; & Deum non offendere eſt virtualiter Deum diligere; Sed attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur , dicit propoſitum de cetero non peccandi, ſeu voluntatem peccandi excludit; ut habetur in Tridentino Concilio ſeſſ. 14. cap. 4. *de contritione* , his verbis : *Illam verò contritionem imperfectam , quæ attritio dicitur; quoniam,vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur , ſi voluntatem peccandi communiter excludat,cum ſpe veniæ; declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum,non adhuc quidem inhabitantis; ſed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad juſtitiam parat:* Ergo hæc attritio,cùm voluntatem peccandi excludat,& ſit donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus, etſi non dicat actualem Dei dilectionem, dicit tamen dilectionem virtualem , quæ ſufficit ad reddendam attritionem ipſam bonum motum,& ſupernaturalem.

87 Tandem : etiamſi nulla eſſet dilectio Dei in ipſo actu attritionis;ut ſit bonus motus, & ſupernaturalis , ſufficit, ut non ſit attritio, ſeu dolor fictus,& hypocriſis, ſed verus dolor internus, habitus per impulſum Spiritus Sancti, & parans viam ad juſtitiam; Sed talis eſt attritio,de qua loquimur,ut habetur in relato Concilio: Ergo attritio ipſa eſt bonus motus, & ſupernaturalis . Probatur major : ad faciendum bonum motum,ſufficit,ut hic nō ſit cum odio Dei actuali, ſeu cum voluntate peccandi:& ut ſit ſupernaturalis, ſufficit,ut ſit ex impulſu Spiritus Sancti; Sed illa attritio utrumque habet;ſcilicet non ſtat cum odio actuali Dei; quia excludit voluntatem peccandi: eſtque cum Spiritus Sancti impulſu : Ergo eſtò ſit ſine Dei dilectione, eſt tamen bonus motus , & ſupernaturalis.

ARTICULUS XVI.

Exponitur ſenſus ſextadecimæ Propoſitionis , & ejus falſitas demonſtratur.

Sextadecima damnata Propoſitio. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit , non Politia, aut inſtitutio Eccleſiæ , ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio naturæ rei,idipſum quodammodo dictantes.*

88 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt , quòd ordo præmittendi ſatisfactionem abſolutioni ſit à Chriſto Domino inſtitutus in ſua lege; & jus naturale , quòd ſcilicet priùs peccator ſatisfa-

ſatisfaciat, & poſtea à debito abſolvatur. Quare volunt Authores huius propoſitionis, eſſe neceſſariò præmittendam ſatisfactionem abſolutioni, ita ut pœnitens non abſolvatur, niſi priùs ſatisfaciat pœnitentiæ ſibi impoſitæ. Vtrumque eſt falſum, & erroneum.

Oppugnatio Propoſitionis.

89 ADverto, duo requiri, & ſpectare ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, materiam ſcilicet, & formam. Forma eſt abſolutio pœnitentis à peccatis, cum debita eiuſdem intentione; quæ conſiſtit in his verbis: *Abſolvo te à peccatis tuis.* Materia verò eſt duplex remota, & proxima. Remota ſunt peccata: proxima verò ſunt actus pœnitentis; quæ peccata ſi ſint lethalia, ſunt materia neceſſaria, quatenus neceſſariò ſunt confitenda, & in confeſſione aperienda ſecundùm numerum, ſpeciem, & circumſtantias: ſi verò ſunt venialia, dicuntur materia tantùm ſufficiens, quatenus ſufficienter eis applicat Sacerdos formam abſolutionis. Inſuper noto, ſatisfactionem non ſpectare ad eſſentialia Sacramenti; cùm nec ſit forma, nec materia, in quam cadit forma abſolutionis; ſed tantùm eſt quaſi materia, & ſpectat ad integritatem ipſius Sacramenti, & ad ipſius majorem efficaciam; ad quam habendam tria requiruntur, nempè cordis contritio, oris confeſſio, & operis ſatisfactio. Quare, ut habeatur eſſentialiter Sacramentum, ſufficit materia, & forma cum debita miniſtri intentione; ut verò habeatur integraliter, requiritur ſatisfactio: unde poſita ſola materia, & forma ſola cum intentione miniſtri, habetur completum Sacramentum pœnitentiæ, & eſſentialiter perfectum, etiamſi nulla interveniret ſatisfactio. His omnibus notatis,

90 Impugno nunc damnatam propoſitionem, quò ad primam partem, quòd ſcilicet ordo præmittendi ſatisfactionem abſolutioni non ſit à Chriſto Domino inſtitutus in ſua lege. Nullus eſt aſſignabilis locus in Scriptura, ex quo deducatur, Chriſtum Dominum inſtituiſſe, ſatisfactionem eſſe præmittendam abſolutioni: immò in omni loco, ubi Chriſtus Dominus ordinavit, eſſe ab Apoſtolis prædicandam pœnitentiam in peccatorum remiſſionem, nullam facit mentionem de ſatisfactione: Ergo ab Authoribus gratis aſſeritur, & non probatur, Chriſtum Dominum in ſua lege voluiſſe, ut ſatisfactio præmittatur abſolutioni. Probatur hoc aſſumptum quò ad ſecundam partem: Chriſtus Dominus pluribus in locis præſcripſit pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Ex Joan. capit. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c.* Et ſi in aliquo loco dicit, agendam eſſe pœnitentiam, non præcipit, nec præſcribit; ſed tantùm

tùm loquitur de illa quatenus vult integrum eſſe Sacramentum ; nec dicit eſſe abſolutioni præmittendam: Ergo in ſua lege Chriſtus Dominus non præcepit, nec præſcripſit , ſatisfactionem eſſe abſolutioni præmittendam.

91 Ex his deducimus,ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, eſſe,non à Chriſto Domino, ſed ab Eccleſia inſtitutum,ut Sacerdos priùs imponat pœnitentiam , & deinde abſolvat pœnitentem: & hic ordo non eſt requiſitus ad valorem Sacramenti,ſed tantùm ad ipſius Sacramenti integritatem . Quare deficiente ſatisfactione,vel quòd Sacerdos abſolutè obliviſceretur ſatisfactionis imponendæ,vel poſt abſolutionem illam imponeret, adhuc Sacramentum eſſet validum: ſicut homo eſſentialiter eſſet homo , adhuc ſi ei pes,vel manus deficeret , quæ membra tantùm ad corporis integritatem requiruntur . Ita dicendum in caſu noſtro.

92 Impugno propoſitionem damnatam quò ad alteram partem, non expreſſam, ſed deductam ex ipſa propoſitione, probando non neceſſariò eſſe præmittendam ſatisfactionem abſolutioni . Vel Authores hujus propoſitionis de præmiſſione ſatisfactionis abſolutioni, intelligunt , quòd priùs pœnitens debeat ſatisfacere pœnitentiæ ſibi impoſitæ , & poſtea abſolvi : vel tantùm quòd Sacerdos debeat priùs imponere pœnitentiam in ſatisfactionem peccatorum, & poſtea abſolvere ; Sed utrovis modo intelligatur , propoſitio iſta eſt falſa, & erronea,& contra mentem Concilii Trid.ſeſſ.14 cap. 3.infra referendi : Ergo non neceſſariò præmittenda eſt ſatisfactio abſolutioni. Probatur minor, quò ad primam partem, quòd ſcilicet non priùs pœnitens ſatisfacere debeat pœnitentiæ , & poſtea abſolvi . Tum quia : Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum in forma judicii , quo Sacerdos profert ſententiam condignam culpæ commiſſæ; & profertur per modum pœnæ inflictæ pro peccatis;Sed antequam proferatur ſententia , nemo tenetur pœnæ inflictæ ſatisfacere pro delicto commiſſo : Ergo neque debet pœnitens ſatisfacere pœnitentiæ inflictæ,antequam abſolvatur. Tum etiam quia, ex oppoſita doctrina ſequerentur duo abſurda. Primum,non poſſe Sacerdotem abſolvere conſtitutum in articulo mortis , neque impotentem ſatisfacere pro peccatis in hac vita. Secundum, quod ſequeretur,eſt,Sacerdotem poſt auditam peccatorum confeſſionem, debere dimittere pœnitentem , ut priùs ſatisfaciat pœnæ inflictæ pro peccatis , & ut iterum ad eum accedat ad abſolutionem recipiendam; quod inconveniens eſt; cùm poſſet tunc pœnitens mori, abſq; abſolutione: Ergo dicendum eſt, ſatisfactionem non eſſe adimplendam ante abſolutionem.

93 Secundum etiam eſt falſum , quòd ſcilicet pœnitentia de-

beat imponi ante abſolutionem. Satisfactio non eſt pars eſſentialis Sacramenti, ſed tantùm integralis, ut tenent omnes Theologi: quod colligitur ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. his verbis: *Docet præterea Sancta Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis miniſtri verbis poſitam eſſe*, Ego te abſolvo: *Quibus quidem, de Eccleſiæ Sanctæ more, preces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ. Sunt autem quaſi materia bujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam remiſſionem peccatorum ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*. Singula huius Concilii verba ſunt notanda, ut cognoſcatur, non neceſſariò eſſe præmittendam ſatisfactionem abſolutioni. Primò dicit Concilium, formam abſolutionis eſſe partem eſſentialem, & præcipuam huius Sacramenti pœnitentiæ. Secundò, quaſdam preces adiunctas formæ abſolutionis, & ad ipſam ſubſequentes, quæ à Sacerdote proferuntur, non eſſe neceſſarias ad Sacramenti adminiſtrationem; neque ſpectare ad eius eſſentiam. Tertiò, actus pœnitentis, ſcilicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, eſſe quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ.

94 Ex his nunc arguo. Si ad Sacramentum pœnitentiæ neceſſariò eſſet præmittenda ſatisfactio abſolutioni, ſequeretur primò, nullam abſolutionem eſſe validam, ſi priùs non ſit à confeſſario impoſita pœnitentia de peccatis, ſed hoc eſt falſum, & contra relatum Concilium, dicens, ſatisfactionem non eſſe partem eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ, nec ad eius valorem ſpectare: Ergo non neceſſariò præmittenda eſt ſatisfactio abſolutioni. Secundò ſequeretur, quòd quando pœnitens accedit contritus ad confeſſarium, cum propoſito non ampliùs peccandi, & Sacerdos cum debita intentione pœnitentem abſolveret, non imponendo ſatisfactionem, non eſſet validum, & formatum Sacramentum Pœnitentiæ; quod eſt falſum; cùm abſque tali impoſitione ſatisfactionis, adhuc Sacramentum ſit validum, remiſſiuum peccatorum, & collatiuum gratiæ ſanctificantis: Ergo dicendum eſt, ſatisfactionem non neceſſariò eſſe abſolutioni præmittendam; nec ordinem, illam ſic præmittendi eſſe, à Chriſto Domino inſtitutum.

ARTI-

ARTICVLVS XVII.

Exponitur ſenſus decimæſeptimæ Propoſitionis,& ejus falſitas demonſtratur.

Decimaſeptima damnata Propoſitio. ***Per illam praxim mox abſolvendi, ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.***

95 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd quando non præmittitur ſatisfactio abſolutioni, ordo abſolvendi dicitur inverſus: unde inferunt Authores hujus propoſitionis, quòd ſi non præmittatur ſatisfactio abſolutioni,Sacramentum Pœnitentiæ reddatur invalidum.Hæc propoſitio ſequitur ex antecedenti ſextadecima, quam articulo antecedenti impugnavimus:eſtque omninò erronea,& injurioſa.

Oppugnatio Propoſitionis.

96 ADvertendum eſt, Concilium Tridentinum ſeſſione 14. cap.4.loquendo de neceſſitate ſatisfactionis requiſitæ ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, nullam mentionem facere, nec de illa præmittenda abſolutioni,nec de ejuſdem neceſſitate,quò ad valorem Sacramenti. Unde ponit illam, ut neceſſarium medicamentum evitandi peccata in futurum, ne de novo peccatores labantur in peccatum: eſtque ipſa ſatisfactio,ſeu pœnæ impoſitio veluti frenum,quo peccatores ſe à conſuetudine peccandi abſtineant. Ut ipſum Concilium loquitur cap.cit. *Proculdubio enim magnoperè à peccato revocant, & quaſi freno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque,& vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit, ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt conformes efficiamur, certiſſimam quoque inde Arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur*. Et propè finem idem Concilium ſubdit: *Habeant autem præ oculis* (loquendo de confeſſariis,) *ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum,ſed etiam ad præteritorum peccatorum*

vindictam, & caſtigationem. Quæ verba Concilii, in toto hoc octavo capite, eſtò ponant neceſſariam, & fructuoſam ſatisfactionem pro peccatis, tum ad cuſtodiam novæ vitæ, tum ad vindictam præteritorum peccatorum, non tamen ponunt illam neceſſariò præmittendam abſolutioni. Neque illam ponunt, ut diſpoſitionem ad gratiam, ſine qua non haberetur effectus Sacramenti, nec valor ipſius: ſed ſolùm ponunt illam per modum executionis ſententiæ judiciariæ. Hoc notato,

97 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Non eſt inverſus ordo Pœnitentiæ, quando ei pars eſſentialis non deficit ad faciendum validum Sacramentum; ſed quando ſatisfactio non præmittitur abſolutioni, nulla pars eſſentialis deficit Pœnitentiæ Sacramento, ut ſit validum: Ergo non præmiſſa ſatisfactione abſolutioni, non diceretur inverſus ordo Pœnitentiæ. Probatur minor; nam ſatisfactione non præmiſſa abſolutioni, adhuc Pœnitentiæ Sacramentum per peccatorum manifeſtationem, cum debito dolore ex parte pœnitentis, & per abſolutionem cum debita intentione ex parte Miniſtri, eſſet eſſentialiter completum, & validum. Quare ſi ad ipſius valorem exigeretur præmiſſa ſatisfactio abſolutioni, jam Sacramētum, hac ſatisfactione non præmiſſa, redderetur invalidum: quod eſt falſum: Ergo dum ſatisfactio non præmittitur, nulla pars eſſentialis deficit Sacramento. Neceſſitas autem requiſita ad Sacramentum Pœnitentiæ eſt tantùm ad ejus integritatem, ut plenè Judici Deo exhibeatur ſatisfactio pro criminibus à peccatore commiſſis, cùm requiratur, tum ad frenum peccatoris, tum ad medicamentum infirmitatis animæ, tum ad delictorum vindictam, ut habetur in relato Conc.cap.8.cit. Sed ſalvatur hujuſmodi integritas, etiam non præmiſſa ſatisfactione abſolutioni: Ergo non neceſſariò eſt præmittenda ſatisfactio abſolutioni, neque ad valorem, neque ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ.

98 Eò vel maximè, quia contritio ſpectat ad eſſentiam valoris Sacramenti, & ad ejus effectum, eſt neceſſariò præmittenda abſolutioni; cùm habeatur ex parte pœnitentis habentis dolorem ſupernaturalem de peccatis, pro ut ſunt Dei offenſa, cum propoſito de cetero non peccandi: eſtque inſuper diſpoſitio ad validam abſolutionis formam, & ad gratiam Sacramentalem recipiendam: ut habetur in cit.Conc.ſeſſ. cap. 4. his verbis: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero.* Et infra ſubdit: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum, & incboationem; ſed veteris etiam odium continere, juxta illud Ezech.18. Proiicite*

cite

cite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum: Ergo cùm ſatisfactio non ſpectet ad eſſentiam valoris Sacramenti, nec ad effectum ipſius conſequendum ex Sacramento Pœnitentiæ, non eſt neceſſariò præmittenda abſolutioni.

ARTICVLVS XVIII.

Exponitur ſenſus decimaoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decimaoctava damnata propoſitio. *Conſuetudo moderna, quò ad adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.*

99 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis ſequitur ex duabus antecedentibus propoſitionibus: unde volunt Authores ipſius, quòd non præmittere ſatisfactionem abſolutioni, ſive quò ad imponendam ipſam ſatisfactionem à Sacerdote, & acceptandam à pœnitente; ſive quò ad expletionem ipſius ſatisfactionis, ſit abuſus introductus, non obſtante quòd conſuetudo hæc ſuſtentetur authoritate plurimorum Doctorum.

Oppugnatio Propoſitionis.

100 PRæmiſſa, & hìc denuò conſideranda, doctrina poſita per totum articulum 16. contra ſextamdecimam damnatam propoſitionem, adverto, duplicem ſenſum poſſe habere tres iſtas propoſitiones de præmittenda ſatisfactione abſolutioni. Primus ſenſus, quòd præmittatur à confeſſario ante abſolutionem, ac ab eo imponatur, & à pœnitente acceptetur: & ſecundus ſenſus eſt, quòd à confeſſario antequam pœnitentem abſolvat, imponatur, & à pœnitente expleatur ipſa ſatisfactio. Articulo 16. cit. ſatis impugnatum eſt utrumque: & ex utroque ſenſu plura ſequi inconvenientia; quæ ibi videri poſſunt. Qua præmiſſa doctrina,

101 Impugno nunc hanc damnatam propoſitionem. Non eſt abuſus ille, qui nec alicui legi opponitur, nec exponit Sacramentum periculo invaliditatis, nec tandem directè opponitur valori Sacramenti; Sed conſuetudo abſolvendi non præmiſſa ſatisfactione, ſive quò ad impoſitionem à Sacerdote, & acceptationem à pœnitente; ſive quò ad eiuſdem ſatisfactionis impletionem, nulli legi obſtat; nec expo-

Digitized by Google

exponit Sacramentum periculo nullitatis; neque directè opponitur valori Sacramenti: Ergo illa conſuetudo non eſt abuſus. Probatur minor: ſi aliqua eſſet lex, cui contrariaretur illa conſuetudo abſolvendi, non præmiſſa ſatisfactione, deberet conſtare, vel in ſcripturis, vel in Sacris Canonibus; nec in ſcripturis, nec in Sacris Canonibus conſtat; immò ex illis oppoſitum deducitur, ut probatum, & demonſtratum fuit per Tridentinum Concilium, ponens ſatisfactionem tantùm ad Sacramenti integritatem, non ad eſſentiam, & valorem: qua deficiente integritate, adhuc Sacramentum pœnitentiæ eſſet completum eſſentialiter, & validum: Ergo nulli legi opponitur conſuetudo non præmittendi ſatisfactionem abſolutioni. Neque tandem exponit Sacramentum periculo nullitatis, neque valori ejus opponitur; quia ſatisfactio ad Sacramenti pœnitentiæ valorem non pertinet; ſed tantùm ad integritatem, quæ ſatisfactio æque benè integrat Sacramentum, ſi præmittatur abſolutioni, ac ſi poſtponatur: Ergo abſolutè dicendum eſt, non eſſe abuſum, ipſam ſatisfactionem non præmittere abſolutioni.

102 Ultraquamquòd: nulli legi obſtare poteſt id, ex cujus oppoſito notabile evenire poteſt damnum; ſed dato, quòd extaret lex præcipiens, non eſſe abſolvendum pœnitentem, niſi priùs adimpleat injunctam pœnitentiam, notabile eveniret damnum: Ergo nulla lex, & quidem juſta, eſſe poſſet, qua ſatisfactio, ſaltem quò ad ejus impletionem, præmittatur abſolutioni. Probatur minor: evenire poſſet, quòd pœnitens, poſt factam plenam de peccatis confeſſionem, cum debito dolore, & propoſito, dum ſatisfactionem inciperet adimplere, moreretur, & abſolutionem de illis peccatis confeſſis non reciperet. Tunc, quia non eſſet hic abſolutus à peccatis, & gratiam non reciperet ex ſola peccatorum confeſſione, ac manifeſtatione, jam damnaretur: & quidem hoc eveniret in ſuppoſitione, quòd adimplenda eſſet ſatisfactio ante abſolutionem: Ergo notabile eveniret damnum, ſi neceſſariò præmittenda eſſet ſatisfactio, quò ad ejus impletionem, abſolutioni: ac per conſequens conſuetudo quò ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, non præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, non eſt abuſus.

ARTICVLVS XIX.

Exponitur ſenſus decimænonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Decimanona damnata Propoſitio. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.*

103 Sen-

103 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd peccatum originale ita habet animam maculare, ut homo teneatur toto tempore vitæ ſuæ agere pœnitentiam pro ipſo, ut ab anima deleatur. Hoc autem erroneum eſt ex multis inconvenientibus nunc demonſtrandis.

Oppugnatio Propoſitionis.

104 PEccatum originale non eſt perſonale, quia fuit ab Ada commiſſum, & transfuſum ad poſteros Adæ; unde nobis non eſt formaliter voluntarium, & liberum, ſicut fuit in primo Parente. Hinc Chriſtus Dominus Sacramentum Baptiſmi inſtituit ad hoc peccatum delendum ab anima, quo maculam Adæ contraxit; qui baptiſmus ita efficax eſt, ut anima baptizata, ſive adulta, ſive infans, poſt ſuſceptum baptiſmum remanent à culpa originali purgata. Habet etiam vim baptiſmus delendi omnia peccata actualia perſonalia, quæ ante baptiſmum ab adultis commiſſa ſunt, & quidem quò ad pœnam, & culpam; ita ut baptizatus evadat nouus homo in Chriſto, regeneratus per Sacri baptiſmi lavacrum; juxta illud Apoſt. ad Gal.3. *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Chriſtum autem induere, eſt habere plenam peccatorum remiſſionem, quò ad culpam, & pœnam. Super hæc verba Apoſtoli loquitur Concilium Trid. ſeſſ.14.cap.2. circa finem, his verbis: *Per baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes.* Quæ Concilii verba oſtendunt, per baptiſmum omnem maculam, tum originalis, tum actualium peccatorum deleri; ita ut nihil remaneat, cujus baptizatus poſſit, ac debeat pœnitere. His poſitis,

105 Impugno nunc damnatam propoſitionem, qua nituntur Authores ipſius auferre efficaciam baptiſmi. Primò ratione. Non tenetur baptizatus pœnitentiam agere de macula peccati, quam propria ſua voluntate non contraxit; Sed peccatum originale non eſt propria noſtra voluntate contractum, ſed voluntate primi Parentis, & ab eo ad nos, uti membra ipſius, transfuſum: Ergo non tenemur pœnitentiam agere toto tempore vitæ noſtræ pro originali peccato. Probatur major: de illo peccato debet quis pœnitentiam agere, quod eſt propria voluntate commiſſum; cùm pœnitentia ſit actus juſtitiæ vindicativæ, & punitivæ commiſſorum delictorum: Ergo tantùm tenetur baptizatus pœnitentiam agere de macula peccati, propria voluntate contracti, & non de eo, quod non contraxit.

106 Secundò idem impugno ex doctrina Concilii Tridentini ſeſſ. 5 can. 5. ubi habetur: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit.* Et aſſignat ipſum Concilium rationem deſumptam ex Apoſt. ad Rom 8 dicente: *In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem; qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exeuntes, & novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati puri, innoxii, ac Deo dilecti, effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cœli remoretur*; Sed ſi deberent agere pœnitentiam pro peccato originali, decedentes cum baptiſmo haberēt aliquod, quod remoraretur eos ab ingreſſu Cœli: Ergo non debemus agere pœnitentiam pro peccato originali toto tempore vitæ noſtræ; aliàs hanc pœnitentiam neglectam in hac vita, deberemus facere in Purgatorio; quod eſt contra citatum Concilium.

ARTICVLVS XX.

Exponitur ſenſus vigeſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſima damnata Propoſitio. *Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.*

107 SEnſus hujus damnatæ Propoſitionis eſt, quòd aliquæ confeſſiones factæ coram Sacerdotibus Regularibus, vel ſunt ſacrilegæ, vel invalidæ. Putant Authores hujus propoſitionis, vel quòd Regulares facultatem non habeant abſolvendi, vel quòd ob ignorantiam, abſolvant à caſibus reſervatis, circa quos facultatem non habent, vel ob aliam cauſam ab iiſdem Authoribus, non niſi temerè, falsò, & calumnioſè excogitatam.

Oppugnatio Propoſitionis.

108 COnfeſſio ex pluribus capitibus poteſt eſſe ſacrilega. Primò, quando pœnitens malitioſè peccatum aliquod tacet in confeſſione, ita ut materialiter confeſſio non eſſet integra; ex defectu ſcilicet materiæ non confeſſæ. Secundò modo, quando eſtò pœnitens omnia confiteatur peccata, tamen ei deficit neceſſarius dolor,

lor, & propoſitum de cetero non peccandi: unde ſi pœnitens dolorem non haberet de peccatis, nec haberet propoſitum de cetero non peccandi, jam confeſſio ſacrilega, & invalida eſſet. Tertiò, ex parte confeſſarii quandoque ſacrilega, & invalida eſſe poteſt: quando nimirum confeſſarius excederet limites ſuæ facultatis, & abſolveret pœnitentem à caſibus reſervatis, à quibus ipſe pœnitens abſolvi nequit; & aliunde pœnitens ſciat, caſus illos eſſe reſervatos: vel ſi id neſciat, hoc tamen non invincibiliter ignorat; cùm aliunde notitiam de his caſibus habere poterat ipſe pœnitens. Vel quando confeſſarius abſolvit recidivos, habituatos, & in proxima occaſione peccandi poſitos; ita ut amplam oſtendat ſe poteſtatem habere, & medicamenta nō præbet, ut vitæ mutatio in pœnitēte habeatur: immò ex nimia facilitate abſolvendi eſt cauſa continuationis vitæ pravæ, abſque ſpe emendæ, quam à pœnitente confeſſarius exigere debet. In his, & ſimilibus caſibus confeſſio eſſe poterit invalida, & ſacrilega. At in his caſibus, & aliis conſimilibus ſacrilegium magis oritur ex parte pœnitentis, quàm ex parte confeſſarii; præſertim ſi pœnitens certò ſciat, de ſuis peccatis non poſſe abſolvi, niſi à Papa, vel ab Epiſcopo: vel ſi certò ſciat, niſi occaſionem removeat, habitumque deſtruat, quo ſolet inclinari ad continuè peccandum, non eſſe abſolvendum; & hac ſcientia non obſtante, hos confeſſarios potiùs eligit, quàm Peritos, Zelantes, & Juſtitiæ, ac divinæ vindictæ Miniſtros, & Judices. Multi alii aſſignari poſſunt caſus in ſpecie, in quibus invalida, & ſacrilega eſſe poteſt confeſſio, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte confeſſarii. Quare Concilium Tridentinum ad evitandas invaliditates confeſſionum, quæ oriri poſſunt præſertim ex parte confeſſarii, præcipit, ut confeſſarii pro gravitate criminum pœnitentiam imponant. Hæc ſunt verba Concilii ſeſſ. 14. cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Hac præmiſſa doctrina,

109 Impugno nunc damnatam propoſitionem, qua approbatur, ut licitum, judicium temerarium, præſertim de perſonis ita dignis. Peto ab Authoribus hujus propoſitionis, quare confeſſiones factæ apud Regulares, pleræque ſunt ſacrilegæ, vel invalidæ? Hoc aliunde evenire non poteſt, niſi, vel quia non habent facultatem abſolvendi; vel quia, ob ignorantiam abſoluunt eos, quos, vel abſolvere non poſſunt, vel non debent; vel ob eandem ignorantiam, nimis levem imponunt pœnitentiam pro graviſſimis peccatis; nec cu-

ram, & ſolicitudinem habent de emendatione vitæ pœnitentis; ſed quodcunq; aſſeratur, temerè judicatur de Regularibus in tali exercitio præſtando: Ergo temerè aſſeritur, quòd confeſſiones factæ apud Regulares pleræque ſunt ſacrilegæ, vel invalidæ. Probatur minor: non poteſt dici primum; quia nimis audax eſt ille Religioſus, qui facultatem non habens audiendi confeſſiones, illas audit; vel ſi habet talem facultatem, & non habeat illam abſolvendi ab aliquibus caſibus, ab eis abſolvit.

110 Neque eſt dicendum ſecundum: nam experientia compertum eſt, Religioſos typis mandaſſe volumina ferè infinita de materia ſpectante ad exercendum pœnitentiæ Sacramentum, de quibus ſaltem, non ſine notabili præjudicio, temerè judicatur: ſicut de aliis, qui maxima pollent doctrina, & hoc munus confeſſiones audiendi exercent charitate, doctrinæ, ac præſtanti zelo, copulata. Neque, ut prætēditur ab Authoribus iſtius propoſitionis, requiritur notabilis, & ſuperabundans virtus; aliàs vix à Sacerdotibus exerceri poſſet hoc munus. Sufficit nanque ad hoc munus exercendum illa doctrina, qua confeſſarius ſciat diſcernere inter lepram, & lepram; ideſt (ut omnes notant Doctores) qua cognoſcat, & ſciat confeſſarius diſtinguere inter peccata, & peccata; inter circumſtantias, & circumſtantias loci, & temporis: & ut ſciat, ſe eſſe Medicum, Conſiliarium, & Judicem; & ut prudenter ſe gerat, tam in medicamentis, & conſiliis præbendis, quàm in ſatisfactione, & ſententia proferenda. Ut medicus, inquam, in morbis animam inficientibus curam præbere, corripiendo, & medicinam ſalutaris pœnitentiæ adhibendo: & ſi gravis eſt culpa, ſenſitivam conferre debeat medicinam. Ut Conſiliarius, ad occaſiones proximas removendas, & ut pœnitens à quibuſdam delectationibus abſtineat, quæ animam denigrare poſſent. Ut Judex tandem, infligendo pœnas ad criminis mēſuram, & pro delicti qualitate. Hæc autem ſufficiens doctrina ab Epiſcopis in Religioſorum examine eſt benè cognita; præſertim in quibuſdam hujus Regni Diœceſibus, in quibus Prælati ſunt ita zelantes, ut, niſi per rigoroſum examen, non approbant Regulares ad audiendas ſecularium confeſſiones.

111 Neque eſt dicendum tertium, abſque judicio temerario: nam aſſerere, Regulares non exercere cum zelo munus audiendi confeſſiones, & quòd levem imponant pœnitentiam pro graviſſimis peccatis, eſt de eis malum, ac prauum efformare judicium; cùm certam ſcientiam de omnibus habere non poſſint. Solus enim Deus eſt cordium ſcrutator. Vnde Joan. 7. habetur: *Nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate.* Ad Rom. 2. habetur: *In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas.* Et ad Romanos: *Tu*

quis

quis es, qui alienum judicas ſeruum? Ergo ſi nemini licitum eſt judicium temerarium habere de altero, multò minùs poteſt de Viris ita dignis temerè judicare: ac per conſequens, temerè judicatur, dum aſſeritur, quòd confeſſiones factæ apud Regulares ſint, vel ſacrilegæ, vel invalidæ.

ARTICVLVS XXI.

Exponitur ſenſus vigeſimæprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaprima damnata Propoſitio. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus viuunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.*

112 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd quia Mendicantes viuunt de communibus eleemoſynis, quando confeſſiones audiunt, poſſunt pœnitentibus nimis levem, & incõgruam imponere pœnitentiam, ex eo, quòd quæſtum, ſeu lucrum ab eiſdem pœnitentibus acquirunt; & iccircò poteſt Parochianus de ipſis Mendicantibus ſuſpicari, quòd revera nimis levem, & incongruam imponant pœnitentiam. Per hanc propoſitionem Authores iſti faciunt licitum judicium temerarium, & ſuſpicionem in re gravi: quod erroneum eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

113 IUdicium temerarium, ut omnes affirmant Theologi, *Illud eſt, quo quis pleno aſſenſu, & firma animi ſententia judicat opus proximi malum*: unde quando quis plenum præſtat aſſenſum, & non habet certiſſima indicia ad formandum judicium contra aliquem; tunc iſte talis temerè judicat: ut ſi quis videret Sacerdotem ingredientem domum mulieris, & neſciret vitam, & honeſtatem ejuſdem, vel vitam iniquam, & pravam; & aliunde neſciret vitam inhoneſtam mulieris, ſi tunc judicat, Sacerdotem ingreſſum habuiſſe in domum illam ad fornicandum; quia nullam haberet certitudinem de prava, & inhoneſta vita, tum Sacerdotis, tum fœminæ, temerè de Sacerdote judicat. Et hoc judicium, quia famæ, & honori Sacerdotis præjudicat, & juſtitiæ adverſatur, eſt mortale peccatum; etiamſi ad tale judicium formandum indicia ſint, ſed levia, & non gravia ad inferendam certitudinem judicii (quomodo poſſet iudi-

cans à peccato excuſari). Ubi adverto, quod hoc judicium, ſi alteri manifeſtetur, lædit famam judicati; & temerè judicans, ratione talis manifeſtationis eſſet obligatus ad famæ reſtitutionem. *Suſpicio eſt, quando ſuſpicatur ineſſe malum, & cum aliquo debili aſſenſu ita eſſe exiſtimatur, cum formidine tamen oppoſiti*. Hæc autem ſuſpicio, quanquam non ſit rigoroſum judicium temerarium cum pleno voluntatis aſſenſu, excludente omnem formidinem; eſt tamen actus inclinans ad malum. Quæ ſi eſt de re gravi, etiam peccatum mortale eſt, licèt non ita grave, ſicut eſt judicium temerarium cum pleno aſſenſu, & firma animi ſententia: ut ſi quis videret Sacerdotem ingredientem domum mulieris, & putaret eum habuiſſe ingreſſum forſan ad malum finem, ſed internè non deliberatè aſſentiretur tali fini pravo, ſed formidinem haberet de actu oppoſito; tunc actus iſte judicandi eſſet ſuſpicio. His itaque notatis,

114 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Dum Parochianus ſuſpicatur de Mendicantibus, quòd levem, & incongruam imponant pœnitĕtiam, & ſatisfactionem, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis, ſuſpicio iſta eſt de re gravi; Sed dum quis ſuſpicatur de re gravi, quia ſuſpicatur malum ineſſe perſonis ſacris, & de munere ſacro, & eminenti, ut eſt adminiſtratio Sacramentorum, licèt plenum non præſtet aſſenſum, peccat tamen mortaliter: Ergo nequit Parochianus ſuſpicari de Mendicantibus, quòd nimis levem imponant pœnitentiam, & incongruam, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis. Major eſt certa; quia iſta ſuſpicio eſt circa adminiſtrationem Sacramenti, circa zelum, & diligentiam exhibendam à confeſſario, ut congruam imponat pœnitentiam, juxta Concilii determinationem, quòd convenientes à confeſſariis injungantur ſatisfactiones, pro qualitate criminum, & quòd non agant indulgentiùs cum pœnitentibus: ut Concilium loquitur ſeſſ. 14. cap. 8. Probatur nunc minor: dum quis ſuſpicatur de re gravi, ut evenit in præſenti materia, format judicium, licèt non cum pleno aſſenſu, ineſſe alicui malum, quod non ineſt: ut in caſu malum, de quo ſuſpicatur ob quæſtum, eſſet, quia Mendicantes leviter ſe gererent, & indulgentiùs, & quaſi venderent Sacramentum ipſum pœnitentiæ, ſi pecuniariam imponerent pœnitentiam; ſed hoc judicium, quo ſuſpicatur, alicui ineſſe grave malum, quod non ineſt, eſt peccatum mortale: Ergo mortaliter quis peccat, dum de re gravi de altero ſuſpicatur, ineſſe malum.

115 Deinde: eſtò ſuſpicio, ob non plenum aſſenſum, ex ſuo genere non ſit mortale peccatum, ut omnes tenent Theologi, eſt tamen veniale, quod etiam vitari debet in quacunque materia: & inſuper poteſt eſſe mortale ex circumſtantia; ut ſi quis videret Religioſum

gioſum colloquentem cum muliere, & ſuſpicaretur, Religioſum ipſum provocare eam ad turpia; tunc talis ſuſpicio eſſet mortale peccatum, attenta non ſolùm perſona Religioſi, ſed etiam mulieris, quando tam ille, quàm iſta ſint bonæ famæ. Si ergo Parochus ſuſpicari poſſet de Mendicantibus, jam poſſet licitè ſuſpicari de perſonis piis, juſtis, & ſanctis; & quidem abſque fundamento: quia fundamentum ſuſpicandi de Mendicantibus de impoſitione levis pœnitentiæ, eſſet leve, ſcilicet *ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis*: & injuria Mendicantibus illata, eſſet gravis, & de re gravi; quia eſſet de infidelitate, & parvo zelo in Sacramenti pœnitentiæ adminiſtratione: Ergo nequit Parochianus, ſine peccato mortali, & injuria Mendicantium ſuſpicari de ipſis Mendicantibus in cauſa, & motivo poſitis in damnata propoſitione.

ARTICULUS XXII.

Exponitur ſenſus vigeſimæſecundæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſecunda damnata Propoſitio. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui Jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.*

116 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd illi, qui prætendunt habere Jus ad percipiendam Sacram Communionem, antequam condignam egerint de ſuis delictis pœnitentiam, judicandi ſint ſacrilegi. Ex hac propoſitione præſumunt Authores ipſius, quòd pœnitens, antequam accedat ad ſuſcipiendam communionem, adimplere debeat pœnitentiam à confeſſario ſibi impoſitam; quod falſum eſſe oſtendimus art. 16. 17. & 18. hujus Tractatus.

Oppugnatio Propoſitionis.

117 NOtandum eſt, eos, qui Sacram ſumunt communionem in gratia, non indignè, ſed dignè eam ſuſcipere. Qui verò ſumunt Sacram Communionem in peccato mortali, indignè eam ſuſcipiunt: contra hos Apoſt. locutus eſt 1. ad Corint. 11. *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quare dum quis accedit ad Sacrum Domini Corpus ſumendum ſine peccato mortali, quia ei per Sacramentum Pœnitentiæ fuit remiſſum, jam dignè communionem ſuſcipit; & ſic ad reitatem non eſt imputandus.

118 Sup-

118 Suppono cum communi Theologorum ſenſu, poſſe culpam remitti, ſine tota pœna; ita ut dum quis accedit ad cōfeſſarium contritus de peccatis, cum voluntate de cetero non peccandi, & à Sacerdote iuriſdictionem habente abſolvitur; tunc quò ad culpam eſt omninò abſolutus; & non quò ad pœnam, quia adimplere debet pœnam ſibi à confeſſario iniunctam in criminum ſatisfactionem. Vnde ſuppoſita doctrina, quam tradidi art. 16. 17., & 18. huius tractatus, impugnando illas propoſitiones, quibus Authores earum prætendebant, ſatisfactionem pro peccatis eſſe præmittendam abſolutioni, adverto hìc, & denuò confirmo cum Tridentino Concilio, ibidem relato, ſatisfactionem ſpectare tantùm ad integritatem, non verò ad valorem, eſſentiam, & effectum Sacramenti pœnitentiæ; cùm etiāſi poſtponatur abſolutioni,& adimpleatur poſt abſolutionem, vel ſimpliciter non imponatur, ob Sacerdotis inadvertentiam; ſemper ſit validum Sacramentum,eſſentialiter completum ex materia, forma, & intentione miniſtri,& ſuum ſortiatur effectum.

119 Plura falſa ſupponit iſta damnata propoſitio. Primum, quòd ſatisfactio à confeſſario impoſita adimplenda ſit ante communionem; & hoc eſt primarium intentum huius propoſitionis. Secundum,non poſſe validè eſſe remiſſum peccatum quò ad culpam, niſi ſit remiſſum quò ad pœnam, & intendunt Authores, quòd pœna remittatur, dum adimpletur iniuncta pœnitenti ſatisfactio, ſeu pœnitentia. Tertium, quòd ſatisfactio ſit pars eſſentialis pœnitentiæ. Hæc tria ſuppoſita falſa ſunt ex doctrina Concilii Tridentini. Primum eſt falſum, quia dum quis ſacrilegè ſe communicaret ante impletionem ſatisfactionis, ſeu pœnitentiæ iniunctæ à Sacerdote, jam ſupponeretur per abſolutionem non fuiſſe ei remiſſum peccatum: quod eſt contra Concilium cit. ſeſſ. 14. can. 9. ubi habetur: *Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, &c. anathema ſit*. Secundum etiam eſt falſum ex relato Concilio can. 12. ubi habetur: *Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo,&c.anathema ſit.* Et idem Concilium ſeſſ.14.cit. cap. 8. ait: *Sancta Synodus declarat, falſum omninò eſſe, & à Verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur.* Ex quo patet, quòd poſſit remitti peccatum,quò ad culpam, remanente obligatione in pœnitente ad ſatisfaciendum quò ad pœnam. Hæc autem ſatisfactio non eſt adimplenda neceſſariò ante communionem,ad dignè Corpus Chriſti ſuſcipiendum; ſed ſufficit, ut poſt communionem adimpleatur. Tertium tandem patet, quia in eodem Concilio ſatisfactio tantùm requiritur ad integritatem, non ad ſubſtantiam Sacramenti pœnitentiæ,ad cuius eſſentiam ſufficiet peccatorum confeſſio,cum dolo-

re,

re, & propoſito non peccandi ex parte pœnitentis; & abſolutio, quæ eſt forma, cũ miniſtri intentione. His omnibus ſuppoſitis, & notatis,

120 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Ille reputandus eſt ſacrilegus, dum ad ſuſcipiendam communionem accedit, qui illam ſumit in peccato mortali non remiſſo, vel ſaltem, in urgenti neceſſitate, non contrito de eo; ſed qui poſt confeſſionem, adhuc non adimpleta ſatisfactione, ſumit Euchariſtiam, illam ſumit, dum ei eſt remiſſum peccatum, quò ad culpam ſaltem: Ergo non eſt reputandus ſacrilegus, ſi Euchariſtiam ſumit, non adimpleta adhuc pœnitentia impoſita pro ſatisfactione peccatorum. Probatur minor; primò, quia ut ſupra dictum eſt, impletio ſatisfactionis non eſt pars eſſentialis huius Sacramenti; & ſic, illa non adimpleta, adhuc pœnitens in inſtanti abſolutionis à peccatis recipit gratiam ſanctificantem, in qua fundatur jus pœnitẽtis ad illam augẽdam per Euchariſtiã. Per gratiã nẽpe iuſtificationis homo ius acquirit ad ulteriores actus ſanctitatis, ut ad Euchariſtiam, & ad gloriam: Ergo adhuc non adimpleta ſatisfactione, qui Euchariſtiam ſumit in gratia, quam per abſolutionem à peccatis recepit, dignè Euchariſtiam ſumit: ac per conſequens nequit ſacrilegus reputari, ſi ius prætendit ad ſacram ſuſcipiendam communionem, non adhuc adimpleta ſatisfactione. Multoties nanque accidit, quòd confeſſarius imponat pœnitentiam per annum continuum faciendam: multoties, durante toto tempore vitæ pœnitentis; ut V. G. ſi imponatur pœnitenti, ut in ſingulis feſtivitatibus Beatæ Virginis recitet quinquies *Salve Regina*; tunc ex hac damnata propoſitione ſequeretur, quòd non niſi in fine vitæ ſuæ pœnitens poſſet ius habere ad Sacram communionem; & ſic etiamſi perſeveraſſet in gratia poſt impoſitionem huiuſmodi pœnitentiæ, nunquam poſſet dignè Euchariſtiam ſuſcipere: quod omninò irrationabiliter aſſeritur.

121 Ex quibus rationibus peto: vel qui eſt ritè abſolutus, recepit gratiam, non adhuc expleta pœnitentia iniuncta; vel non. Si dicatur primum: Ergo quia iſte talis ius accepit per gratiam ad eiuſdem augmentum, quod per Euchariſtiam recipit, iam jus habet ad ipſam Euchariſtiam ſuſcipiendam; Sed qui ius habet ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, ſi illam ſuſcipit, non eſt ut ſacrilegus reputandus: Ergo qui prætendit habere ius ad communionem, dum eſt in gratia, adhuc non adimpleta pœnitentia, non eſt ſacrilegus (ſuppoſito tamen quod ſit ritè confeſſus, & abſolutus). Si verò dicatur ſecundum, redit id, quod ſupra fuit dictum: primò, quòd impletio ſatisfactionis non ſit pars eſſentialis, nec valoris, nec effectus Sacramenti pœnitentiæ: ſecundò, ut pœnitens recipiat gratiam per pœnitentiæ Sacramentum ſufficit, ut prævio dolore ſupernaturali ſua

conſi-

confiteatur peccata, de illis verè doleat, cum propoſito de cetero non peccandi; & de illis ſit à confeſſario abſolutus: Ergo ante ſatisfactionis impletionem, iam homo diceretur iuſtificatus, & ius ad communionem haberet. Contra hanc propoſitionem militant omnia ea, quæ dicta ſunt contra 16.17., & 18. propoſitiones, ab eodem Alexandro VIII. damnatas.

ARTICVLVS XXIII.

Exponitur ſenſus vigeſimætertiæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimatertia damnata Propoſitio. *Similiter arcendi ſunt à Sacra communione, quibus non dum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.*

122 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd nequeant Sacramentum communionis ſuſcipere illi, qui non habent amorem Dei puriſſimum, & expertem omnis mixtionis, ortum nimirum ex charitate perfecta, qua fidelis amet actu Deum ſuper omnia, omneſque ſuas bonas actiones ad Deum referat. Authores huius propoſitionis affirmare conantur, attritionem ſupernaturalem eſſe inſufficientem ad diſponendum hominem ad gratiam ſanctificantem, & ad illam ſuſcipiendam per Sacramentum pœnitentiæ. Secundò tenent, Deum graviter offendi, dum quis dolorem habet de peccatis, ob eorum turpitudinem, vel ob metum gehennæ, & pœnarum. At utrumque eſt falſum, & erroneum, ut impugnatum eſt in 9.14., & 15. ex damnatis propoſitionibus ab eodem Alex. VIII.

Oppugnatio Propoſitionis.

123 PRo confutanda hac propoſitione ſuppono, duplicem eſſe amorem circa Deum, unum perfectum, & perfectiſſimum; & alterum imperfectum. Primus habetur, quando quis ita amat Deum, ut eum omnibus præferat, eumque reſpiciat, ut ſummum bonum amabile; & inſuper voluntas creata omnes actus ſuos bonos ad ipſum, ut ad ultimum finem, actualiter ordinat. Hic amor quandoque eſt ſolùm perfectus, quandoque perfectiſſimus, ex maiori. ſcilicet, vel minori conatu potentiæ diligentis. Hic item amor, ſive ſit perfectiſſimus, ſive perfectus, ſupponit in amante gratiam ſanctificantem, ut comprincipium operatiuum amoris: vel ſaltem ſupponit intenſum dolorem de peccatis commiſſis, pro ut ſunt offenſa

Dei;

Dei; qui dolor à Theologis communiter vocatur contritio. Hæc autem contritio per Tridentinum Concilium vocatur quandoque formata charitas, quæ eſt principium diligendi Deum: ut conſtat in ſeſſ. 14. cap. 4. his verbis: *Docet præterea, & ſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Vult ergo Concilium, quod contritio quandoque ſit perfecta charitate, perfectuſque amor: at cum hac contritione neceſſarium eſt Sacramentum Pœnitentiæ in voto, incluſo in ipſa contritione, ut actus ille ſit perfectus, & habeat reconciliare hominem cum Deo.

Secundus verò, qui dicitur imperfectus, habetur, quando quis amat Deum, ut ſummum bonum, ſed non immediatè amor ille terminatur ad ipſum Deum, ut ſummè diligibilem, ſed immediatè terminatur ad ipſum, ut peccata vindicantem: unde deteſtari peccata, ob eorum turpitudinem, vel ob metum gehennæ, & pœnarum, & quatenus ſunt privativa æternæ beatitudinis, & condigna pœna æterna, dicitur amor Dei imperfectus, qui à Theologis vocatur attritio; quæ ut conſtat ex relato Concilio cap. cit. *Si voluntatem peccandi excludit, cum ſpe veniæ, eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti*: & inſuper eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem. His omnibus ſuppoſitis,

124 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Qui accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore de peccatis ob eorum turpitudinem, & ob metum gehennæ, & pœnarum, cum voluntate de cetero non peccandi, & cum ſpe veniæ, eſt ritè diſpoſitus ad gratiam ſanctificantem recipiendam per Sacramentum Pœnitentiæ, ita ut dum eſt abſolutus, dicitur dignè diſpoſitus ad Sacram ſuſcipiendam communionem; Sed in iſto deficit amor Dei perfectiſſimus, & omnis mixtionis expers: Ergo ad dignè ſuſcipiendam Euchariſtiam, non eſt neceſſe, quòd ſuſcipientibus inſit amor Dei perfectiſſimus, qui provenit à voluntàte ponente totum ſuum conatum ad Deum diligendum ſuper omnia. Probatur major: qui dolorem habet de peccatis, ob eorum turpitudinem, & ob timorem gehennæ, & pœnarum, deteſtatur peccata, pro ut mala ſunt, privativa æternæ beatitudinis, & meritoria pœnæ æternæ; ſed hic actus deteſtandi peccata eſt ſufficiens diſpoſitio ad recipiendam gratiam ſacramentalem per Pœnitentiæ Sacramentum: Ergo etiam eſt ſufficiens diſpoſitio ad dignè ſuſcipiendam Euchariſtiam. Probatur minor: ille actus deteſtandi peccata non eſt purè naturalis, ſed ſupernaturalis, ut colligitur ex Concilio cit. quia eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti;

cti; ſed omnis actus, qui donum Dei eſt, & impulſus Spiritus Sancti, eſt diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, recipiendam per Pœnitentiæ Sacramentum: Ergo actus deteſtandi peccata eſt ſufficiens diſpoſitio ad dignè ſuſcipiendam ſacramentalem gratiam. Ac per conſequens eſt etiam diſpoſitio ad dignè ſuſcipiendam Euchariſtiã.

125 Deinde: Titius V.G. audiat à Concionatore, quòd peccatores digni ſunt pœna eterna: deſcribat Concionator turpitudinem peccati, & inſuper pœnam æternam quò ad ſui eſſe, tum intenſiuum, tum extenſiuum. Moveatur Titius ad dolendum de peccatis, ob deſcriptam, & ab eo auditam turpitudinem peccati, & ob metum deſcriptarum pœnarum; & Sacramentum Pœnitentiæ ſtatim petat. Cõfiteatur Titius peccata ſua cum propoſito, & voluntate ampliùs non peccandi; habeatque inſuper ſpem veniæ. Motus hic Titii, quo dolet de peccatis, eſt attritio ſupernaturalis, quia eſt per impulſum Spiritus Sancti datum ei, dum Concionatorem audivit. Per illam confeſſionem ritè factam recipit gratiam ſanctificantem, ad quam ſuit diſpoſitus per illum dolorem. In eo tamen ineſſe non potuit amor Dei perfectiſſimus, quia dolor ille non fuit à charitate perfecta elicitus, ſeu à gratia, quæ tunc ineſſe non poterat; aliàs fuiſſet perfectus, & non ob ſolum metum gehennæ, & turpitudinem peccati, ſed etiam ob offenſam Dei factã; quomodo contritio, & non attritio diceretur; ſed poſt talem cõfeſſionem, per quam gratiam juſtificationis recepit Titius, ſi ſtatim abſq; ullo actu ſupernaturalis dilectionis Dei, Sacramentum Euchariſtiæ ſuſciperet, dignè illud ſuſciperet: Ergo dignè poteſt ſuſcipi Sacramentum Euchariſtiæ ab iis, quibus non dum ineſt amor Dei perfectiſſimus: & conſequenter non ſunt arcendi à Sacra Communione. Impugnari poteſt iſta propoſitio omnibus argumentis, quibus impugnavimus 9. 14. & 15. ex damnatis propoſitionibus ab eodem Alex. VIII.

ARTICVLVS XXIV.

Exponitur ſenſus vigeſimæquartæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaquarta damnata Propoſitio. *Oblatio in Templo, quæ fiebat à B.M.V. in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quòd indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundùm Verba legis.*

126 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, Beatam Mariam Virginem indiguiſſe Purificatione, & Filium ejus Chriſtum Domi-

Dominum macula Matris fuiſſe maculatum; ex eo, quòd in die Purificationis poſt quadraginta dies à partu, obtulit in Templo, juxta legem Moyſi, duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis. Authores hujus propoſitionis inferre conantur, Beatam Mariam, nec immaculatam, nec Virginem fuiſſe, & Chriſtum Dominum maculam Matris cõtraxiſſe; quòd impium eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

127 IN libro Levitici cap. 12. habetur: *Cùm expleti fuerint dies Purificationis ſuæ, pro Filio, &c.* Et infra: *Quòd ſi non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato. Orabitque pro ea Sacerdos; & ſic mundabitur.* Hæc lex tradita fuit Hæbræis ad ſignificandum, quòd omnis fæmina in peccato concepiſſet; unde, ut à peccato poſt partum mundari debuiſſet, ei impoſitum fuit à lege, ut pro maſculo, vel par turturum, vel duos pullos Columbarum offerre deberet in Templo, & quidem in die Purificationis, qui eſt quadrageſimus poſt partum: unum quidem in holocauſtum, & aliud pro peccatis. Hic Hæbræorum ritus ab omnibus fæminis parturientibus obſervabatur, ſub pœnis, hanc legem, ritum, & ceremoniam violantibus: quia inſtitutus fuit, ad abluendam Matrem ipſam ab immunditia legali, quam per partum incurreret. Quare in lege Hæbræorum ſupponebatur, omnes fæminas per generationem fuiſſe maculatas, & habuiſſe clauſtrum Virginitatis fractum; ac inſuper generaſſe per ſeminis humani commixtionem.

128 Ex hoc autem Hæbræorum ritu ſupponunt Authores hujus propoſitionis, Beatam Matrem Dei, quia ritum illum obſervavit in die ſuæ Purificationis, non fuiſſe ab omni macula immunem, ſed Filium communi macula, communique partu generaſſe: ac per conſequens, nec Virginem, nec puriſſimam fuiſſe; aſſerentes, quòd ſicuti ſubdita fuit legi, ita ſubdita fuit peccato. Et inſuper deducunt aliud non minùs impium abſurdum, Chriſtum Dominum maculatum fuiſſe à Matre. Falſitas, & impietas hujus aſſerti ita Sanctis Patribus, & Conciliis adverſatur, ac omnium Theologorum doctrinis, ut miror, cur ante damnationem hujus propoſitionis poterat ab Authoribus iſtis pronunciari; præſertim quia Fidei dogmatibus repugnat, quibus determinatum eſt, Beatam Mariam Virginem fuiſſe ante partum, in partu, & poſt partum; & Filium ſuum virtute Spiritus Sancti generaſſe; quod eſt de fide; & conſtat in Symbolo Apoſtolorum, & in Symbolo Nicæno. His notatis,

129 Impugno nunc damnatam propoſitionem. In tantùm Authores hujus propoſitionis inferunt, Beatam Virginem indiguiſſe Purificatione, ex eo, quòd obtulit in Templo duos pullos Columbarũ, in quantùm ſe in Templo præſentavit, ad obſervandam legem Moyſis; ſed ex tali obſervantia legis non infertur, omnem prorſus fæminam indiguiſſe Purificatione ad maculam delendam, neque, quòd Filius Beatæ Mariæ maculam Matris contraxit: Ergo ex hoc, quòd Beata Virgo Maria ſe in Templo præſentavit, & obtulit duos pullos Columbarum, non infertur, indiguiſſe Purificatione, neque, quòd filius, quem obtulit, maculam matris contraxit. Probatur minor: ex hoc, quòd Beata Maria ſe præſentavit in Templo, & obtulit duos pullos Columbarum, demonſtare voluit plenam, & perfectam legis obſervantiam, ac rituum, & præceptorum legis Moyſis, quæ tunc erat ad huc in robore; quia cùm fuerit Hæbræa, legi Moyſis ſubdita erat: Ergo potiùs deduci debet pleniſſima, ac perfectiſſima obedientia legis, quàm indigentia ex fine legis. Lex nanque inſtituta fuit adhunc finem, nimirum quòd ut omnes fæminæ pariturę ex ſeminis mixtione, mundarentur à fluxu ſanguinis, & à peccato legali, deberent offerre in holocauſtum, & pro peccatis duos pullos Columbarum: Ergo quoties fæmina aliqua (ut fuit Beata Virgo Maria) non habet maculam, & parit in Virginitate, ſi hunc ritum obſervat, ſolùm inferri poteſt excellentia in obſervantia legis, quàm indigentia Purificationis à macula, & à peccato.

130 Deinde: aliud eſt obſervare legem, & ritum, ac præcepta aliqua lata, ut obſerventur; & aliud eſt indigere ritibus illis, vel legibus repugnantibus excellentiæ, & eminentiæ alicuius naturæ rationalis, quæ liberè vult ſe legi, & ritui ſubiicere. Hæc itaque lex eſt utiliſſima, & decantata, tum in Sacris literis, tum à Sanctis Patribus, *pœnitentiam, & jejunium potentiſſima arma eſſe contra peccatum*; & tamen multi fuerunt innocentes, nunquam perſonali peccato maculati, qui pœnitentes, & jejunantes fuerunt, corpus ſuum caſtigaverunt, & in magnam redegerunt ſervitutem: immò D. Joannes Baptiſta, in utero Matris ſanctificatus, aſperam in deſerto duxit vitam: & ipſe Chriſtus Dominus toto tempore curriculi ſuæ vitæ fuit in jejuniis, orationibus, & pœnitentiis. At ex hoc non infertur, omnes eos, qui maximam egerunt pœnitentiam, illa indiguiſſe ad delenda peccata, à quibus tot animæ immunes fuerunt. Ita pariter ex hoc, quòd Beata Mater Chriſti in Templo, iuxta ritum Hæbræorum, præſentavit duos pullos Columbarum, qui ritus inſtitutus fuit ad purificandam fæminam parturientem à macula peccati, inferri non poteſt, nec debet, Beatam Virginem indiguiſſe Purificatione, & filium maculam matris contraxiſſe.

131 Qua-

131 Quare obſervantia illius legis, & ritus Hæbræorum præjudicium non intulit Beatæ Virgini Mariæ, quæ, ut Hæbræa, tunc ſub lege Moyſis vivebat: nec tunc credebatur, ipſam fuiſſe Virginem, mundiſſimam, & immaculatam, & Chriſtum Dominum peperiſſe ex Spiritus Sancti virtute. Immò ex hac legis obſervantia, oſtendit obedientiam maximam legi Moyſis præſtitam. Hinc concludo, Beatam Virginem non indiguiſſe Purificatione, per hoc, quòd ritum Hæbræorum obſervavit; nec Chriſtum Dominum maculam matris contraxiſſe, quæ iam matri non inerat.

ARTICVLVS XXV.

Exponitur ſenſus vigeſimæquintæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaquinta damnata Propoſitio. *Dei Patris ſedentis ſimulacrum, nefas eſt Chriſtiano, in Templo collocare.*

132 SEnſus huius damnatæ propoſitionis eſt, quòd ſit illicitum Chriſtiano, ac nefas, & quid ſceleſte, collocare in Templo ſtatuam, aut figuram Patris æterni, ab ipſis Chriſtianis adorandam. Putant Authores huius propoſitionis, quòd quis adorando ſtatuam æterni Patris in Templo collocatam, committat peccatum Idololatriæ.

Oppugnatio Propoſitionis.

133 SUppono tanquam certum apud omnes Theologos, per virtutem Religionis Deo exhibendum eſſe cultum latriæ; quia ſupremus omnium Dominus eſt, ratione cuius excellentiæ ſupremi Dominii, conſtituitur formale obiectum adorationis: & perſona ipſa divina, in qua talis reperitur excellentia, eſt materiale obiectum. Tres ab omnibus Doctoribus excogitatæ ſunt ſpecies adorationis. Prima dicitur latria, & hæc eſt adoratio, qua rationalis creatura veneratur perſonam, aut obiectum aliquod, ob increatam excellentiam; ita ut illud obiectum moveat voluntatem creatam ad latriæ adorationem, in qua increata excellentia reperitur. Secunda eſt Duliæ, & hæc eſt adoratio, qua rationalis creatura veneratur obiectum aliquod, ob creatam excellentiam, & ſanctitatem in tali obiecto repertam. Tertia tandem eſt Hyperduliæ, & eſt adoratio, qua rationalis creatura veneratur obiectum aliquod, ob creatam excellentiam, & ſanctitatem; ſed præſtantiorem, & ſuperexcedentem omnium aliorum Sanctorum excellentias, & Sanctitates. Prima

ado-

adoratione adoratur Deus, ut unus in eſſentia, & Trinus in perſonis; iuxta illud Geneſ. 18. *Tres vidit, & unum adoravit*: quia Deus, ut Trinus, & unus, infinitam dicit excellentiam. Humanitas Chriſti, ut dicens actualem ordinem ad divinitatem: Imago Chriſti, ut ordinem dicit ad ipſum Chriſtum, qui Deus, & homo eſt: Crux Chriſti, in qua mortuus eſt, ratione ſanguinis eius in ipſa cruce reperti, & ratione ordinis, quem dicit ad ipſum Chriſtum Deum, & hominem, eadem latriæ adoratione adorantur: ut communiter Doctores, & Theologi tenent. Secunda adoratione omnes ſancti, ob eorum ſanctitatem, quæ excellentiam creatam dicit, adorantur. Tertia tandem, ſcilicet Hyperduliæ tantùm Beata Virgo Maria adoratur, quæ eſtò creatam excellentiam habeat, ſicut alii ſancti, tamen eius excellentia, & ſanctitas eſt ſupra omnium ſanctorum excellentias, & ſanctitates; immò maxima omnium eſt, infra divinitatem, & excellentiam increatam.

134 Iſtæ tamen adorationes ſumi poſſunt abſolutè, & relativè. Tunc ſumuntur abſolutè, quando objectum aliquod per ſe adoratur, præſcindendo ab ordine ad aliud. Tunc verò adoratur relativè, quando objectum illud non per ſe, & in ordine ad ſe adoratur; ſed in ordine ad aliud adoratur: ut ſi quis adoraret ſtatuam Principis, quatenus ſtatua eſt, & ſecundùm eſſe abſolutum ipſius; tunc ipſa ſtatua eſſet adorationis objectum: at ſi ſtatua adoraretur, quatenus eſt figura, & repræſentatio Principis; tunc Princeps ipſe per ſtatuam adoraretur. Ut ad propoſitum aſcendamus, advertendum eſt, quòd omnes effigies Dei, ſive unius, ſive Trini; Chriſti, Crucis eius, & quæcunque ſimulacra, & Imagines Sanctorum, quæ adorantur, ſi adoratio præſtetur ipſis ſimulacris, & imaginibus in ordine ad ſe, abſque ullo reſpectu ad perſonas, & objecta, quæ repræſentantur in ipſis, adoratio ipſa vana eſt; quia in illis ſimulacris ligneis, vel marmoreis nulla ſanctitas, vel excellentia reperitur; ſed ſola repræſentatio ſanctitatis, & excellentiæ perſonæ figuratæ. Vnde ſimulacra illa, & imagines ſanctorum adorandæ ſunt relativè ad perſonas repræſentatas, ut colligitur ex Conc. Nicæno II., his verbis: *Nam cùm divinam crucis effigiem, & venerandas imagines amore, & deſiderio amplectimur, ad ipſum prototypum aſpicimus*. His itaque notatis,

135 Impugno nunc damnatam propoſitionem ex doctrina Concilii Trid. ſeſſ. 25. in Decreto de Innoc. Sanctorum, quod incipit: *Mandat Sancta Synodus omnibus Epiſcopis, &c.* Et poſtquam per ipſum Decretum declaravit, Sanctos eſſe adorandos, ad eos preces eſſe fundendas pro gratiis impetrandis, ſicut, corpora Sanctorum, vel eorum reliquiæ, ſubdit: *Imagines porrò Chriſti, Deipa-*

ræ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendum: non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræſentant. Ex quibus Concilii verbis apertè conſtat, licitum eſſe Chriſtianis in Templo collocare Imagines Chriſti, Beatæ Virginis, & Sanctorum; Sed eadem ratione, & motivo, quo Concilium mandat Epiſcopis, collocandas eſſe Chriſti, & Sanctorum imagines in Templo, collocari etiam eſt licitum ſimulacrum æterni Patris, abſque ullo ſacrilegio, & inconvenienti: Ergo non eſt nefas Chriſtiano collocare in Templo æterni Patris ſimulacrum. Probatur minor: pro gratiis impetrandis, & ut debitus honos exhibeatur Sanctis, collocandæ ſunt Chriſti, & Sanctorum imagines in Templo; & hoc quidem non quia virtus aliqua in ipſis imaginibus reperiatur, propter quam ſint colendæ; ſed tantùm quia habent repræſentare prototypa, ſeu figuratum, cui honor debetur: Ergo pariter ad impetrandas ab æterno Patre gratias, & ad veniam peccatorum petendam, & ut debitus honor æterno Patri exhibeatur; collocari debet in Templo æterni Patris ſimulacrum; non quatenus in ipſo ſimulacrò reperiatur virtus aliqua, aut divinitas, propter quam adoretur; ſicut olim à gentilibus fiebat; ſed tantùm quatenus ipſum ſimulacrum habet æternum Patrem repræſentare.

136 Hæc propoſitio vigeſimaquinta ſub aliis terminis damnata fuit in Concilio Nicæno II. contra quoſdam hæreticos, aſſerentes Deum Patrem non eſſe præcisè adorandum: ex eo, quòd Spiritus eſt, & inviſibilis, cujus ſimilitudinem nemo unquam vidit; & ſolam Dei vocem aliqui viderunt. Ubi Epiphanius pro Concilio, ait: *Poſtquam homines ab Idololatria abduxiſſet, juſſiſſetque tabernaculum teſtimonii fabricari, Moſes ſenſibilia Cherubin habentium hominum formam obumbrantia propitiatorium, quod Chriſtum præfiguravit, formavit.* Et in eodem Concilio determinatum fuit contra quoſdam hæreticos, quòd, qui imagines reiiciunt, contra naturam agunt. Et quia Authores hujus 25. propoſitionis prætendunt auferre adorationem æterno Patri in Templo præſtandam, ex hoc quòd aſſerant, non eſſe collocandum ejuſdem ſimulacrum in Templo; ideo hæc propoſitio coincidit cum illa per Nicænum Concilium damnata.

Digitized by Google

ARTICVLVS XXVI.

Exponitur ſenſus vigeſimæſextæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſexta damnata Propoſitio. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.*

137 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd ſit vana laus, quæ deſertur Mariæ, ut Maria eſt. Supponunt Authores hujus propoſitionis, à Beata Virgine poſſe præſcindi ſanctitatem, excellentiam, & maternitatem Dei, quæ ipſam conſtituunt adorandam, adoratione quidem Hyperduliæ, ut ſupra dictum eſt; & conſequenter poſſe illam realiter conſiderari ſub Mariæ tantùm conceptu quatenus fæmina eſt, ſub hoc nomine Mariæ. Unde dum ad Mariam laus defertur, ut Maria eſt, talis laus ſit vana.

Oppugnatio Propoſitionis.

138 EX articulo præcedenti conſtat, Beatiſſimam Virginem Mariam adorandam eſſe adoratione Hyperduliæ ob excellentiam, & ſanctitatem quam habet ſupra omnes Sanctos, & quidem ſpeciali privilegio, quia Mater Dei eſt. Unde cùm Concilium cit. ſeſſ. 25. *de invoc. Sanctorum*, decernat, Sanctos eſſe adorandos, ob ſpecialem eorum prærogativam; majori conatu adoranda eſt Beatiſſima Virgo, quæ majori fulget prærogativa inter omnes Sanctos, & hoc, ultra propriarum virtutum merita, nimirum altiſſimæ contemplationis, profundiſſimæ humilitatis, ac ceterarum virtutum ſublimium; etiam ratione Maternitatis, quia meruit eſſe Mater Dei. Quare adoranda eſt Beatiſſima Virgo Maria, & propter propriarum virtutum excellentiam, & propter Dei maternitatem, quam meruit obtinere.

139 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Beatiſſima Virgo Maria, ut Maria eſt, fuit Mater Dei; ſed non eſt vana, immò debita adoratio, & laus præſtanda Mariæ, ut Mater Dei eſt: Ergo neque eſt vana, ſed debita laus præſtanda Mariæ, ut Maria eſt. Probatur major: illam Mariam laudamus, illam adoramus, quæ fuit Mater Dei; ad illam effundimus preces tanquam mediatricem inter Peccatores, & Filium ejus Chriſtum: & tandem ad ipſam confugimus, ut Advocatam Peccatorum. Quare omninò præſumptuoſa, & temeraria eſt præciſio maternitatis Dei ab ipſa Maria. Quod

ſic

ſic oſtenditur:ſicut ad putandam vanam laudem, quæ defertur Mariæ,ut Mariæ,præſcindunt Maternitatem Dei à Maria; ſic ab eadem poſſent præſcindere Virginitatem, Caſtitatem, ac demum Sanctitatem: & ita laus, quæ deferretur Mariæ,non ut Virgini, non ut caſtæ, neque ut ſanctæ, eſſet vana: immò reducerent laudem ad nudum ſuppoſitum Mariæ, ut præciſum à ſanctitate;Sed iniquiſſimum eſt,præſumere hanc præciſionem à Maria,& illam ut nudum ſuppoſitum laudare, tanquam omni virtute denudatum: Ergo etiam iniquiſiſſimũ eſt,præſcindere à Maria,quæ ſpirituali ſuſfulta fuit privilegio Maternitatis, ipſam Maternitatem. Vnde dum quis laudat Mariam, illamque adorat, intendit adorare veram Matrem Dei; aliàs, ſi aliter adoraret eam, ideſt quaſi non fuiſſet Mater Dei, magnum eidem Virgini inferret præjudicium.

140 Vltraquamquòd; gratis dato, quòd quis laudem deferret Mariæ, ut Mariæ,præſcindendo à dote Maternitatis: tunc peto, vel deferret laudem Mariæ, ut præciſæ etiam à quacunque alia dote, per ſe etiam laudanda,& adoranda; vel ut includenti alias dotes,ſcilicet Virginitatis, Caſtitatis, Humilitatis, Sanctitatis, &c. Si dicatur primum: Ergo neque vana dici poterit laus illa; quia ſufficeret laudatori laudare animam, quæ ſit ſubjectum tot dotium, & excellentiarum, ac prærogativarum, quæ revera inſunt: & præciſio illa non præjudicat ſubjecto habenti tales dotes, & excellentias. Si dicatur ſecundum: Ergo ſi ratione Maternitatis, quæ eſt prærogativa major, & ceteris excellentior, eſt laudanda; ratione Virginitatis, Caſtitatis, Humilitatis, & Sanctitatis, etiam eſt laudanda; quia iſtæ dotes prr ſe, abſque ullo reſpectu ad Maternitatem,ſunt laudandæ: cùm quælibet virtus per ſe laudanda ſit: Ergo quia hujuſmodi dotes ſunt in Maria, ut Maria eſt, etiam præciſa Maternitate, ſequitur quòd Maria, ut Maria eſt, debet laudari: & ſic non eſt vana, ſed utilis laus delata Mariæ, ut Maria eſt. Eò vel maximè, quia Maria, ut Maria eſt, dicitur Sancta, & ut talis invocata, nobis proficit,ſicut ceteri Sancti: ut conſtat ex relato Conc.Trid.ſeſſ.25. *de Sanctorum invoc.*

141 Solùm hoc noto, nullam laudem deferri Mariæ, ex intentione non deferendi illam ad eandem,quæ Mater Dei eſt: & ſi quis aliter Mariam laudare intendat, quaſi ipſa non fuiſſet Mater Dei,ac ab ea auferendo hoc Maternitatis attributum; tunc laus ipſa, quia eſſet ex prava intentione negandi Mariæ attributum Maternitatis, potiùs vituperio Mariam afficeret, quàm ipſam laudaret. Hinc merito Alex.VIII.hanc damnavit propoſitionem,ut ab omnibus dignoſcatur, Beatiſſimam Virginem pluribus dotibus præfulgere, unam eſſe alteri copulatam, & ſi propter unam laudatur, ceteræ

Digitized by Google

etiam laudandæ ſunt:& dum laudatur propter unam, intendere debet laudator, non auferre, aut negare ceteras laudandas virtutes, quæ Beatæ Virgini Mariæ realiter inſunt.

ARTICVLVS XXVII.

Exponitur ſenſus vigeſimæſeptimæ Propoſitionis,& ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaſeptima damnata Propoſitio. *Valuit aliquando baptiſmus, ſub hac forma collatus* : in nomine Patris, &c. *prætermiſſis illis.* Ego te baptizo.

142 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd quandoque fuit validus baptiſmus, abſque verbis exprimentibus actũ baptizationis exercitum à perſona baptizante; qui actus baptizationis exprimitur per ly verbum, *baptizo*. Unde volunt Authores hujus propoſitionis, non eſſe de neceſſitate Sacramenti, exprimere actum baptizationis exercitum à Miniſtro; nec exprimere perſonam ſuſcipientem baptiſmum.Hæc propoſitio deſtruit valorem Sacramenti.

Oppugnatio Propoſitionis.

143 ADvertendum eſt ex doctrina Scoti in 4.diſt.3. qu.2. §. *de ſecundo*, in forma baptiſmi eſſe aliquid neceſſarium ſimpliciter ex parte Sacramenti, quo ſcilicet non exiſtente, omninò non eſt Sacramentum; & aliquid eſſe neceſſarium aliqualiter,ſcilicet ex parte Miniſtri, ſine quo Miniſter, diſpenſando Sacramentum, non poteſt vitare peccatum. Et ſubdit Doctor, quòd forma illa, ſub expreſſis verbis Sanctiſſimæ Trinitatis, cum expreſſa perſona baptizante, actu baptizationis, & perſona baptizanda; ideſt *Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.* eſt forma neceſſaria Miniſtro, cui competit ex officio baptizare. Quod probat, *quia quilibet Miniſter in Eccleſia Romana tenetur neceſſariò illam formam ſervare, quam totalis Eccleſia impoſuit Miniſtris; hujuſmodi eſt iſta, de qua quæritur.* Et ibidem adducit cap. *Si quis*, extra de baptiſmo, & ejus effectu. Ubi dicitur: *Si quis puerum ter in aqua merſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen: & non dixerit: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen*, non eſt Puer baptizatus. Et in §. Tertiò de forma neceſſaria ex parte Sacramenti, ait: *Patet, quod iſta non eſt talis, quantùm ad omnia verba, ex hoc,*

quod

quod dictum eſt, quòd Græci baptizabant, non tamen ſub eadem forma. Ubi vult Doctor, ly *Ego* deſignans perſonam baptizantem, & quidem expreſsè, non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ejuſque valoris; quia Græci ſub hac forma, *baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, &c.* licitè baptizabant, quandiù tolerata fuit ab Eccleſia Romana.

144 Ex hac forma *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* dicit Scotus, quòd poſteriora verba ſunt pertinentia ſimpliciter ad valorem Sacramenti, illudque conferendum; ita ut ſi perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis non exprimerentur, non eſſet forma valida huius Sacramenti; unde baptiſmus collatus ſub hac forma *in nomine Chriſti, vel in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, Ego te baptizo,* non diceretur validus. Sic neque validus, ſi dicatur: *in nomine Genitoris, Geniti, & ſpirati;* quia ait Scotus ibidem, *quòd de nominibus ſignificantibus proprietates, & non perſonas, non ſervatur in eis forma.* Et aſſignans rationem ait: *quia nomen perſonæ habet aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis perſonæ; petendo enim aliquod donum ab aliquo pro amore Ioannis, citiùs impetraretur, quàm ſi loco nominis proprii, poneretur nomen ſignificans proprietatem ſuppoſiti.* Et concludit, *quòd Trinitas debet intelligi explicitè pro tribus perſonis.* Et idem Doctor §. cit. Tertiò, dicit, *quòd aliqua non principaliter pertinent; quia exprimunt miniſtrum, actum, & ſuſcipientem; miniſtrum enim, nō eſt ſimpliciter neceſſarium, aliquo verbo exprimi, neque pronomine cuiuſcunque perſonæ; quia non eſt in verbis Chriſti Matth.ult.* Et immediatè ſubdit. *Alia autem duo, ſcilicet actum, & ſuſcipientem, neceſſe eſt exprimi.* Et aſſignans rationem, quòd actus, & ſuſcipiens baptiſmum debeant exprimi neceſſariò, affert auctoritatem D. Matt.ult. *Baptizantes eos, &c.* ubi exprimitur actus, & ſuſcipiens.

Infero ex hac Scoti doctrina, perſonam baptizantem non eſſe de neceſſitate Sacramenti exprimendam; ſed ſolùm de neceſſitate officii miniſtri, ut ſervet ritum Eccleſiæ, & ad peccatum vitandum. De neceſſitate verò Sacramenti, ut validè conferatur, eſt neceſſe, ut exprimatur actus baptizationis, & ſuſcipiens baptimum. Ex qua Scoti doctrina, quæ directè militat contra ſenſum ſupradictæ damnatæ propoſitionis, evidenter oſtenditur falſitas eiuſdem propoſitionis; & neceſſitas exprimendi actum baptizationis, & perſonam ſuſcipientem baptiſmum. His itaque omnibus notatis,

145 Advertendum eſt inſuper, ut ſit validus baptiſmus, eſſe neceſſariam, tum miniſtri, tum ſuſcipientis intentionem; quæ ex parte ſuſcipientis, ſi eſt adultus, debet eſſe intentio formalis, & expreſſa; ut ipſe nimirum Sacerdoti interroganti, *vis baptizari*, reſpondeat

 volo,

volo,cum intentione Sacramentum recipiendi: ſi verò eſt infans,ſufficit intentio demonſtrata per parentes,volentes infantem illum baptizatum: quare in fide Parentum baptizantur infantes; & iccircò dum miniſter baptizans dicit:*vis baptizari*,reſpondet obſtetrix, *volo*, ad demonſtrandam intentionem requiſitam ex parte perſonæ baptizandæ. Quapropter Concilium Tridentinum anathematizat eos, qui dicunt, paruulos, dum ad annum diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos,vel quòd interrogari debeant,an ratum habeant baptiſmum, eis collatum in fide Parentum: quod oſtendit Concilium in ſeſſ. 7. can. 13. & 14. Dixi ſupra, eſſe neceſſariam miniſtri intentionem; quia ſi quis baptizaret ſine intentione baptizandi, & faciendi, quod facit Eccleſia; tunc perſona baptizanda non ſuſciperet baptiſmum. Hoc oſtenditur ab eodem Concilio *can.* 11. *de Sacram.* his verbis: *Si quis dixerit,in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt,non requiri intentionem, ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia,anathema ſit*. Vbi Concilium vult, neceſſariam eſſe miniſtri intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, tum in Sacramentorum confectione, quàm in eorundem collatione. His omnibus benè conſideratis,

146 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Ut in re conferatur Sacramentum baptiſmi, illudque ſit validum, neceſſariò requiritur, quòd per formam baptiſmi exprimatur à miniſtro actus baptizationis, & quòd per ſigna extrinſeca ſaltem, oſtendatur miniſtri intentio, faciendi id,quod facit Eccleſia, & Chriſtus Dominus inſtituit; & inſuper, quòd exprimatur perſona ſuſcipiens baptiſmum; Sed ſub illis tantùm verbis: *In nomine Patris, &c.* prætermiſſis, *Ego te baptizo*, non exprimitur actus baptizationis, nec oſtenditur miniſtri intentio per ſigna extrinſeca; nec exprimitur perſona ſuſcipiens baptiſmum: Ergo nunquam potuit eſſe validus baptiſmus, prætermiſſis illis verbis, *Ego te baptizo.* Minor patet;quia ſub illis tantùm verbis: *In nomine Patris,&c.*exprimuntur tantùm perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ etſi ſint ſimpliciter neceſſariæ, ad formam baptiſmi, ut oſtendantur ſub expreſſis nominibus, non tamen faciunt completam formam, requiſitam ad valorem baptiſmi. Probatur nunc major: ſi non exprimeretur actus baptizationis exercitus à perſona miniſtri, cum debita intentione baptizandi; & ſimul non exprimeretur perſona ſuſcipiens baptiſmũ,poſſet aliquis dubitare de valore huius Sacramenti, an nimirum ſit validè ſuſceptum: ad quod dubium removendum, Chriſtus Dominus Matth. ult. ait: *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* ad denotandum, exprimendos eſſe actum baptizationis, & ſuſcipientem baptiſmum. Quod ſic oſtenditur. Si miniſter ablueret infantem, & tantùm dicceret:

ret: *In nomine Patris, &c.* poſſet quis affirmare, quòd miniſter, infundendo aquam, tantùm lavaret puerum: *In nomine Patris, &c.* & illum non baptizaret: nam per ſe ille ritus abluendi puerum, cum illis ſolis verbis: *In nomine Patris, &c.* oſtendunt actum lavandi: *In nomine Patris, &c.* & non oſtendunt actum baptizandi: Ergo nunquam potuit valere baptiſmus, prætermiſſis illis verbis: *Ego te baptizo.*

147 Deinde: ſi quandoque valuit baptiſmus, abſque expreſſo actu baptizandi, exercito à miniſtro, etiam quandoque valere potuit, ſine miniſtri intentione, faciendi id, quod facit Eccleſia; quia tunc ſicut actus baptizationis, ſub expreſſo verbo *baptizo*, non foret neceſſarius, ita neque foret miniſtri intentio neceſſaria; & ſic quilibet diceretur validè baptizatus, abſque miniſtri intentione, conferendi nimirum baptiſmum; Sed nemo dici poteſt validè baptizatus, quando deficit intentio miniſtri baptizantis: Ergo neque potuit eſſe validus baptiſmus ex defectu actus baptizationis, expreſſi per verbum illud *baptizo*. Patet minor ex can. 11. Concilii Trid. in ſeſſ. 7. cit. Ex hoc Concilio deducitur, miniſtri intentionem, quæ demonſtratur externè per verbum, *baptizo*, eſſe neceſſariam ad valorem huius Sacramenti. Hæc autem intentio exprimitur per iſta verba: *Ego baptizo, à me baptizetur, &c.* per quæ etiam verba actus baptizationis exprimitur, & quidem, ut neceſſarius ad Sacramenti valorem. Et conſequenter falſum, & erroneum eſt aſſerere, fuiſſe validum Sacramentum baptiſmi collatum ſub illis verbis tantùm: *In nomine Patris, &c.* prætermiſſis illis aliis, *Ego te baptizo*. Circa intentionem requiſitam ad valorem huius Sacramenti videnda ſunt ea, quæ dicemus articulo ſequenti.

ARTICVLVS XXVIII.

Exponitur ſenſus vigeſimaoctavæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimaoctava damnata Propoſitio. *Valet baptiſmus collatus à miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo, apud ſe reſolvit,* Non intendo facere, quod facit Eccleſia.

148 Enſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd non ſit requiſita miniſtri intentio ad valorem baptiſmi; ſed ſufficiat, ſi miniſter faciat, & obſervet ritum externum Eccleſiæ, & proferat verba omnia requiſita ad formam: ut *Ego te baptizo, in nomine Patris, &c.* & internè intendat non facere, quod facit Eccleſia.

Oppu-

Oppugnatio Propoſitionis.

149 HÆc damnata propoſitio tollit ab adminiſtratione, & collatione Sacramenti intentionem miniſtri, à qua pendet collatio ipſa; quod patet in omnibus iis Sacramentis, in quibus miniſtri perſona eſt neceſſaria ad Sacramẽti valorem, ut formam proferat: unde ſi in Sacramento pœnitentiæ Sacerdos proferat verba abſolutionis, ſine intẽtione abſolvendi, vel in Sacramẽto Ordinis ſine intentione ordinandi; jam Sacramenta ipſa non eſſent collata. Sic in Sacramento baptiſmi, ſi miniſter baptizando proferret formam baptiſmi, ſine baptizandi intentione; tunc baptiſmus non eſſet collatus. Ritus autem externus, abſque intentione faciendi id, quod facit Eccleſia, & Chriſtus inſtituit, nil confert ad valorem Sacramenti: nam poteſt dari caſus urgentis neceſſitatis, quòd infans ſit moribundus, poſtquam genitus eſt, & ex utero matris extractus, cui tradendus ſit baptiſmus, eum abluendo, & formam baptiſmi, ab Eccleſia inſtituta proferendo, nimirum: *Ego te baptizo, &c.* tunc infans eſſet validè baptizatus; & tamen in eo caſu ritus externus Eccleſiæ non ſervaretur, cum omnibus illis ceremoniis, ab Eccleſia inſtitutis. Ex quo fit, quòd intentio faciendi id, quod facit Eccleſia, ſeu baptizandi, ſit neceſſaria, cùm ſit intentio faciendi id, quod Chriſtus Dominus inſtituit.

150 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Primò directè, ex determinatione Concilii Tridentini ſupra relati in ſeſſ.7. can.11. anathematizantis eos, qui negant neceſſitatem intentionis miniſtri, faciendi, quod facit Eccleſia, his verbis: *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit*; Sed qui dicunt, quòd miniſtri in collatione baptiſmi ſervantes ritum externũ, non tamen habentes intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, validè baptizant, affirmant, quòd non ſit neceſſaria intentio miniſtri ad valorem Sacramenti baptiſmi: Ergo qui affirmant validum Sacramentum baptiſmi, abſque intentione baptizandi; & quidem ponendo valorem in ſolo ritu externo, incurrunt hanc fulminatam à Concilio excommunicationem. Concilium nanque non excommunicaret eos, qui aſſerunt, non requiri miniſtri intentionem ad Sacramenti valorem, ſi validus eſſet baptiſmus ſine intentione miniſtri: Ergo ſi hanc fulminavit excommunicationem, ſignum eſt, quòd baptiſmus non ſit validus, abſque baptizantis intentione, etiam ſi perfectè, & ſolemniter ritus externus Eccleſiæ ſervetur.

151 Deinde: eſt ita neceſſaria intentio miniſtri in Sacramento

Baptiſ-

Digitized by Google

Baptiſmi conferendo; ut ſi à Paganis, Infidelibus, & Hæreticis conferretur, cum intentione faciendi, quod facit, & intendit Eccleſia, & Chriſtus Dominus inſtituit, baptiſmus ab iſtis collatus, eſſet validus, quanquam perſonæ baptizantes ſint membra ſciſſa ab Eccleſia: Ergo ut conferatur validè à miniſtris fidelibus, neceſſaria eſt intentio miniſtri. Probatur aſſumptum: De Hæreticis conferentibus Baptiſmum in forma Eccleſiæ, & cum intentione faciendi id, quod facere intendit Eccleſia, & Chriſtus Dominus inſtituit, patet ex eodem Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 4. de Baptiſmo, his verbis: *Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum, anathema ſit*. Ex quo Concilii Canone deducitur, quòd ſi Paganus, vel quicunque Infidelis conferret alicui Baptiſmum volenti ipſum recipere, & in collatione ejuſdem proferret formam Baptiſmi, ab Eccleſia inſtitutam, & intentionem haberet faciendi totum id, quod facit Eccleſia, & Chriſtus Dominus inſtituit, jam validè eſſet collatus Baptiſmus. Nec in iſtis obſtat infidelitas perſonæ, dummodo intendat facere, quod facit, & intendit facere Eccleſia: ſicut neque obſtat quodcunque grave peccatum in miniſtro fideli, dummodo in Sacramentis conferendis ſint omnia eſſentialia ad ipſum conferendum, & conficiendum: quæ eſſentialia in propoſito ſunt perſona baptizanda cum intentione recipiendi baptiſmum, ſi eſt adultus; & ſi eſt infans cum Patrinorum intentiotione, vel in fide Eccleſiæ, quæ infantis intentioni æquivaleat: forma ab Eccleſia inſtituta: & perſona miniſtri, cum intentione faciendi, quod intendit facere Eccleſia. Quare concludo, quòd dum intentio miniſtri deficit, non eſt collatus baptiſmus.

ARTICULUS XXIX.

Exponitur ſenſus vigeſimanonæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Vigeſimanona damnata Propoſitio. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum, atq; in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.*

152 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd ſit vana Theologorum aſſertio, quòd Pontifex Romanus ſit ſupra Concilium: & vana, ac futilis etiam ſit aſſertio, quod Pontifex in decernendo, infallibiliter ex cathedra loquatur. Quare volunt Authores iſtius propoſitionis, Pontificem non eſſe ſupra Concilium: & poſſe errare. Vtrumque autem eſt ſcandaloſum, & temerarium.

Oppu-

Digitized by Google

Oppugnatio Propoſitionis.

153 CONcilium itaque nil aliud eſt, niſi Patrum Congregatio in unum, authoritate Pontificis facta, in qua Patrum Congregatione Pontifex eſt caput in decernendis rebus ad fidem catholicam ſpectantibus; cùm ipſi ſoli ſit à Deo tradita poteſtas Concilium congregandi, & quæcunque ligandi, atque ſolvendi. Et eſtò Patres habeant vota in Concilio per Pontificem legitimè congregato; tamen ſemper ſunt ſubditi ipſi Pontifici, ita ut nequeant authoritatem aliquam habere ſupra ipſum. Chriſtus Dominus dum dixit D. Petro, *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, ut quodcunque ligaveris ſuper Terram, erit ligatum, & in Cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum, & in Cœlis*, ſignificare voluit, quòd tantũ D.Petro, & ſucceſſoribus eius data fuit sũma poteſtas ligandi, atq; ſolvendi, & non Patribus in Concilio congregatis. His notatis,

154 Impugno nunc primam partem damnatæ propoſitionis, & probo, Concilium non eſſe ſupra Pontificem. Primò ex illo Joan. 21. ubi Chriſtus Dominus dicit D. Petro: *Paſce agnos meos*: & ibidem: *Paſce oves meas*. Quicquid Chriſtus Dominus dederit D. Petro, & quamcunque conceſſerit facultatem, hanc conceſſiſſe, affirmare debemus, ſucceſſoribus D. Petri: Ergo Chriſtus Dominus Summis Romanis Pontificibus conceſſit facultatem paſcendi oves Chriſti, ideſt Epiſcopos: Ergo ipſis tantùm data eſt poteſtas ſupra fideles; Sed hoc eſſet falſum, ſi Pontifex non eſſet ſupra Concilium, & caput ejuſdem Concilii, omnium Paſtor, & Rector: Ergo Pontifex eſt ſupra Concilium.

155 Secundò oſtenditur hoc ex determinatione Concilii Florentini in lit. Vnionis, §. *Item definimus, &c.* per quod Decretũ oſtenditur, Romanum Pontificem eſſe verum D. Petri ſucceſſorem, & totius Eccleſiæ caput, etiam in unum congregatæ. Idem habetur in Conſt. Pii II. quæ incipit: *In minoribus, &c.* per quam conſtitutionem exprimitur Summorũ Pontificũ Romanorum poteſtas congregandi Concilia, illaque diſſolvendi. Et tandem ex Leone X. in quadam ſua Conſt. patet, *ſolum Romanum Pontificem ſupra omnia Concilia authoritatem habere.* Ex quibus, & aliis Sanctionibus conſtat, Pontificem eſſe ſupra Concilium, ut caput membrorum Eccleſiæ; non verò Concilium eſſe ſupra Papam; cùm mẽbra nõ ſint ſupra caput.

156 Tertiò impugnatur ratione: quoties omnia membra Eccleſiæ, ut diviſa, authoritati Pontificis ſubiiciuntur, etiam ut congregata in unum, eidem Pontifici ſubiiciuntur: quia collectio illa non tollit authoritatem, nec primitatem, nec ſuperioritatem; præſertim

tim

tim quando ex voluntate ſuperioris dependet talis collectio, ſed omnes Concilii Patres ſeorſim ſumpti ſubiiciuntur Romano Pontifici: Ergo etiam eidem ſubiici debent,ut in unum congregati; nec majorem habent dignitatem, ut congregati, niſi ſolam poteſtatem à Pontifice eis conceſſam, propriam proferendi ſententiam; Sed ut in unum congregati, formant Concilium: Ergo Concilium non eſt ſupra Papam.

157 Impugno nunc ſecundam partem damnatæ propoſitionis; & probo, Pontificem non poſſe errare in decernendis materiis ad fidem ſpectantibus. Primò: eſt omnium Theologorum, & catholicorum ſenſus,Pontificem,ut talem,quia de Cathedra loquitur,non poſſe errare. Secundò, quia dum de cathedra loquitur, eſt univerſalis Doctor Eccleſiæ, Summus Pontifex, Paſtor, & Rector totius orbis Chriſtiani; unde habet infallibilitatem in decidendis quæſtionibus ſpectantibus ad materiam fidei: ac Inſuper poteſtatem habet, ut ſic loquens, obligandi ad obſervantiam ſuorum præceptorum; Sed hæc omnia ſecumferunt infallibilitatem in decidendo ea, quæ ad fidem ſpectant: Ergo Pontifex,ut talis,non poteſt errare. Quod ſi quandoque Pontifici imputandus ſit error;tunc talem committit errorem, quando non loquitur ex cathedra, & ut Doctor univerſalis,ſed quando loquitur, ut privatus homo. Concludendum eſt igitur, contra utramque partem damnatæ propoſitionis, Pontificem eſſe ſupra Concilium;& quod in decernendis materiis,ad fidem ſpectantibus, nō poteſt errare.Unde D. Bernardus dixit in Epiſt.cxc1. ad Inn. II. *Oportet ad veſtrum referre Apoſtolatum pericula quæq; & ſcandala Regni Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt*. Per quæ verba oſtendit Bernardus, ad Pontificem ſpectare decidere, & determinare in ſcandalis, & rebus fidei: quare ſentit, quòd Pontifex non poſſit errare. Hoc patebit in ſequenti articulo.

ARTICVLVS XXX.

Exponitur ſenſus Trigeſimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſima damnata Propoſitio. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

158 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, quòd ſi inveniatur aliqua doctrina clarè fundata in libris D.Auguſtini,etiamſi ſit contra aliquam Bullam Pontificis, poteſt quis illam doctrinam

ſequi, & docere, nullo habito reſpectu ad Bullam Pontificis, contrarium doctrinæ D. Auguſtini decernentis. Quare prætendunt Authores iſti, quòd magis tenenda ſit doctrina Divi Auguſtini, quàm determinatio Summi Pontificis, de cathedra loquentis. Quod ſcandaloſum eſt.

Oppugnatio Propoſitionis.

159 SVpponunt Authores hujus propoſitionis, doctrinam D. Auguſtini, vel cujuſcunque privati Doctoris habere majorem vim circa dogmata fidei, quàm habeant determinationes ex cathedra factæ à Summis Pontificibus. Quod quidem eſt contra Sanctos Patres. Nam D. Gregorius Magnus lib. 4. Epiſt. 52. ait: *Si quam verò contentionem (quod longè faciat divina potentia) de fidei cauſa evenire contigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine, judicio Sedis Apoſtolicæ indigeat; examinata diligentiùs veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua ſine dubio, ſententia terminari.* Quibus verbis D. Gregorius ſignificare voluit, quòd deciſio in rebus dubiis, tum morum, & actuum honeſtorum, tum fidei, ſpectet ad Apoſtolicam Sedem. Quare, ut quis certò, & ſine periculo errandi in ſequendis opinionibus, illiſque tradendis, procedat, reſpectum habere debet ad Bullas, & deciſiones Summorum Pontificum. Idem confirmant verba D. Bernardi relati in fine præcedentis articuli. Addo ad hoc verba Matt. 16. dum Chriſtus dixit Divo Petro: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meã.* Ideſt, ut multi Patres exponunt, ſuper firmitatem Petri ædificabitur Eccleſia Dei: at per Petrum ſignificatur quicunque ex ejus ſucceſſoribus. Unde fit, quòd ſupra firmitatem Summi Pontificis ſtat Eccleſiæ firmitas: adeoque majorem facit Summus Pontifex authoritatem, dum ut Pontifex decernit, quàm quilibet Doctor privatus.

160 Inſuper noto, hanc veritatem de firmitate Summi Pontificis in decernendo per ſuas Bullas, quæ vim Decreti habent, tum circa fidei materiam, tum circa mores, & honeſtates fidelium, demonſtrari ex verbis Evang. Joann. 14. ubi legitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit Vobis, ut maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis.* Per quæ verba Chriſtus promittit Apoſtolis, qui regere debebant Eccleſiã Dei, ſpiritũ veritatis, permanſurũ perpetuò in eis, ut nunquã errare poſſent; & ut per ipſum ſpiritũ veritatis, qui donum Dei eſt, cognoſcerentur ab eis omnes, & ſingulæ veritates. At omnis iſta poteſtas, & Spiritus Sancti aſſiſtentia, promiſſa Collegio Apoſtolico, eſt eminenter in capite, ideſt in Summo

Summo Pontifice, juxta illud Chriſti Matth. 16. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quare communis catholicorum ſenſus eſt (ex hac præmiſſa doctrina) omnem deciſionem factam à Summo Pontifice eſſe factam ex Spiritus Sancti dictamine, qui Spiritus veritatis vocatur in Sacris Scripturis: ut teſtatur ipſe Joan. cap. 16. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

161 Veriſſimum etiam eſt, ac indubitatum, firmiſſimam eſſe Summi Pontificis deciſionem, à qua docemur viam æternæ ſalutis; cùm Eccleſia Dei, cujus caput eſt Pontifex, *ſit Dei vivi columna, & firmamentum veritatis*, ut teſtatur Apoſt. 1. ad Timot. 3. hinc benè infertur, deciſionem ipſam infallibilem eſſe, ac omni prorſus defectibilitate carentem. Unde comparativè ad quamcunque Sanctorum Patrum doctrinam eſt majoris, immò maximæ firmitatis; quia ſuper illam ædificata eſt Eccleſia Dei. Quare ſi Doctoris privati doctrinæ poſtponatur deciſio illa facta à Summo Pontifice, & magis doctrinæ privati Doctoris credatur, quàm illi deciſioni, ſic credens ad culpam, & ad errorem imputari debet. His itaq; notatis,

162 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Summus Pontifex in decidendis materiis, vel ad fidem, vel ad mores ſpectantibus, dum loquitur ex cathedra, non poteſt errare, & infallibilè dicit veritatē, dum ut Doctor Univerſalis Eccleſiæ decernit: Ergo quæcunque doctrina privati Doctoris, ſive ſit D. Auguſtini, ſive cujucunq; alterius Doctoris, quæ clarè demonſtratur, & obſtare videatur Bullis, & deciſionibus Summorum Pontificum (ſi illa non poſſit exponi ad rectum ſenſum cohærentem deciſionibus iſtis) debet abſolutè negari: Ergo quoties inveniretur doctrina clarè fundata in D. Auguſtino, nequit abſolutè teneri, nullo habito reſpectu ad Bullas Pontificias. Antecedens eſt certum ex doctrina ſupra relata, & non ſine præjudicio Sacræ Scripturæ, Patrum ſupradictorum, & communis ſenſus Theologorum, contrarium affirmari poſſet. Probatur conſequentia: quoties doctrina D. Auguſtini clarè obſtat Bullis Pontificiis, obſtare videtur doctrinæ primi Eccleſiæ Doctoris, ex cathedra loquentis, & infallibilem veritatem dicentis; ſed abſolutè negandum eſt quod obſtat infallibili veritati; cùm quis non niſi temerè, ſe veritati infallibili opponat: Ergo quæcunque doctrina reperta in Divo Auguſtino, vel in quocunque privato Doctore, quæ obſtat Bullis Summorum Pontificum, abſolutè negari debet, quando illam ad ſenſum præfatarum Bullarum explicare non poſſumus.

163 Quod ſi quis temerè negaret primum, & principale antecedens, ſic convinci poſſet. Eccleſia Dei eſt ſancta; ſed non eſſet

Digitized by Google

Sancta, ſi Pontifex loquendo ex cathedra, ut Doctor Vniverſalis Eccleſiæ, poſſet errare, & poſſet falli: Ergo Summus Pontifex in materia morum, loquens ex cathedra, & ut Doctor Vniverſalis Eccleſiæ, nequit errare, ſed infallibilem dicit veritatem. Major eſt indubitata. Probatur minor. Dum Summus Pontifex loquitur ex cathedra, docet Eccleſiam ea, quæ ſervanda ſint, juxta regulam morum; ſed non poſſet Eccleſiam Sanctam docere falſitatem, ſed veritatem infallibilem: Ergo docet Eccleſiam infallibilem veritatem: Ergo quoties docendo Eccleſiam, poſſet Pontifex errare, jam Eccleſia non eſſet Sancta; nam Sanctitati repugnat falſitas. Concludo igitur, quòd in omnibus fidei controverſiis, ſicut in omnibus deciſionibus ad mores, & honeſtates fidelium ſpectantibus, ſicut Summus Pontifex eſt Supremus omnium Doctor, ſic ejus doctrina præferenda eſt doctrinæ cujuſcunque Doctoris privati. Quapropter eſtò reperiatur doctrina aliqua clarè fundata in D. Auguſtino, illam nemo retinere, & docere poteſt, ſi Bullis Summorum Pontificum opponatur.

ARTICVLVS XXXI. ET VLTIMVS.

Exponitur ſenſus trigeſimæprimæ Propoſitionis, & ejus falſitas demonſtratur.

Trigeſimaprima, & ultima damnata Propoſitio. *Bulla Urbani VIII. In Eminenti, eſt ſubreptitia.*

164 SEnſus hujus damnatæ propoſitionis eſt, affirmare, Bullã illam factam ab Vrbano VIII. quæ incipit: *In Eminenti*, eſſe ſubreptitiam, ideſt non veram, ſed dolosè extortam, ac in ea falſitatem contineri. At hoc eſt omninò alienum à veritate, ſcandaloſum, & temerarium, ut oſtendemus.

Oppugnatio Propoſitionis.

165 URbanus VIII. in illa citata Bulla, quæ incip. *In Eminenti*, confirmavit quandam Pii V. Conſtitutionem, quæ incip. *Ex omnibus*; & aliam Gregorii XIII. damnantis ſeptuaginta novem propoſitiones Michaelis Baii, & quendam librum Auguſtini Cornelii Janſenii. Poſt earundem Conſtitutionum iſtorum Summorum Pontificum confirmationem, mandavit ſub pœnis graviſſimis, & ſub excommunicatione, Summo Romano Pontifici reſervata, ut ea omnia, quæ in dicta Bulla continentur, omninò obſerventur: ut conſtat ex his verbis citatæ Bullæ: *Quæ ad fidei catholicæ conſervationem*

Digitized by Google

tionem à Prædeceſſoribus noſtris providè ſtatuta, & ordinata ſunt, firmiter perpetuò obſerventur,& cùm opus ſit,noſtræ authoritatis munimine confirmentur. Ecce quomodo verba Bullæ Vrbani confirmant deciſiones,& ordinationes priùs factas à ſuis Prædeceſſoribus. Et ſubdit: *Inhibentes inſuper ſub omnibus pœnis, & cenſuris in prædicta Bulla Pii Prædeceſſoris contentis (à quibus nullus Romano Pontifici inferior, excepto mortis articulo, abſolvere contra facientes poſſit) ne quis cujuſcunque conditionis, & qualitatis, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota, & expreſſione dignus; de prædictis, ut ſupra damnatis, & in præſenti libro contentis, aliiſque, &c. quoquo pacto loqui, ſcribere, & diſponere audeat, librumque, et alia prædicta penes ſe retinere, vel legere præſumat, etc. Nulli ergo hominem, etc.*

166 Hic aliqua ſunt notanda, primò, quòd ut Bulla aliqua dicatur ſubreptitia, vel quæcunque alia determinatio,requiritur primò, quòd ſit doloſè extorta: & inſuper, quòd ea, quæ ibi determinantur ſint falſa, & quæ prohibentur ſint vera. Quare ſi citata Bulla fuiſſet ſubreptitia (ut Authores hujus propoſitionis præſumunt) ſequeretur, quòd doloſè à Summo Pontifice fuiſſet extorta,contra ſcilicet ejus voluntatem, firmitatem, & ejuſdem infallibilem veritatem; & quòd non fuiſſet ex cathedra locutus:& etiam, quòd prohibitiones ſub illis pœnis non teneant: quia prohiberentur ea, quæ de Jure prohiberi non poſſent; & ſic fuiſſent prohibitæ, & damnatæ propoſitiones Michaelis Baii, & liber Janſenii, quæ omnia prohiberi non debuiſſent; At omninò arduum, & temerarium eſt hoc aſſerere; cùm ut falſæ; & hæreticæ proſcriptæ fuerint propoſitiones illæ Michaelis Baii;& ut hæreſes cōtinens damnatus fuerit liber Cornelii Janſenii. Secundò noto, quòd illa verba præfatæ Bullæ, *Inhibentes, etc.* æquivalent iſtis (ut plures notant Doctores) *declarantes, decidentes, etc.* Idem nanque eſt, aliquid prohibere, ideſt prohibere, ne quis aliquam doctrinam ſequatur, vel doceat; ac declarare, & decidere doctrinam illam non eſſe ſequendam, nec aliis tradendam: prohibetur itaque, ut falſa, per verba *prohibentes, etc.* declaratur falſa per verba *declarantes, decidentes, etc.* Hanc poſteriorē notavi doctrinam,quia multam vim faciunt Authores propoſitionis in illis verbis, *inhibentes, ec.* præſumentes, quòd cùm in illa Bulla non ſint expreſsè verba, *declarantes,etc.*quòd ipſa fuerit ſubreptitia, & quòd non declaraverit falſas, & hæreticas propoſitiones Michaelis Baii, nec declaravit, librum Janſenii continere hæreſes,&c. At hæc eſt vera præſumptio;præſertim quia præſumunt inſuper, librum illum legi poſſe, doctrinam in eo contentam poſſe ſequi; dogmata Michaelis Baii non eſſe falſa; nec eos eſſe excommunicandos,qui aliter faciunt,ac prohibitum eſt per ſupradictam Bullam. Quibus notatis.

167 Im-

Digitized by Google

167 Impugno nunc damnatam propoſitionem. Si citata Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, eſſet ſubreptitia, ſequeretur, quòd ea, quæ continentur in illa Bulla, eſſent dolosè prohibita: & inſuper quod ea, quæ eſſent prohibita, in ſe vera eſſent: & tandem quòd Pontifex per illam Bullam erraſſet, & turpia docuiſſet, ac falſa, & inhoneſta; ſed hæc omnia, non ſine notabili præjudicio Summi Paſtoris, affirmantur: Ergo dicendum eſt, illam Bullam non fuiſſe ſubreptitiam. Minor patet: qui nanque affirmaret, Summum Pontificem loquentem ex cathedra, docere turpia, falſa, & inhoneſta: vera prohibere, & falſa permittere, & velle; ac dolosè agere contra filios ſuos, magnam faceret Summo Pontifici injuriam; qui ſicut eſt caput totius Eccleſiæ, quæ Sancta eſt, ac firmiſſima, ut dictum eſt art. præcedenti, ita caput ejus, Paſtor, ac ſupremus Doctor Sancta decernit, ſanctamque doctrinam Eccleſiam docet. Probatur nunc ſequela majoris: Bullam aliquam eſſe ſubreptitiam, nil aliud eſt, quàm Summum Pontificem in odium alicujus, aliquid contra eum determinaſſe, quod verum eſt, & Pontifex decernit illud eſſe falſum: ex qua Pontificis determinatione vera prohiberentur; & falſam doctrinam fideles docerentur: Ergo quoties illa Bulla Vrbani VIII. fuiſset ſubreptitia, jam illa abſurda ſequerentur.

Eò vel maximè: affirmare illam Bullam ſubreptitiam eſſe, eſt affirmare eſſe vera, quæ per talem Bullam fuerunt prohibita; ſed hæreticum eſt affirmare eſſe vera, quæ prohibita ſunt per illam Bullam; cùm prohibitæ fuerint ſupradictæ 79. propoſitiones Michaelis Baii, & ut hæreticæ fuerint damnatæ; ſicut etiam liber Cornelii Janſenii: Ergo hæreticum eſt affirmare, Bullam illam eſſe ſubreptitiam. Tandem: ſi ſubreptitia fuiſſet hæc Bulla, idem dicere poſſent Authores hujus propoſitionis de duabus Conſtitutionibus Pii V & Gregorii XIII. quibus præinſerta in Bulla Vrbani fuerunt prohibita, & damnata; At cùm hoc non aſſeratur ab his Authoribus, neque rationabiliter deberent hoc affirmare de Bulla Vrbani VIII. *In Eminenti, &c.* cùm hæc, ut dixi, ſit ſola confirmatio, & renovatio illarum Conſtitutionum. Hoc ipſum probari poteſt argumentis omnibus, quibus in duobus articulis præcedentibus probatum eſt, Pontificem de cathedra loquentem non poſſe errare. Concludendum eſt igitur, Bullam Vrbani VIII. *In Eminenti, &c.* non eſſe ſubreptitiam.

Tenor

Tenor ſententiæ damnationis iſtarum 31. propoſitionum ab Alex. VIII. damnatarum.

Quibus maturè conſideratis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas propoſitiones, tanquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpectivè, eſſe damnandas, & prohibendas ſicut eas damnat, & prohibet, itaut, quicunq; illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputaverit publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcunque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propoſitiones in majori numero, ultra prædictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas, approbare.

Alexander Speronus Sanctæ Rom. & Vniverſ. Inquiſ. Not.

Locus ✠ Sigilli.

Præmiſſum Decretum fuit publicatum 20. *Decembris* 1690.

Ne mireris, Amice Lector, ſi in hoc volumine, brevi, & compendioſa methodo, ſolùm propoſitiones à Summis Romanis Pontificibus proſcriptas, Alex. VII. Innoc. XI. & Alex. VIII. impugnatas videbis; nihil tractando de adiacentibus ad eas; nec alias pro ſingulis materiis tangendo: nam in pluribus tomis diſtributam promitto Moralem Theologiam; uti jam in lucem prodiit univerſa materia de Juſtitia, & Jure. De propoſitionibus damnatis ab Alex. VII., & Innoc. XI. plures Doctores typis mandarunt, præſertim Pater Lumbier ex Ord. S. M. de Carmelo, P. Cardenas ex Ord. Soc. Jeſu, & Jo: Baptiſta Paſchalis Archipresbyter Cathedralis Eccl. Cavenſis meus Concivis. Hic poſtremus Author ferè totam moralem theologiam tangit in triplici volumine, occaſione impugnandi proſcriptas propoſitiones. Inſuper P. Auguſtinus Mathæucci de Luca noſtri

noſtri Ordinis de Obſ. in uno volumine omnes proſcriptas propoſitiones impugnat, plura dubia per ſingulas propoſitiones reſolvendo, in libro Cautelæ confeſſarii. Quidam alii extant Doctores, qui in eadem ſcripſerunt materia. At nemo hac uſus eſt methodo, quæ omnem prorſus difficultatem tangit, germanum ſenſum Authorum explanat, propoſitionum omnium falſitatem oſtendit, & theologicam veritatem omnimoda claritate demonſtrat. Noli, amice Lector, me cenſura adnotare, ſi brevitatem amavi, cùm brevitatem ſecutus, claritatem non omiſerim.

Hæc tandem ſufficiant, ad laudem Omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ ſemper Virginis, ſine labe conceptæ, Sancti Patris noſtri Franciſci; ac omnium Sanctorum, qui in Cœlis vivunt, & regnant. Amen.

Pertinet ad Conv.tum S. Mariæ [illegible]
Fer. 3 die [illegible] 1713. Araceli
Fr. Jo: [illegible] ab Alexandria

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MAG 2002048

Digitized by Google

Digitized by Google